

John Carter Brown.

BOUND BY F. BEDFORD

AMERICÆ

Nona & poſtrema Pars.

QVA DE RATIONE ELEMENTORVM: DE NOVI ORBIS NATVRA: DE HVIVS INCOLARVM SVPERSTITIOSIS

cultibus: deq; forma Politiæ ac Reipubl. ipſorum copiosè pertractatur: Catalogo Regum Mexicanorum omnium, à primo vſq; ad vltimum Moteçumam II. addito: cui etiam ritus eorum coronationis, ac ſepulturæ annectitur, cum enumeratione bellorum, quæ mutuò Indi geſſerunt.

HIS ACCESSIT

DESIGNATIO ILLIVS NAVIGATIONIS, QVAM 5. naues Hollandicæ Anno 1598. per fretum Magellanum in Moluccanas inſulas tentarunt: quomodo nimirum oborta tempeſtate Capitaneus SEBALT *de* WEERT *à cæteris nauibus diſpulſus, poſtquam plurimis menſibus in freto infinitis ærumnis miſerè iactatus fuiſſet, tandem infecta re poſt biennium An. 1600. domum reuerſus ſit.*

ADDITA EST TERTIO


NAVIGATIO RECENS, QVAM 4. NAVIVM PRAEfectus OLEVIER *à* NOORT *proximè ſuſcepit: qui freto Magellanico claſſe tranſmiſſo, triennij ſpatio vniuerſum terræ orbem ſeu globum mira nauigationis ſorte obiuit: annexis illis, quæ in itinere iſto ſingularia ac memorabiliora notata ſunt.*

Omnia è Germanico Latinitate donata, & inſuper elegantiſſimis figuris æneis coornata editáq; ſumptibus

THEODORI *de* BRY *p. m. Viduæ & binorum filiorum.*

FRANCOF. Apud MATTH. BECKERVM. 1602.

RPJCB



AMERICÆ

Nona & poſtrema Pars.

QVA DE RATIONE ELEMENTORVM: DE NOVI ORBIS NATVRA: DE HVIVS INCOLARVM SVPERSTITIOSIS

cultibus: deq; forma Politiæ ac Reipubl. ipſorum copioſè pertractatur: Catalogo Regum Mexicanorum omnium, à primo vſq; ad vltimum Moteçumam II. addito: cui etiam ritus eorum coronationis, ac ſepulturæ annectitur, cum enumeratione bellorum, quæ mutuò Indi geſſerunt.

HIS ACCESSIT

DESIGNATIO ILLIVS NAVIGATIONIS, QVAM 5. naues Hollandicæ Anno 1598. per fretum Magellanum in Moluccanas inſulas tentarunt: quomodo nimirum oborta tempeſtate Capitaneus SEBALT *de* WEERT *à cæteris nauibus diſpulſus, poſtquam plurimis menſibus in freto infinitis ærumnis miſerè iactatus fuiſſet, tandem infecta re poſt biennium An. 1600. domum reuerſus ſit.*

ADDITA EST TERTIO

NAVIGATIO RECENS, QVAM 4. NAVIVM PRAEfectus OLEVIER *à* NOORT *proximè ſuſcepit: qui freto Magellanico claſſe tranſmiſſo, triennij ſpatio vniuerſum terræ orbem ſeu globum mira nauigationis ſorte obiuit: annexis illis, quæ in itinere iſto ſingularia ac memorabiliora notata ſunt.*

Omnia è Germanico Latinitate donata, & inſuper elegantiſſimis figuris æneis coornata editaq; ſumptibus

THEODORI de BRY *p. m. Viduæ & binorum filiorum.*

FRANCOF. Apud MATTH. BECKERVM. 1602.

RPJCB

ILLVSTRISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DN. CHRISTIANO II. DVCI SAXONIÆ, ac S. Romani Imperij Archimarſchallo Electori, Domino noſtro clementiſſimo, S. & F.



NONAM & poſtremam hanc Americanæ hiſtoriæ partē edituri, princeps illuſtriſſime, cur eandem Ill. T. Celſ. nomini inſcriptam ac dicatam voluerimus, cauſæ pol ſunt, nec paucæ numero, nec (vt opinamur) leues pondere. Quas ſi longa ſerie ſigillatim hîc pertexere aggrederemur: iure merito benigniſſima tua clementia temerè abuti velle videri poſſimus. Dicemus tamen ſtrictim ac (quod aiunt) tribus bolis, quæ rationes huius inſtituti noſtri fuerint palmariæ. Ex primis autem feſtiuæ Ill. T. Celſ. inaugurationis ſolennitas eſt. Ad quam, cum vniuerſus propè orbis CHRISTIANVS, qui vel ex nomine tuo omnia facit auſpicatiſſima, vota ſua certatim conferat; nobis quoque votiuæ congratulationis ius eodem exemplo licere, plena fiducia freti exiſtimauimus. Cumque Perſarum ritu ignominioſum fore duceremus, ſi ſine munere ac donario ad Ill. T. Celſ. ſolium gratulabundi ingrederemur: hoc qualicunq; munuſculo (quo certè vel grandius vel pretioſius tenuitas noſtra non habet) pium animi noſtri ſenſum ac adfectum apud Ill. T. Celſ. teſtari ante omnia voluimus.

Altera inſtituti ratio à pientiſſimo Ill. T. Celſ. parente, iam inter pias animas tranquillam ſine omni inuidia vitam agente, profluxit. Cui, cum huiuſdem operis partem primam (licet alia lingua) pridem nuncupaſſemus; omninò conueniens eſſe arbitrati ſumus, vt poſtrema hæc pars, nulli alij niſi vni Ill. T. Celſ. præſeruata cederet: quo nimirum tam præclarum opus, quod feliciſſimis CHRISTIANI Patris auſpiciis inceptum eſt, CHRISTIANI filij inſigni autoritate ac ſplendore clauderetur veluti, ac ad calcem perduceretur.

Quod ſi denique rerum magnarum ac præſtantium, maximos quoq; ac præcellentiſſimos præſides eſſe oporteat: tum certè vel hac ipſa de cauſa operi huic, propter rerum plurimarum arduitatem ac raritatem multorum inſultibus obnoxio, patronus Ill. T. Celſ. dignior aſſeri nemo vel potuit vel debuit: qui & ad obtrectatorum temeritatem retundendã virium ſatis, & ad gratiam libro conciliandam autoritatis plurimum tenes. Adeò, vt tanto ac tam illuſtri vindice ac aſſertore non dubitemus, quin genio hoc opus feliciſſimo diutiſſimè peruicturum ſit.

Accipe ergo, Illuſtriſſime Princeps Elector, Mecænas ampliſſime, pro candido ac votiuo feliciſſimæ tuæ inaugurationis, munuſculo hanc rerum Indicarum congeriem iucundiſſimam ſanè ac lectu vtiliſſimam

 liſſimam

liſsimam: in qua certè colligenda, adornanda, ſculpenda ac edenda, nos humilimi Illuſtriſs. T. C. clientes, & operis & ſumptibus deſudauimus haud modicis. Quorum tamen omnium hoc vnum nobis ſolatium largiſsimum erit, ſi deuotum piumque noſtrum hunc gratulandi & gratificandi adfectum, ea, qua ſperamus, clementia acceptum eſſe intellexerimus. Pro qua clementia DEVS, *perpetuæ bonitatis fons & primæua origo, faſcibus regni tui floridiſsimi recens acceptis, diuinæ ſapiẽtiæ cælitus demiſsis radiis tam largiter benedicat, vt ſubditis, qui velut in numen quoddam ingenti ſpe oculos ſuos in Ill. T. Celſ. defixerunt, Pater: finitimis nationibus columen: ac toti deniq; orbi* CHRISTIANO *tutor ac Proſtates fidiſsimus ſis.* AMEN. *E nobili Francorum Emporio. 23. Martij An. æræ* CHRISTIANAE 1602.

Illuſtriſſ. T. Celſit.

Clientes humillimi.

THEODORI de BRY p. m. Vidua & bini Filij, IOAN. THEODORVS & IOAN. ISRAEL, ciues Francofurtenſes.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO
SALVTEM.

MIRACVLA Dei, candide Lector, profunda admodum, abſtruſa ac omninò imperſcrutabilia eſſe, præter rerum quotidianam experientiam, tam ex hac recenti noſtra, quàm alijs aliorum de rebus Indicis hiſtorijs editis, clariſſimè ac abundantiſſimè intelligi poteſt. Quæ certè vniuerſim hoc fine in lucem datæ ſunt, vt ex illis paſſim informati plurimi, tremendam Dei munificentiſſimi maieſtatem deuotè agnoſcere: Sapientiæ eius admirandæ profunditatē rimari: & deniq; diuinæ illius dextræ auguſtiſſima & auſpicatiſſima opera ſubinde magis magiſq́; extollere atq; deprędicare conētur addiſcātq;.

Quæ verò & qualia in hac hiſtoria præcipuè tractentur, ipſemet autor in præfatione ſua præcisè his verbis explicat, inquiens: Autorum quidem multi multa, eaq́ue varia de nouo hoc reperto orbe, Hiſpanorumq́ue in illo rebus geſtis, commentati ſunt. Cæterum, qui de primordijs ac primis quaſi incunabulis iſtius gentis, deq́ue orbis recentis natura, genio, ac proprietate exactius & velut ex fundamento tradiderit hoc ſeculo ne dum repertus quiſquam vſpiā eſt. Mihi quoq; nullus adhuc viſus liber eſt, in quo primænorum Indiæ indigenarum hiſtoriæ expediantur, aut terræ eius ſingularia excutiantur. Nam cum pleraque ex penitioribus Naturæ adytis oriantur ac emergant: ideò à veteribus nec capi facilè, nec literarum monumentis commodè tradi potuerunt. Nam quis de Zonæ torridæ abundanti humiditate, quicquam vnquam cōmentatus eſt? Quis de terrarum illarū exquiſita aëris temperie ſcripſit? Quis terram, quô ſoli propior eſt, eò crebrioribus imbribus obnoxiam exiſtere, edidit? Quæ certè omnia ſcriptores vniuerſi valdè ſicco pede tranſilierunt: quod vel Indicæ linguæ ignari, horum nihil ex Indorum cōmentarijs excerpere potuerint: aut prolixam iſtarum rerum tractationem ignauiores non affectarint, verum in ijs, quæ vtcunq; obiter acceperunt, breuiter ſaltem immorari ſtuduerint. Quibus tamen ego minime contētus, quæcunq; ſumma & accuratiſſima diligentia vndecunque colligere atque corradere, vel à peritiſſimis rerum ac ſapientiſſimis viris frequentibus inſtitutis colloquiis conquirere potui, augendæ, amplificandæ, expoliendæ, ac perficiendæ huic hiſtoriæ inſerere ex compacto operam dedi.

Itaque etſi nouus iſte quidem orbis, iam non nouus amplius ſed vetus ſit: hæc tamen eius deſcriptio propter inſerta noua, memorabilia & miraculoſa plurima, aliàs nunquam euulgata, noua optimo iure habenda eſt. Vniuerſum ſiquidem opus in ſeptem libros diremptum atq; diſtinctum eſt: quorum duo priores de cælo, deque aëre, ac horum natiuis virtutibus, temperamentis ac proprietatibus tractant. Tertius ac quartus de Elementis cæteris, ac plantis ſeu ſtirpibus, vt & de animalibus terreſtribus, aquatilibus ac aëriis tradunt. At tres reliqui libri de Indorum ortu ac religione, & Republica, belliſq́ue & ſimilibus alijs commentantur. Et hæc hactenus ex præfatione autoris.

Quibus ex verbis colligere licet, hoc opus propter plurimarum rerum exquiſitam deductionem & explicationem perfectum, ex imo fundamento veritatis vniuerſæ Indiæ Occidētalis proprietatem ac naturam ediſſerere atque extruere: non quidem, vt integra hîc hiſtoria tradatur, quomodo & quando Hiſpani eas terras occuparint, & quæ in eius expugnatione memorabiliora geſta ſint, cum ea omnia in Americæ noſtræ parte quarta, quinta, ſextaq́ue fuſius antè recenſita inueniantur: ſed vt ea ſaltem comprehendantur, quæ Indiæ ipſius naturam, rationemq́;, ac huius indigenarum regna, templa ac Reſpubl. concernant, quorum in libris prioribus obiter ſaltem mentio facta eſt, hoc verò fuſior ac

perfe-

perfectior deſcriptio ac deſignatio inſeritur. Quam nonam Americæ partem cum totius hiſtoriæ quaſi quoddam complementum eſſe peruideremus: eam artificioſiſſimis figuris ac tabulis etiam inſignitam voluimus, fore ſperantes, vt candido Lectori, ac rerum peregrinarum rararumque auido, ſtudium noſtrum ac labor, ſumptuſque (quos haud tenues impendimus) maximè probentur. Hanc enim qui hiſtoriam legit, is vel in thalamo ſuo cubans, vel in Muſæo oberrans, vniuerſam Indiam veluti peragrare, ac viuis oculis vſurpare poteſt: cum non ſaltem plenam ac perfectam eius deſcriptionem peruolitet; ſed & ſigillatim quaſlibet ciuitates, ac inſulas ad viuum depictas perluſtret ac contueatur.

Qua cauſa quoq; Omnipotens rerum vniuerſarum conditor ineffabili laude attollendus eſt, qui mortalibus tam præclaram artem ampliſſima dote impertiuit, qua ad viuum monſtrari ac exhiberi palàm ea poſſunt, quorum cognitione ne milleſimus quidem vti fruique poſſet, niſi ipſe immenſis ſumptibus, periculiſq; certiſſimis, ac laboribus duriſſimis itinera ea conficere vellet. Vbi id iuxta quoq; comprimis dolendum eſt, quod tam nobilis ac diuina ars teterrimo abuſu hodie plerunq; ijs ferè rebus impenditur, quæ aut ad nefandas libidines, aut execrabiles ſuperſtitiones (quarũ infinita hæc hiſtoria exempla promit) hominum otioſas mentes agant ac præcipitent. Nec enim vllum ferè in Romana Eccleſia feſtum, aut ſolennitas rituſque celebratur, cui ſimile quidpiam luridus Sathanas ſuperſtitioſis Indis illis non effinxerit ac præſtituerit: ſicut huius libri autor, Ieſuiticæ ſocietati addictus, manifeſtè id teſtatur. Quam ſanè ad rem effigiationis ac picturæ ars Indis haud parum contulit. Idola ſiquidem ac ſimulachra innumera illius ope effinxerunt, quibus quotannis innumera cæſis hominibus ſacrificia, ſpectaculo ſanè horrendo ac fœdiſſimo exhiberent.

Cæterum, cum in huius hiſtoriæ adornatione verſamur, ad manus noſtras cõmodè venit, Hollandica lingua deſcripta nauigatio quædam, quam Hollandi An. 1598. per fretum Magellanicum ſuſceperunt: quæ quidem hiſtoria lectu ideo digniſſima eſt, quod in ea mira, ac ærumnoſa ſors infinitáq; pericula adumbrantur, quæ Capitaneus Sebalt de Weert exantlauit. Qui cum biennio integro à patria exulans, continuis laboribus, dira fame, madore iugi ac naufragijs præſentibus obtritus eſſet, tandem infecta re ad ſuos reuerſus eſt. Quorum certè ex exemplo liquet, non indignã illam Indorum admirationem fuiſſe: qui cum Hiſpanos, America primum potitos, nudi auri argentiq; cauſa iſtuc allectos cognouiſſent: ſtultam eam audaciam rati ſunt, quod propter res tam leues ac contẽptas, tam longinquæ nauigationes, cum tantis tum opum tum corporũ impendijs ſuſciperentur. In huius nauigationis hiſtoria addidimus quoq; delineationes ſeu effigies, nonnullarum inſularum, ac ciuitatum, caſtrorumque, vt & velitationum quarundam ab Hollandis cum Luſitanis deſignatarum: & tandem etiam habitus expreſsimus illorum Indorum, quos in tranſitu Hollandi viderunt.

Spem autem nobis certiſsimam facimus, Lectorem beneuolum impenſum noſtrum laborem ſumptúmq; tanto fauore applauſuque probaturum eſſe, vt illius indicio ad maiora ac plura quoque, alio tempore in lucem edenda inuitemur ac adducamur. Deo, rerum omnium creatori ac ſeruatori ſit laus, & honor, & gloria in ſeculum, AMEN.

DE NOVI ORBIS NATVRA ET RATIONE,

LIBER PRIMVS.

Cap. I.

Fuiſſe nonnullos, qui noui orbis cælum, ceu fabuloſum, ex omni natura rerum exterminarint.

ANTIQVORVM haud pauci, ſuis ducti opinionibus ſtatuerunt, in nouo reperto orbe planè nullos habitare homines. Multi etiam eò abrepti ſententiæ fuerũt, vt hac mundi parte ne vllam quidem terram aut regionem collocatam arbitrarentur. Quod verò maximum eſt, nonnulli cælũ hoc, ſub quo hîc nos degimus, planè cõmentitium & fabuloſum eſſe, profeſſi ſunt. Etſi verò ex aduerſo horum, aliqui, adeoq; ex grege philoſophorum præſtantiſſimi acutiſſimiq; prægnantibus rationibus, cælum ſphæræ, ſeu globi figuram (vt reuera habet) obtinere demonſtrarint: nihilominus tamen, quaſi ex compacto hos redarguentes quidam, autores ſanè dignitatis maximæ, contrarium omninò aſſeruerunt, docueruntq;, vniuerſum hunc mundum domui potius cuidam ſimilem eſſe, quæ vnica ſaltem, eaque ſuprema parte, non verò vndiquaque tecto obducta ſit; præter omnem rationem id ſtatui putantes, quod terræ immẽſa moles in medio aëre quaſi ſuſpenſa libretur; Cælum verò, ceu ædificij tectum à terra, vt fulcro & ſuſtentaculo ſuo, quàm longiſſimo interuallo diſſeptum & auulſum diſtet. Sed & præ cæteris Ioannes Chryſoſtomus in commentariis ſuper Epiſtolam ad Hebræos editis, aliquoties ſententiam eorum altiſſimè ridet, qui cælum rotundum & ſphæricum finxerunt, pretendens, ſacram ſcripturam, tabernaculi potius cuiuſdam, à Deo formati & conditi mentionem facere. Qua adducta ſententia illud aſſerere velle videtur, quaſi cælum haudquaquã moueretur, Sol verò & aſtra cætera volucrum more per aëra ferrentur, nec vt rotæ radij circa axem ſuum in orbem voluerentur. Huic Diui Chryſoſtomi ſententiæ Theodoretus Cyrenſis quoque aſtipulatur, vnà cum Theophylacto, idem argumentum firmiter vbique tenente. Lactantius autem, qui ætate his omnibus

Chryſ. hom. 14. & 27. in Epiſt. ad Hebr. c. 8.

Idem hom. 6. & 13. in Gen. & Hom. 12. ad pop. Antiochen.

Theodor. & Theophyl. in comment. ad Hebr. 8.

 bus

Lact.3.lib. diuinar. inſt. c. 24.

bus prior eſt,in ſuis diuinarum inſtitutionum libris,æquis rationum momentis expreſsè Peripateticorum & Academicorum Philoſophorum opinionem explodit, qui de motu & figura cæli orbica priuatum quid ſentire auſi ſint: ſententiam Epicuri, qui terram hanc immenſum Chaos quoddam ſtatuit, longè ſaniorem & perceptibiliorem agnoſcens. Quin imò re propius conſpecta Diuus quoque Hieronymus id tangere videtur,dum ſcribit hæc ferè verba:

Hier. libr.2. in epiſt.ad Epheſ. in c.4.

„ Phyſicus perſcrutator oculos trans cælum leuat, & vltra profundum terrarum & abyſſi quoddam inane demergit.

Sixtus Senen. libr.5. Biblior. annot.3.

De Procopio tradunt, eum in commentariis ſuper Geneſin Ariſtotelis ſententiam de cæli figura & motu circulari (quæ opinio præter autoritatem S.literarum ſit) explicitè fouere & defendere: cuius tamen me ſcripta nunquam legiſſe citra pudorem fateor. De quorum omnium autorum tàm diſſentanea opinationum cōflictatione ideò me leuior admiratio ſubit, quod pro conſtituto ſit, eos longè grauioribus & ſublimioribus rebus occupatos, Philoſophica iſtis demonſtrationibus & ſubtilitatibus non vſque adeò vacare potuiſſe. Saltem de Auguſtino id admirari liceat, qui, cum doctrinæ naturalis,vt Phyſicæ & Aſtronomiæ arcanorum peritiſſimus fuerit, nihilominus tamen de hac re vbique hæſitat, & vtrum terra circumcirca à cælo ambiatur,dubia pronunciatione nutat:

Aug.libr.2. ſuper Gen. c.9.

„ Quid ad me pertinet, inquit,vtrum cælum,ſicut ſphæra vndique concludat terram in media mundi mole libratam,an eam ex vna parte deſuper velut diſcus operiat? Eodem ipſo autem loco,quo hæc ſcribit,cæli figuram omninò ſphæricam eſſe, ſimul expreſsè fatetur: & tamen de eius motu circulari ſententiam,vt incertam & penitus ambiguam, tum ibi tum alibi,viciſſim promulgat.

Cap. II.

Cæli figuram vndiquaq; rotundam eſſe, & illud in ſeipſum reuolui.

VETERIBVS autem, propter hanc potiſſimum cauſam id meritò donandum eſt, quod, dum in Creatoris ſui cognitionē cultumq; verum penitus incubuerunt, de creaturis eius, numero & cognitione,propè infinitis, errare & ambigere facilè potuerint. Rerum verò mundanarum ſcrutatores, qui ingenij ſui ala eô cognitionis prouolarunt, vt & quid mundus eſſet, reuera ſciuerint, & vniuerſi huius ordinem naturamque certis argumentis & regulis præciſè comprehenderint, hac potiſſimum cauſa infelices cenſendi ſunt, quod ad ſola Dei externa opera attendentes, creatorem ſuum cognoſcere aut penitus nō laborarunt, aut eum cognitum iuſto cultu non

Sap.13.

tu nõ venerati. Sed in vanis ſuis cogitationibus deridiculi facti ſunt. *Rom.1.* Ipſe quidem Ariſtoteles cum aſſeclis Peripateticis, qui in hoc cum Stoicis faciunt, de figura & reuolutione cæli huiuſmodi tradidit, *Plutarch. de Plac. Philoſ. li. 2. c. 2.* quę nos in hiſce regionibus multò clarius & certius ipſis contuemur oculis, quàm vt eadem ex præceptis & regulis diſcere poſſimus philoſophicis. Atque adeò quidem, cælum ipſum globoſa figura conditum formatumque, terram ipſam ex omni parte cingere & ambire, à nemine quoquam niſi cum certo pudore & confuſione negari vel poteſt vel debet. Eam enim nos hodiè terræ partem ſpectamus, quæ veteribus omninò inconſpecta fuit. Præterea, vtroſque nonnunquam mundi vertices, ſeu polum tàm Borealem quam Auſtralem (de qua re Diuus Auguſtinus valdè dubitabat) videre nobis contingit, *Auguſt. libr. 2. Gen. ad lit. c. 10.* quotieſcunque nauigantes lineam æquinoctialem tranſmittimus. Quin imò, nos 60. gradus tàm cis quàm vltra lineam æquinoctialem pronauigauimus, vt reliquos hoc loco ſiletio tranſiliam, qui longinquioribus nauigationibus 70. gradus verſus ſeptentrionem attigerunt. Sed & nauis quædam, Victoriæ nomine inſignita, velis vniuerſam terram obiuit, & hoc facto veterum opinionem, quaſi terra immenſum quoddam & inane Chaos eſſet, vt erroneam falſamque infregit. Eius nauigationis duratione nautæ Oceani magnitudinem dimetientes, indubitatis quaſi veſtigiis quibuſdam terram, licet vaſtam, attamen Oceano longè minorem depreſſioremq́; obnotauerunt: id quod ceu nouum præter multorum fidem eſſe poſſit. Ex quibus hactenus recenſitis omnibus audacter concludimus, cæli figuram orbicam, & perfectiſſimam omnium eſſe. Terræ autem & aquæ, quæ ſe inuicem quaſi bracchiis complectuntur, collectus globus, ex omni parte ſenſibilis, ſua certa dimenſione conſtat, cuius extrema & termini omninò ambiri & comprehendi queunt: Quod ipſum non tantum Philoſophicis & Aſtronomicis argumentis, veluti tecmeriis quibuſdam indubitatò demonſtrari, ſed & veluti digitis intentis manifeſtè oſtendi poteſt. Nam vt hîc accuratiores & ſubtiliores demonſtrandi vias declinemus, qualis præcipua ea eſt, quod perfectiſſimo corpori figura quoque debeatur perfectiſſima: id hoc loco ſaltem exempli gratia conſtitutum ſit, motum ſcilicet in orbem factum, minimè æqualem aut ſibi ſemper cõſtantem eſſe poſſe, ſi in angulum fiat: quod ipſum tamen neceſſariò eueniret, niſi Sol cum cæteris aſtris omni ſua parte circumageretur aut conuolueretur, ſed alicubi in latus intorqueretur & inflecteretur. Huius ſanè rei vel vna Luna nobis teſtis eſſe poſſit locuples, quæ tum demum deficit & obſcuratur, quoties ipſe terræ globus intra hanc & ſolem ſe medium interiicit, & ſolares radios Lunam illuſtraturos denſitate ſua intercipit. Id quod nullo pacto fieri poſſet vſpiam, niſi terra ceu centrum in medio locata, orbibus cæleſtibus vndiquaque obuoluta & cincta eſſet. Sunt quidem

Aug. epiſt. 109. c. 4. nonnulli, qui, an Luna lumen ſuum à Sole mutuetur, haud obſcurè dubitent. At iſtorum dubitatio temeraria eſt. Nam quid noctem obſecro conſtituit aliud, quam terræ vmbra, à Sole ſeſe infra globum eius recipiente, relicta? Quod ſi Sol non infra terram deuolueretur, nec ſe aliquantiſper abſconderet dum recens iterum prodiret, ſed potius verſum in angulum quendam impelleretur: tum certè, terram à cælo diſci ſeu quadræ modo integi aut obduci, nec orbis aut pilæ forma ambiri, neceſſariò conſequeretur: Quo dato, cõficeretur iterum, noctes à Sole, nec longiores, nec breuiores, nec vllo pacto æquales conſtitui in quibuſdam locis poſſe. Illud autem, quod Diuus Augu- *Aug. lib. 2. de Gen. ad lit. c. 10.* ſtinus ſcribit, quod omnes conuerſiones, oppoſitiones, depreſſiones, aſpectus, & ſimiles aliæ ſiderum affectiones, nihilo incommodius fieri poſſint, etſi cælum ipſum quidem per ſe immobile perſtet, in eodem verò ſola aſtra ſeorſim moueantur: id illi quidem, cui quiduis fingendi & imaginandi licentia eſt, captu haud eſt difficile. Verum eodem exemplo quoque comminiſci liceret, vniuſcuiuſlibet aſtri corpus à peculiari Angelo ſeorſim proferri, non ſecus ac Habacuc ſimili latione traiectum in Babyloniam legimus. Et quis vſpiam tàm animi hebetis, aut iudicij corrupti eſt, qui huiuſmodi variationes omnes non intelligat ad eius arbitrium fieri poſſe, qui illorum ita præſumptus motor ſit? Quorum tamen nihil ita concludi poteſt, ab illis, niſi regio illa cæli, per quam aſtra commeant, elementalis adeóque corruptioni obnoxia ſtatuatur: Siquidem per vacuum ſeu inane moueri minimè poſſunt. Iſto conceſſo, ipſa quoque aſtra ſecundum naturam ſuam corruptibilia erunt, quæ tandem temporis decurſu alterationem patiantur & deſtruantur: quod tamen contra æternitatem eorum manifeſtè pugnat, quam DOMINVS, creator illorum, (ſpalte atteſtante) primitus ipſis indidit. *Pſalm. 148.* Sed & idem contra expreſſam Dei ordinationem, adeoque rerum omnium prouidam conſeruationem manifeſtè pugnat. Quod ſi quis has rationes fors vili pendere volet, is tamen oculorum teſtimonio refragari nullo modo poterit, quorum beneficio & intenſione non ſolùm aſtra veriſſimè rotari & circumuolui videmus, ſed & ipſum cælum vniuerſum, non ſolùm partes eius lucidas, qualis è cæteris eſt via lactea, verum & nõnullas alias, tenebricoſas nimirum & obſcuras, in orbem agi contuemur. Siquidem inſignes quaſdam cælo impreſſas maculas alicubi mihi videre contigit, quas dum in Europa degerem, nuſquam me notaſſe memini, quæ Lunæ, Eclipſin patientis, imaginem eminus exprimunt: vnde indubitata experientia obſeruare didici, maculas eaſdem perpetuò & indeſinenter cum ipſis aſtris quibus conſertæ ſunt, reuolui & in orbẽ cieri. Ex quo verò principio (vt ſic loquar) iſtæ cæli maculæ naſcantur, ſi meam quis roget ſententiam: eius proferendæ licentia data, ſtatuere nihil poſſum aliud, quam quod, ſicut firmamenti ſeu ipſius cæli corpus denſius, quatenus illuminatur, Gala-

xiam

xiam conſtituit, ſic viciſſim partes eius rariores & magis diaphanæ,
cum lumen fundant debilius, atriores appareant. Sed, quacunque
tandem à cauſa huiuſmodi maculæ emergant; accurata tamen & di-
ligenti obſeruatione, aſtra ipſa cum ſuis orbibus indiuiſim iuſtoque
ordine progredi, irrefragabiliter notatum eſt. Adeò vt citra impieta-
tem haud à quoquam vſpiam, orbes cæleſtes terram ipſam vndiqua-
que includere, & in ſeſe ipſos aſſiduò reuolui, negari queat.

Cap. III.

*Terram in mundi medio ſuſtineri, ſacrarum quoque lite-
rarum teſtimonio confici.*

QVÆ de terræ loco, & cæli reuolutione hactenus à no-
bis fuſius commemorata ſunt, ipſarum quoq; ſacra-
rum literarum autoritati conſentanea, probari facilè
poſſunt. Nam vt hîc breuitatis ſtudio taceam, quod *Heſt. 13.*
in iſtis frequenter terrarum orbis mentio fiat: quod
omnia cætera corpora à cælo contingantur: quid Ec- *Cap. 1. v. 5.*
cleſiaſtæ ſententia planius & luculentius inueniri poteſt? Oritur Sol, "
inquit, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gy- "
rat per meridiem, & flectitur ad aquilonem: luſtrans vniuerſa in cir- "
cuitu pergit Spiritus, & in circulos ſuos reuertitur. Quæ ſententia ſe- "
cundum paraphraſin Gregorij (ſiue is Nazianzenus ſiue Neocæſa-
rienſis fuerit) ita habet: Sol, vniuerſam terram poſtquam obiuit, con-
uerſus ad eundem terminũ ſeu punctũ circumuoluitur. Quod ſanè
nulla fieri ratione poſſet, ſi terra vlla parte cælo excluſa eſſet. Porrò & *Hier. lib. 2. in*
Diuus Hieronymus in explicata Epiſtola ad Epheſios his ferè verbis *Ep. ad Eph. c. 3.*
ſcribit: A pleriſque iuxta Eccleſiaſten affirmatur, cælum rotundum "
eſſe, & ſphæræ modo reuolui: Sed eius tamen rotunditas nec latitu- "
dinem nec lõgitudinem, nec altitudinem, nec profunditatem habet, "
ſed ſecundũ omnes ſui partes coæqualis eſt, &c. Quibus verbis Hie- "
ronymus nihil aliud velle videtur, quàm quod maxima ſanctorum
interpretum pars, iuxta tenorem ſacrorum Bibliorum mundum or-
bicularem ſeu ſphæricum ſtatuerit. Etſi verò Baſilius, & qui huius in- *Baſil. hom. 1.*
terpres eſt, Ambroſius in Hexam. dubij nonnihil obhæreant: nõ ob- *Hexa. prope fi-*
ſcurè tamen in hanc ſententiam, mundum videlicet eſſe ſphæricum, *nẽ. Ambr. lib. 1.* *Hex. c. 6.*
inclinant: nec Ambroſius quicquam aliud, quam quintam vocatam
eſſentiam, ab Ariſtotele cælis aſcriptam, reprehendit. Porrò mirum
eſt, qua elegantia & venuſtate de ſitu & firmitudine terræ, vt & de in-
effabili virtute, ſapientia & maieſtate creatoris eius, ſacra pagina lo-
quatur, ſaltem vt illarum rerum penſitatio nos in ſummam admira-
tionem adducat, & nos ex creaturis illis mirificis ſumma oblectatio-
ne perfundamur. Dicit enim aliàs Iehoua, quod columnas terræ ſuf- *Pſalm. 74.*

 funda-

fundauerit & confirmauerit; nimirum vt inde intelligamus, quod immenſa hæc & vaſtiſſima moles dextra potẽtiæ diuinæ ſuſtentetur, ſicut id eleganti narratione Diuus Ambroſius explicuit. Pagina quidem ſacra nonnullibi fulcra cælo ſubſtructa eſſe ait. Quo verbo non illa Atlantis ſuſtẽtacula, à Poëtis ipſi aſſignata, ſed potius ipſiſſimum verbum Iehouæ, ſua potentia hæc omnia ſufferentis & moderantis, intelligendum ſupponit. Sed & terram elemento aquæ adhærere, & ab eo magna ex parte circumdari, valdè ſapienter eadem aſſerit. Nam, „ firmauit, inquit, terram ſuper aquas, & orbem terrarum ſuper maria „ fundauit. Quanquam Diuus Auguſtinus verba hæc (ſuper aquas) in aliũ ſenſum detorquere conetur, ne ſcilicet rata & in ſacris literis confirmata illa opinio habeatur, quod terra aquæ commixta in medio mundi ſuſpenſa hæreat. At enimuerò ſenſus verborum Pſalmi tàm clarus & perſpicuus eſt, vt nulla interpretatione contraria obſcurari poſſit. Vult enim expreſsè, terram à nullo alio quàm aqua fulciri: quæ etſi ſuapte quidẽ natura fluxilis, loco facilè moueatur, nihilo tamen minus ſingulari Dei ſummi & ſapientiſſimi Architecti prouidentia vaſtum hoc terræ opificium firmum & immotum ſuſtineat. Terra quidem ipſa ſuper aquis fundata ſcribitur. Veruntamen, ſi exactius loqui conſilium ſit, potius ſub aquis eadem conſtituta eſt. Nam prout cogitatio ſeu imaginatiò hominis eſt, illud, quod terræ à nobis habitatæ ex altera parte oppoſitum eſt, reſpectu eo non niſi infra terram poſitum eſſe videtur: ideoque nos aquas & ipſum immenſum mare ex aduerſo terrę, eidemque ſubiacere imaginari ſolemus, cum tamen ibidem nihil aliud, quàm mundi pars dimidia locetur. Sacra ergò pagina pro communi hominum opinione loquitur. Iam ſi quis ſciendi cupidus vlterius quærat, cuinam tandem fundamento ingens & vaſtiſſima illa terræ mariſque machina innitatur: huic plenius rem „ intellecturo ſimul & admiraturo eadem ſacra ſcriptura ita reſpon„ det: Extendit aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum. Quæ verba nerui ſanè & ſapientiæ habent quamplurimum. verè enim terra de nihilo ſuſpenſa eſt, & eadem cum aquis commixta in medio aëre libratur. Arduum hoc miraculum Deus cordibus hominum multò illuſtrius & ſublimius præfigurat, cum ad Iobum ita loquitur: Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Indica „ mihi, ſi habes intelligentiam? Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti? vel „ quis tetendit ſuper eam lineam? Super quo baſes illius ſolidatę ſunt? „ aut quis demiſit lapidem angularem eius? Vt ergò pulchritudo & venuſtas huius ædificij omnibus mortalibus innoteſceret, diuinus ille diuinorum operum ſpeculator & myſtes Dauid, in eo Pſalmo, quem „ de hac re deuotiſſimè meditatus eſt, his modulis cecinit: Qui funda„ ſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Hæc nimirum cauſa eſt, cur terra, mole & pondere immenſa, ac in medio aëre pendula, nec ruat vſpiam nec quoquam nutet, quod videlicet

Lib. 1. Hexa. c. 6.
Iob 9. & 26.
Hebr. 1.
Pſal. 135. 23. & 24.
Aug. in Pſalm. 135.
Iob 26.
Iob 38.
Pſalm. 103.

delicet natiuæ ſuæ firmitatis aut ſtabilitatis fundamenta certiſſima habeat, à ſapientiſſimo rerum omnium creatore ſibi parata, vt in ſeſe ipſa ſtabilis conſiſteret, nec quoquam alio extraneo adminiculo vnquam egeret. Humanas ergò cogitationes quam longiſſimè errare neceſſe eſt, quotieſcunque diuinorum operum maieſtatem, ad rationem captumque humanum metiri ſatagunt. Nec cuiquam opus eſt metuere, vt, licet in medio aëre ſuſpenſa terra libretur, propterea huc illúcve labaſcat. Non enim, vt pſaltes ait, in ſeculum ſeculi inclinabitur. Non ergò immeritò Regius Propheta, poſtquā admiranda Dei opera quaſi ex catalogo recenſuit, & collaudauit, in hunc hymnum e-„ rumpit: Sit gloria Domini in ſeculum, Lætabitur Dominus in operi-„ bus ſuis. O quàm magnifica ſunt opera tua Domine; omnia in ſapi-„ entia tua feciſti, & plena eſt terra operum tuorum. Quotieſcunque mihi diuerſis nauigationibus peregrinanti immenſam vaſtitatem magni Oceani, vel etiam portentoſam hanc mundi machinam contemplari licuit, non ſaltem ex iſto rerum aſpectu ingenti gaudio voluptateque perfuſus, verum etiam vniuerſa hominum, quantumuis regia opera, cum iſtis diuinæ manus opificio extructis collata, viliſſima & abiectiſſima pronunciare coactus ſum. Et ſpectaculorum iſtorum ſeria meditatione abreptus, ſæpiſſimè in hæc verba erupi: Dele-„ ctaſti me, ô Domine, in factura tua; & in operibus manuum tuarum „ exultabo. Et, vt, quod res eſt, fatear, neſcio equidē, quid ſecretæ & ab-„ conditæ maieſtatis diuina omnia opera in ſeſe cōtineant, cum, quò frequentius & intentius ea contueamur, plus ſemper nouæ voluptatis mentibus noſtris refundant: cum contrà humana opera, quantumuis præclariſſima & ſubtiliſſima, ſi crebrius aſpiciantur, facilè diſpliceant, & ſui contemptum in nobis excitent. Quod ſi hortos amæniſſimos, aut templa auguſtiſſima, arces ſuperbiſſimas, aut effigies vel dædala manu artificioſiſſimè exſculptas iterum atq; iterum quis ſpectauit: Aſpectu illorum vſque adeò conſatiatur, vt ne oculos quidem deinceps admouere ſaturos dignetur. Mare autem, & in eo prominentes vaſtos ſcopulos, aut floribus vernantia prata, aut flumen aliquod prærapidum, aut implacidum, & horrendum vorticem, cum ſaxis perpetuo colluctantem & mugientem, & cætera huius generis ſpectacula, ſi quis cominus contueatur, ſemper noui quid in illis reperiet, & voluptatem ſingularem capiet, tædio omni ſepoſito: vt rerum illarum meditatio inexhauſtæ cuiuſdam ſapientiæ ſuaue quoddam conuiuium eſſe videatur planiſſimè.

Pſalm. 104.

Pſalm. 91.

Cap.

Cap. IV.

Solutio eorum, quæ contra cæli rotunditatem ex ſacris literis depromuntur.

IAM ad mundi figuram reuertor: quam non eſſe perfectè rotundam, neque cælum in ſeipſum conuerti, neſcio equidē quibuſnam ex ſacrarū literarum verbis
Hebr.8. quidam euincere conati ſint. Quòd enim D. Paulus » cælum vocat tabernaculum, quod fixerit Dominus & non homo: non video quid id ad hanc rem faciat. Nam, etſi quidem Deus tabernaculum extruxiſſe legatur: nō tamen id ita accipiēdum eſt, quaſi terra, ſua natura immobilis, ex vna ſaltem parte deſuper intecta cælo ſit. Vbi enim Apoſtolus ſimilitudinem tabernaculi veteris teſtamēti tractauit, vnà docuit, tabernaculum noui teſtamenti eſſe ipſum cælum, in quod ſummus pontifex noſter, IESVS Chriſtus in ſanguine ſuo ſemel ingreſſus ſit: quod illo veteris teſtamenti tabernaculo tantò præſtātius ſit, quantò Deus, illius conditor, homine veteris conſtitutore, melior maiorque ſit. Et tamen interim vetus tabernaculum ſine Dei ſapientia & ordinatione nullate-
Exod.36. nus factum eſt, quæ deinde Beſeleelum hunc impleuit. Quin imò ſimilitudines, parabolas, & Allegorias non præciſè ad literam intelli-
c.20. in Matt. gendas venire, ipſe quoq; Diuus Chryſoſtomus, vir conſummatæ eruditionis, planiſſimè monſtrauit. Porrò autem, quod pro nonnullorum opinione Diuus Auguſtinus contra cæli rotunditatem hunc
Pſalm.103. » Pſalmi contextum: Qui extendit cælum ſicut pellem, obiicit, quaſi inde cælum non rotundum, ſed conuexa parte planum eſſe ſequere-
Aug.2.de Gen. c.9. tur: ex eodem ipſo ſancto Doctore facili negotio monſtrari poteſt, quod per adducta verba nō ipſam cæli figuram intendat aut faciem: ſed quod potius hoc velit, fuiſſe Deo immenſum hoc cælum fabricare tàm facile & promptum, quam procliue nobis eſt, conuolutā aut cōplicatam pellē pandere vel explicare. Aut illud dicendū eſt quoq;, facta hæc eſſe verba, ad diuinæ habitationis maieſtatē innuendam, vt, quod nobis tabernaculum è pellibus eſt, idem Deo ſit cælum, vſque adeò magnificum & durabile. Quod ipſum poëta quidem hemiſtichio curto elegāter ſimul & breuiter exprimere voluit, canens,
Eſa.66. Nitidi tentoria Cæli. Quale & illud Prophetæ eſt; Cælum mihi ſedes, Terra autem ſcabellum pedum meorum. Iam ſi Anthropomorphitarum ſimiles eſſemus, difficilis quæſtio moueri poſſet, quo id fieret modo, vt, cum Deus omnia impleret, terram tamen pro ſcabello pedum ſuorū haberet, quæ ipſa in medio mundi conſiſteret. Sic etenim neceſſe eſſet, & Dei pedes ſibi ipſi oppoſitos eſſe, & capita illius plura comminiſcenda forent. Quæ tamen omnes nugæ ad riſum potius & cachinnum, quam ſeriam & ſobriam diſputationem cū ſpectent,

ſatis

ſatis nobis ſit,in ſacris libris non literam nudam, quæ occidit, verum ipſum Spiritum potius,qui viuificat,quærendum eſſe.

Cap. V.

De Conditione Cæli Antarctici.

PASSIM per Europam multi quærũt, quæ Cæli huius auſtralis facies aut ratio ſit, cum ea de re veteres Aſtrologi nihil commentati ſint. Qui etſi intentis ſpeculationibus eò quidẽ vſq; pertigerint, vt cęlum meridionale reuera eſſe, exploratè nouerint: quæ tamen eius genuina facies ratióve ſit, aſſequi nõdum potuerunt. Canopum quidem, ſtellam vt lucidiſſimam, ſic maximã ex iis, quæ *Plin.lib.6.c.22.* apud nos conſpiciuntur,admodũ deprædicant. Et qui ex literatis noſtratibus mare ſulcauerũt,de cælo & ſtellis tùm plurimis tum ingentibus,nobis conſpicuis,multa cõmemorant. Ego verò & multò plura,& lucidiora & maiora circa polũ Antarcticum cõſpici aſtra haud dubitãter aſſero: aioq;,quæ hic à nobis ſpectantur, ſtellis meridionalibus,& iis,q̃ à poëta Vergilio nominantur,haudquaq̃ præferenda eſſe.Ex cæteris autẽ ſideris eius,ꝙ crux dictum quatuor lucidiſſimis, & à ſe inuicẽ certis interuallis, crucis in modũ diſtat, ſplendor & ſpecies pulcherrima eſt:ꝙ aſtrum quidam rerũ imperiti & ignari polum Antarcticum ſtatuunt, ꝙ nautas curſum ſuum ſecundũ illud moderari & tenere obſeruant: ſicut vltra æquinoctialem metã tenent polum Arcticum.Hoc autẽ hac de cauſa ita fit,quia polus Antarcticus à nulla fixa & notabili ſtella nautis deſcribitur. Ideoq; eos illi proximam aliam captare neceſſe eſt,q̃ pedem Cruſeræ nominãt, quæ, vt à peritiſſimis nautis accepi, à polo gradibus circiter 30 diſtat.Dimenſionis ergò in hoc hemiſphærio ratio multò difficilior eſt. quoniã ad ſtellam hanc curſus exactè dirigi non poteſt, niſi rectà in vertice ſit, quod ſemel in nocte euenit. Sed & eadem diuerſis anni tẽporibus diuerſum ſitum obtinet: & quod nauigationes multò laborioſiores facit, hoc eſt, quod maxima anni parte de nocte Zenith exactè non aſſequitur. Ideoque induſtrij & prouidi gubernatores prope ſolem meridianum punctum quoddam iuxta aſtrolabicum inſtrumentum ſeorſim annotare conſueuerunt. Hac in arte quidem Luſitani peritia cæteros mortales omnes exuperant: Vt qui & ingenij acumine, & longis diuturniſque nauigationibus omnium ſunt peritiſſimi.Sunt autem ibi & alia quædam tùm maiora tũ ſplendentiora aſtra, quæ poëtarum Helicam & cynoſuram æquant.Lacteæ quinetiam viæ excurſus lucidiſſimis, & maculis nonnullis de quibus ſuprà diximus, inſigniter diſtinctis hoc loco obſeruatur. Sed hæc & alia alij vberius penitiuſque explorent: nos hic contenti iam ad alia diuertamus.

Cap. VI.

Quod iuxta vtroſque mundi polos tùm terra tùm mare ſit.

FIRMIS & irrefragabilibus argumentis hactenus demonſtratum eſſe arbitror, non ſoli Europæ, ſed & Aſiæ Africæque cælum diuinitus datum eſſe, nosque omnes ac omnia ab eo integi. Hoc iam pro illis facit, qui hinc in Hiſpaniam contendunt: quibus patria ſua aſſiduò in ore eſt, & econtrà mirantur, imò indignantur, quod noſtra nobis æquè patria non curæ cordiq; ſit, vt in illa vitam & degamus & ponamus. Contra hos nos ſuperius dicta contorquemus, reſpondemusque, nobis in Europam reuertendi ideò non animum eſſe, quod cælum Americæ tàm videamus propinquum & beneficum eſſe, quam Europæ. Quanquam verò cælum vndiquaque terram includat, non tamē inde continuò, terram quoque vbique locorum eſſe, conſequitur. Siquidem, cum ex duobus elementis, terra nimirum & aqua, vnus globus conſtituatur, quod & ipſum antiquorum ſapientiſſimi ita crediderunt, & demonſtrationum momentis firmiſſimis confecerunt: in hanc iure merito concedendum ſententiam eſt, mare quoquouerſum ad polum Antarcticum diffuſum, nec ibi terræ loci quicquam relictum eſſe: quod ipſum Diuus Auguſtinus contra eos præclarè diſputat, qui Antipodas in naturam inuexerunt. Is, Non attendunt, inquit, etſi figura conglobata & rotunda mundus eſſe credatur, ſiue aliqua ratione monſtretur, non tamen eſſe conſequens, vt etiam ex illa parte ab aquarum congerie nuda ſit terra. Quod verè & probè dictum eſt. Id enim neceſſariò ex mundi rotunditate conſequitur. Contraria verò opinio ratione nulla refelli opus habet, cum experientia ipſa iam dudum rem & dubitationem planam fecerit. Aquæ elementum quidem, etſi huius globi partem quam maximam conſtituat: nihilominus tamen alicubi terræ cedit, adeò, vt nec hoc latere ſola aqua, nec illo mera terra ſit, Sed mutuis extenſionibus in totum permiſceantur, & vnum aliud mutuis quaſi bracchiis interſertis vndiquaque complectatur. Qua re ſanè admirabili, immenſa induſtrij architecti Dei ſapientia hominum oculis præfigitur. Scripturæ ſacræ autoritate fideque notum eſt, initiò aquas vno quodam loco collectas fuiſſe, & extra hanc terram ſe protinus protuliſſe. Sed eadem nos quoque docet, congeriem iſtam aquarum nominatam eſſe maria, quæ citra dubium plura fuerunt. Nam & mediterranea maria plurima ſunt, ceu Euxinum, Caſpium, Erythræum, Perſicum, Heſperium, & ſi quæ alia ſuis appellationibus diſtincta, & terminis diſcluſa ſunt: Et Oceanus ipſe Magnus, in ſacro libro Abyſſus dictus, quamuis reuera vnus eſt, attamen & locis & appellationib. multiplex eſt, veluti in Ame-

Hieronym. ad Paulin. Et de Hieroſolymis & de Britannia æqualiter patet aula cæleſtis.

Vide Plut. lib. 3. de Plac. Philoſ. c. 9. 10. & 11.

Libr. 16. de ciuit. Dei. c. 9.

Gen. 1.

in America hac videre licet. Alius enim Oceanus eſt Borealis, alius Auſtralis, alius Orientalis, qualis eſt Indicus, alius Synenſis. Mihi autem tum longinquarum nauigationum beneficio, tum aliorum peritiorum inſtitutione probè compertū eſt, terram nullo vſpiam loco à mari vltra 24000 ſtadia ſeu leucas Hiſpanicas mille diſtare: atque adeò altiſſimū mare, quo loco latiſſimè panditur, ſupraſcriptam tamen menſuram non exuperare. Non equidem eo inficias, Oceanum ipſum multò longius ſulcari poſſe, cum certa experientia conſtet, claſſes Luſitanicas metam quadruplo porrectiorem attigiſſe, & noſtro quoque hoc ſeculo totum Oceanum feliciter circumnauigatum fuiſſe. Hoc ſaltem aio, hactenus diligenti obſeruatione notatum eſſe, continentem à continente aut inſulis, ac terram à terra alia, vbi ſeſe quamproximè contingunt, nuſquam maiore ſpacio diſcreta eſſe, ſi ab vna ad aliam recta linea ducatur. Inſulæ enim fortunatæ, cum aliis pluribus, illa regione locoque conſpicuis, ab vltima Europæ Africæque parte 300 ferè Leucis diſtant. Ab his deinde, ad Indiam Occidentalem tendentibus, poſtquam Leucæ 900 exuperatæ ſunt, Inſulæ Dominica, Virgines, & Beata dictæ cum aliis nonnullis occurrunt: quæ longo ordine protenſæ ad inſulas vſque nautis Barlouenti dictas, exporriguntur. Ab his porrò continens 200 Leucis circiter abeſt: vbi tandem ſe pandit regnum Floridæ, immenſo interuallo ad regiones Patagonum vſque diſtractum. In Oceano autem hoc Auſtrali, terra à freto Magellanico vſq; ad promontorium Mendocinum excurrit, nuſquam tamen latior, niſi hîc in Peru, quo loco iam degimus. Huic ex aduerſo poſita eſt regio Braſiliæ, 24000 circiter ſtadiis à nobis diſtans. In hoc eodem Oceano, ab indigenis Mar Del Sur vocitato, etſi fines quidem nulli certi ſciantur: attamen haud ita pridem & multæ & magnæ inſulæ in eo detectæ ſunt, quæ Salomonis dictæ, ab America 800 Leucarum ſpacio diſſitæ ſunt. Cum verò in totius terræ dimenſione diligenti indagine obſeruatum ſit, vix vnquam magnas & multas repertas inſulas fuiſſe, quibus non illicò continens, quædā propinqua adhæſerit: hac de cauſa tum mihi, tum aliis omninò perſuaſum eſt, à prædictis inſulis Salomonis quandam continentem admodum latam diffuſamque haud longè abeſſe, quę cum hac America ex latere Occidentali cōnectatur, & forſan ad fretum Magellanicum declinet. Nam & Guinæam nouam aiunt continentem eſſe, quam doctiores & peritiores quidam prædictis inſulis annumerant. Ex quibus hactenus dictis haud ineptè cōcludi poſſit, magnam orbis partem latentē nobis adhuc incognitam eſſe. Noſtræ quidem claſſes hodiè in Auſtrali mari ad celeberrimum & potentiſſimum regnum Chinæ vſque excurrunt, q̄ diſtantiam non maiorem æſtimāt ea, quæ eſt Europæ & Indiæ Occidentalis, à nobis nauigatione tentatā. Quin imò certiſſimis documētis exploratum eſt, vtrumque Oceanum, tàm Borealem q̄ Auſtralem tandē ſibi coniungi. Inter

hos verò media America interiacet, ad polum Antarcticum gradibus quinquaginta eleuata, quo ſitu decantatiſſimum illud fretum Magellanicum eſt. An verò vterq; Oceanus hinc ad polum Arcticum vſque extendatur, & illic tandem iungatur, multorum quidem tentatum periclitatione eſt, ſed, quod ego ſciã, hactenus à nemine quoquam exploratum. Indicia quædam & coniecturæ haud leues ſuadent, ſupra ipſam quoque Floridam iſthmum ſeu fretum aliquod, Magellanico ſimile eſſe. Verũ iſta, quæ hactenus indubitata cognitione detecta & nobis prodita ſunt, intereà nobis ſufficiant ad fidem ſtruendam huic ſententiæ, quod terræ pars aliqua, quæ vniuerſa Europa amplior & patentior, ipſa verò Aſia Africaque non minor eſt, ex iſto latere extet, & quod vterque mundi polus tùm aquas tùm terram æquè ſibi vendicet. Quod ipſum veteres quidem ſeu maiores noſtri ſua quadam licentia inficiari facilè potuerunt. Nos tamen, literarum & rerum naturalium non vſq; adeò periti accuratiorem & profundiorem harum rerum diſquiſitionẽ doctioribus iudiciis excutiendam relinquimus.

Cap. VII.

Opinio Lactantij, Antipodas negantis, refellitur.

PRiscis ſeculis, à curioſioribus contentioſæ quęſtiones motæ ſunt, an mundi ea pars, quæ circulo Antarctico opponitur, habitabilis eſſet, & ab hominibus incoleretur. Quam diſputationem quidem attingentes Lactãtius Firmianus & Aurelius Auguſtinus eos, qui antipodes ſtatuebant, falsè riſerunt, & rem fabuloſam eſſe, omninò affirmarunt. Attamen, cum ingeniis inter ſeſe vtrique diſcreparent, diuerſis quoq; rationibus ducti & abrepti ſunt. Et vt de Lactantio prius dicam, eum plus quam puerilis & futilis ratio in errorem egit. Is eo loco, quo Philoſophos cælum vndiquaque conuexum globoſumq;, terram autem in medio pilæ inſtar pendulam ſtatuentes explodit, hæc verba habet: Qui eſſe cõtrarios veſtigiis noſtris antipodas putant, num aliquid loquuntur? aut eſt quiſquam tàm ineptus, qui credat eſſe homines, quorum veſtigia ſunt ſuperiora quam capita, aut ibi, quæ apud nos iacent, inuerſa pendere? Fruges & arbores deorſum verſus creſcere? pluuias & niues & grandinem ſurſum verſus cadere in terram? Et iterum paulò pòſt: Sic pendulos iſtos antipodas cæli rotunditas adinuenit. Neſcio equidem, quid de iis dicam, qui cum ſemel aberrauerint, conſtanter in ſtultitia perſeuerant, & vanis vana defendunt. Nos verò, qui contrariam Aſiæ orbis partem incolimus, qui Antichthoni ſumus, neque pendere nos videmus, neque veſtigia nobis eſſe ſuperiora, quam capita: neque fruges noſtras & arbores aliorſum creſcere, neque niues atque imbres aliter cadere,

Lact. lib. 7. diuin. inſt. 6.23. Aug. lib. 17. de ciuit. Dei c. 9.

cadere,quam in Europa cernimus. Citra ſummam admirationem ſtuporemq; dici non poteſt,eam eſſe humanæ rationis (proh dolor) imbecillitatem, vt, quod verum rectumq; eſt,citra imaginationem & meditationem ſeriam intelligere nequeat: Et tamen interim, ſi imaginationis ductui obſequatur, perſæpè grauiſſimè hallucinetur. Ita,cælum rotundum eſſe,& terram in eius medio locari, citra mentis agitationem concipi intelligique nequit. Huic verò ſpeculationi ſi homo intentius indulget, imaginationis verò ſuæ luxuriem certis & axiomaticis regulis non frenet includatque,tum fieri non poteſt, quin graui errore intricatus, ipſum veritatis neruum incidat, & à recta ſemita quam longiſſimè aberret. Quod vt accommodato exemplo illuſtremus,an non reipſa quaſi manibus palpamus, quod in nobis diuinum quoddam lumen cæleſteſque igniculi exiſtant, quibus omnes res,ad cōſiderandum nobis propoſitas diiudicare, & aut eaſdem approbare,aut reiicere valeamus? Nam quicunque hominum aut ignorat,aut ſanè in dubium vocat, cor ſeu Spiritum noſtrū, corpore ipſo multò nobiliorem eſſe; & virtutem animæ, quæ in homine principatum tenet, lumenq; ſuum de primo illo ac ſupremo perfectiſſimoque lumine defluxiſſe teſtatur immortalē eſſe: is,inquam, homo, ſe hominem eſſe aut penitus ignorat, aut proteruè ambigit. Iam,ſi homo, qui animo ſuo formam ſeu ideam rei huius concepit, rogetur vt reſpondeat, an cælum rotundum ſit, nec ne, nihil aliud quam cum Lactantio affirmabit, ſi cælum omninò rotundum ſtatuatur,tum neceſſe fore, vt Sol cum aſtris reliquis ad occaſum caderet, ſurgeret verò in meridie: quod ita terra ex aëre ſuſpenſa hæreret: quod hominum,oppoſitam nobis terram terentium, veſtigia, capitibus illorum ſuperiora eſſent: quod niues & pluuiæ non deſuper caderent,ſed ex inferiore loco ſurſum verſus proiicerentur, & ſi quæ ridicula huiuſmodi alia eſſent. At enimuerò ſi de his princeps & ſumma animæ vis cōnſulatur,tum non tantùm facili negotio huiuſmodi deliramenta omnia extricabit, verùm etiam omnem hanc ſpeculationem vt nugacem & veteratoriam acriter deſpuet. Quin imò iuſtis veritatis ſtimulis incitata mens purior, eos quam turpiſſimè falli exclamabit, qui vniuerſi huius mundi naturam pro ſui arbitrij modulo condunt, adeò, vt illum domui cuidam ſimilem ſtatuere audeant, cuius fundamento nihil niſi terra, tecto autem nihil niſi cælum ſuperius ſit. Hæc eadem plana ratione fidelique inſtitutione doceret, quomodo omnes creaturæ,quæ viuūnt,capita ſuperiora habeāt, etſi animalium alia ab aliis diuerſo ſitu eadem gerant (quædam enim erecta illa habent,vt homo: nonnulla depreſſa ſeu prona in terram, vt quadrupedes: aliqua in ſui medio, vt polypus & araneus.) Et tamen ea perſpicuè demonſtraret, pari ratione quoq; ipſum cælum, vbi vbi ſit,ſupra nos eſſe: terram autem ecōtrà infra nos eſſe. Cum verò imaginatio noſtra loco & tempori plerunque alligata ſit, tempus autem

& locum abſolutè non percipiat, ſed ſaltem finitè: ideò fit, vt cum eadem non vbicunque deprehendat, ſed alicubi deficere videat, continuò deerret & præcipitetur: ac niſi certis quibuſdam cõcluſionibus, rationi conſentaneis ſuffulciatur, erigaturq́; , ne momento quidem vnico firma & inconcuſſa ſtare valeat. Idem ipſum quoque accidere neceſſe eſt, quoties phantaſia noſtra tempus quoddam ante conditum mundum, & locum, mundo ſuperſtruẽdo idoneum concipiat. Quæ concluſiones omnes manifeſtè euincunt, nec ante motũ tem-
Ariſt. de cælo. pus, nec locum ante vniuerſum vllum vnquam extitiſſe. Et ipſe quoque Philoſophus, rationem hanc à mundi vana imaginatione deductam, contraq́ue terræ ſitum detortam, perſpicuè & neruosè confutat, hancq́ue terræ molem locorum locum & intimum & medium & infimum eſſe, ſolidè demonſtrat.

Cap. VIII.

Antipodas vt eſſe negaret, quænam ratio Auguſtinum impulerit.

LONGE verò alia cauſa ingenioſiſſimum impulit Auguſtinum, vt Antipodas eſſe inficias iret. Nam rationem ſuperiorem de contrario ingreſſu illorũ ipſemet
c.10. „ confutat in libr. Categoriarum. Veteres, inquit enim,
„ aſſerunt, quoquouerſum terram eſſe ſubter, cælum
„ ſuprà. Nam & antipodes noſtri, qui nobis dicuntur figere aduerſa veſtigia, cælum ſupra ſe habent. Quod ſi ergò hæc Diuus Auguſt. Philoſophicè ediſſeruit, quid obſecrò aliud hominẽ tàm eruditum in contrariam pellicere opinionem potuit? Sed ex Theologia ita reſpondet: Sacra ſcriptura, omnes promiſcuè homines ex v-
Act.17. nius Adami ſemine prognatos docet. Iam verò homines immẽſum Oceanum transfretare auſos eſſe, & in eas terras, quæ priori ſuæ ſedi oppoſitæ ſint, veniſſe, id nulla fieri potuiſſe ratione manifeſtum eſt. Ac certè, niſi cum indubitata experientia ipſa quoque oculorum fides, hanc aduerſariorum rationem, vt ſtramineam diſcuterent, nullo dubio vel hodiè iſta inſtantia firma & inconcuſſa perſiſteret. Nunc autem, etſi certiſſimis rerum documentis, ac falſiſſima demonſtrari poſſit, labore tamẽ & ingenio opus eſt haud tenui, ad dicendum docendumq́ue id, quibúſnam viis gens Indica in Americam progreſſa, ibidem ſedem fixerit: quod ipſum deinceps ſecutura diſputatione multò planius & enodatius perſequemur. Nunc hoc loco venerandum patrem Auguſtinum audiamus, cuius verba in libr. de ciuit. Dei
Lib.16.c.9. „ ita habent: Quod verò & Antipodas eſſe fabulantur, id eſt, à contra-
„ ria parte terræ, vbi Sol oritur, quando occidit nobis, aduerſa pedibus
„ noſtris calcare veſtigia, nulla ratione credendum eſt. Neque hoc vlla

hiſtoriæ cognitione didiciſſe ſe affirmant, Sed quaſi ratiocinãdo con- "
iectant, eò, quod intra concaua cæli terra ſuſpenſa ſit, eundemque lo- "
cum mundus habeat, & infimum & medium. Ac paulò pòſt iterum: "
Nullo modo mentitur ſacra ſcriptura quæ narratis præteritis fidem "
facit, eò, quòd eius prædicta complentur. Nimiſque abſurdum eſt, vt "
dicatur, aliquos homines ex hac in illam partem Oceani immenſita- "
te traiectam nauigare & peruenire potuiſſe, vt illic etiam ex vno illo "
primo homine genus inſtitueretur humanum. Sic ergò immenſus "
pator & infinita vaſtitas Oceani ſola Diuo Auguſtino hanc credendi difficultatem peperit. Eiuſdem tamẽ cum hoc factionis grauiſſimus aliàs author Gregorius Nazianzenus quoque fuit, qui homines mare vltra Gades penetrare non poſſe, pro demonſtratiſſimo iactitat. Sic enim in epiſtola quadam eum ſcribere meminimus: Porrò vltrà Ga- " *Epiſt.71. ad Poſthum.*
des mare hominibus non eſſe permeabile Pindaro docenti aſſentior. "
In funebri itidem oratione Baſilij: Neq; vltra Gades tranſmeare cui- "
quam cõceſſum eſt. Quod etſi prouerbij vice (Quod vltra Gades eſt, "
æquè ſapientibus & ſtultis inacceſſum eſt) ex Pindaro tranſſumptum ſit; illius tamen origo prima abundè ſatis indicat, hanc veterum decretam & immotam fuiſſe ſententiam, quod vltra Gades nauigationibus tranſmittere non liceat. Vnde etiã in omnibus tam poëtarum, quàm hiſtoriographorum Chorographorumq; libris ad Gades Hiſpanicas terrarum orbis fines ſeu termini conſtituti ſunt: ad quas etiam Herculis columnas, vltimum Romani Imperij, imò vniuerſi orbis limitem collocant. Huiuſmodi dicteria non in profanis magis, quàm diuinis quoq; libris expreſſa leguntur. Biblia quandoquidem ſacra vulgi dicẽdi conſuetudini ſeſe oppidò accommodant, dum recenſent; Edictum euulgatum eſſe ab Auguſto Cæſare, vt deſcribere- " *Luc.2.*
tur vniuerſus mundus. Alio loco quoq; legitur, Alexandrum Mace- "
donem ad vltimos vſque terræ fines pertigiſſe, ſuoq; imperio vniuer- " *1. Macchab. 1.*
ſum orbem ſubiugaſſe. Nonnullibi quoque ſanctum Chriſti Euan- *Coloſſ. 1.*
gelium in vniuerſo orbe creuiſſe & fructificaſſe dicitur. Quibus in locis tamen omnibus nomen mundi communi loquendi more pro maxima eius portione tùm tẽporis cognita, acceptari ſcimus. Nam promiſcua vniuerſorũ hominum opinio fuerat, quod nec vllis humanis viribus, nec quoquam ingenio auſúve Oceanus Indicus, vt & Atlanticus tranſmeari aut penetrari poſſit. Plinius de hac re tanquam " *Plin. libr. 6.*
de cõpertiſſima ſcribit his verbis: Oceanus, diuiduo huic globo vn- " *c. 32.*
dique circumfuſus, partem aliquam orbis nobis aufert, neque hinc "
illô, neque inde huc peruio tractu. Quod ipſum Cicero quo- "
que, & Macrobius, Melaque cum cæteris pleriſque pariter commentati ſunt.

Cap.

Cap. IX.

De alterius orbis habitatione, quæ opinio Ariſtotelis fuerit, & qua in re lapſus errarit.

PRÆTER dicta ſuperius alia quoque veteribus cauſa fuit, cur pro opinione vulgari, hominibus ad hunc nouum orbẽ non patuiſſe acceſſum, ſtatuerent: nempe quod præter indictam Oceani immenſitatem cælum ipſum quoque, Solis intolerabili æſtu flagrantiſſimum, & circuli meridionalis torridi, igne inacceſſum, penitus obſtaret: cuius ardor audentiſſimos quoſque homines, hanc viam per mare tranſmiſſuros, violenter arceret & diſpelleret. Nam & illi ipſi, qui terram (vt reuera eſt) rotundam cenſentes, ad vtrumque polum eam habitabilem profeſſi ſunt, nihilo tamen minus mediam hãc & longiſſimam Zonam, vtroque Solſtitiali circulo incluſam, hominibus planè & omnimodò habitabilem eſſe, conſtanter inficiati ſunt, nempe propter æſtuoſiſſimos & aſſiduò ſine interruptione durantes ardores, à Solis vicinia, proxima in confinio illo omnia comburentis, cauſatos: cuius nimirum violentia fiat, vt neque animalibus neceſſaria paſcua, neque hominibus optabilia cætera alphita, neque ad ſitim arcendam requiſita vnda proueniat. Quæ quidem ſententia ſuam à ſummo & acutiſſimo rerum omnium indagatore Ariſtotele originẽ traxit. Qua tamen in re ab ipſo veritatis ſcopo exorbitare videtur haud parum. De ſitu verò, naturaque mundi, quid iſte verè praueq; philoſophatus ſit, hîc iam breuiter tradituri ſumus. Is quidem, quo loco de auſtro vento quærit, an ex ipſo meridie, an potius ex vltimo vertice poli Antarctici emergat, hæc ferè verba

Ariſt.2. Meteor.c.5.

» tradidit. Rationis quidem fide conſtat, habitabilem terræ partem in
» latum definitam extendi, cum per cæli temperationem accidat, co-
» pulationem in orbem fieri, quando ipſi vel torrentes æſtus, vel infeſti
» rigores, non in longum ſed in latum vrgeant. Ex quo fit, vt per omnes
» terræ partes commeare poſſint homines, niſi fortè redundans mare
» alicubi impedimento ſit. Quæ autoris optimi verba huc vſque haud improba ſunt: cum à nemine quoq; negari poſſit, terram ſecundum ſui longitudinem, id eſt, ab ortu verſus occaſum, habitatu commodiorem eſſe, quam ſecundum latitudinem, id eſt, ab aquilone verſus auſtrum. Nec hoc (vt Ariſtoteles refert) propter ſolam temperiem ita euenit, cũ ibi perpetuò æqualis cæli temperatura ab ortu in occaſum ſentiatur. Nam vnus idemque Solis calor verſus meridiem, & idem frigus verſus ſeptentrionem diffunditur. Verùm huius euentus cauſæ quoque ſunt aliæ. Nam ſi ſecundum cæli longitudinem commees, tum æquales ſeu iuſtos ſemper dies noctesq; ſenties: quod in latitudine ſimiliter fieri non poteſt, ſed in perpetuas vmbras labaris neceſſe eſt, cũ ibidem anni dimidij integri ſpatio meræ noctes gliſcant.

Sed

Sed pergit Ariſtoteles aduerſus ſui temporis Geographos id planius
docere, inquiens: Idem quoque fide eorum probatum eſt, quæ tum «
nauigationibus, tum terreſtri itinerum curſu apparēt. Magno enim «
interuallo longitudo ab latitudine diſcreta eſt, quādoquidem id ſpa- «
tii, quod ab Herculis columnis vſque ad Indorum oram patet, maio- «
re proportione id ſuperat, quod ab Æthiopia vſque ad Mæotim & «
extrema Scythiæ loca eſt, quàm quinque ad tria, ſi nauigationis, ter- «
reſtriumque itinerum menſus computaueris, quatenus ad exactam «
huiuſmodi rerum diſciplinam percipiendam ſatis eſſe contigerit. At- «
qui terræ habitabilis pars vſq; ad non habitabilem in latum explora- «
ta nobis eſt. Altera enim cultoribus caret, quod frigore rigeat: altera «
quod nimio vratur calore. Hoc quidem in loco, rigore miſſo, bo- «
no Ariſtoteli ideo indulgenda venia eſt, quod ſuo tempore propter
hiſtoriarum inopiam de nulla alia Æthiopia, quam ea, quæ ſub
Africa & Arabia ſita erat, ſciuerit: Vltimam ſiquidem Æthiopiam
penitus ignorauit. Præterea ipſius ſeculo immenſa illa quoque &
ſpatioſiſſima regio pretioſi Ioannis nondum reperta conſtabat: vt
taceam hoc, quod nemo quiſquam tum ſciuerit, quæ vltra Æquato-
rem & Tropicum Capricorni vſque ad promontorium Bonæ ſpei
extarent, quæ omnia ſerioribus annis Luſitani ſuis nauigationibus
primum detexerunt & euulgarunt. Iam hinc porro, ſi latitudinem
vſque ad extremam Scythiam ſeu Tartariam capias, nullo dubio ea-
dem totam à Columnis Herculis vſque ad ipſam Indiam longitudi-
nem æquatura eſt. Maiores etiam noſtri nequicquam de Nili fonti-
bus & ſcaturiginibus compertum habebant, vt & tantundem de va-
ſta illa Æthiopia. Qua de cauſa Lucanus ab ea exploratione Cæſarem
retracturus, vt hanc voluntatem exuat, ſuadet, dicens:

Quæ tibi noſcendi Nilum Romane cupido? Lucan. 10. Pharſal.

Idem poëta Nilum ipſum his verbis alloquens, ait:

Et te terrarum neſcit, cui debeat, orbis.

At verò Scripturę ſanctæ autoritas, nos, vt credamus has quoq; re-
giones habitatas eſſe, iurè compellit. In Propheta ſiquidē Sophonia
ita legimus: Vltra flumina Æthiopiæ filii diſperſorum meorum de- Soph. 3.
ferent munus mihi. Quo loco Propheta de vocatione gentium vati- «
cinatur. Sed, vt ante dictum eſt, Ariſtoteli in his merito condonan- «
dum eſt, qui ſui ſeculi Hiſtoricis & Topographis fidem nimis quàm
facilē ſtipulatus eſt. Iam nos porrò, quæ ſequuntur, pari diligentia
expendamus. Altera pars cultoribus caret, quod frigore rigeat: al- «
tera autem (ſub ſolſtitio ſita) quod nimio vratur ardore. Quæ ab In- «
dia & columnis vlteriora patent, non videntur ob mare ita poſſe «
coniungi, vt omnes terræ partes, quas incolere poſſumus, conti- «
nenti tractu cohæreant. Quæ omnia extra dubium veriſſima ſunt. «
porrò pergit: Sed cum ſit neceſſe, cuiuſdā omnino loci ſitum perinde «

C ad

» ad alterius verticis ſitum ſe habere, vt eius, quem nos incolimus, ad » verticem, qui ſupra nos aſſurgit, perſpicuum eſt, cum alias omnes » res, quæ ibi ſunt, proportione cū noſtris conuenire, tum ventorum » deſcriptionem & ordinem. Quibus verbis cum paucula alia inter- » ſeruiſſet, tandem de auſtro & aquilone ait: Neceſſe eſt, ventum qui à » ſolſtitiali ſigno & combuſta regione impellitur, auſtrum eſſe. Hæc » enim propter ſolis propinquitatem tum aquis, tum etiam quaſi al- » tricibus paſcuorum ſcatebris caret, &c. Hæc vt ſcribit Ariſtoteles; ſic ratio quoque fortaſſis humana certius & exploratius nihil aſſequi potuit. Ex quo contextu (vt religioſius quid dicā) ſæpe id mecū cogitare animo ſoleo, quantopere Ratio humana, ſeu philoſophia, in rebus diuinis cæca ſit, cū in his quoq; terrenis & viliorib. multo rebus tam longis erroribus abducatur à veritate. Ariſtotelis opinio eſt, terram polo huic (vt Plinius vocat) auſtrino ſubiectā ſecundum longitudinem, id eſt, ab Oriente in Occidentem pleniſſimè: ſecundum latitudinem verò à polo auſtrali ad lineā vſque æquinoctialem ſteriliſſimè habitatam eſſe: Quod ipſum tamē omnino falſum & erroneū eſt. Nam nouus orbis ſecundum latitudinem, id eſt, à polo vno ad alterū fere vniuerſus incolitur: qui tamen ſecundū longitudinem minor eſt, ita vt latitudo lōgitudinem ea proportione exuperet, qua denarius numerus maior eſt ternario. Iam verò, quod ait, Zonā mediam, quam Torridam vocāt, cultoribus omnino carere, ideo quia Soli propinqua, eius ardoribus penitus conflagret, & tū paſcuis tum aquis orba ſit: id longè præter rerum euidentiam & experientiā eſſe, hodiè diſcitur. Maxima enim noui huius orbis, quæ colitur pars vberrimè, inter vtrumq; Tropicum concluſa tum paſcuis, tum aquis ſupra omnes alias terrę partes latiſſimè abundat, cuius portio quoq; maxima, optimè temperata, ita ſalubris eſt, vt vel in hoc ipſo mundo Deum Opt. Max. hominum ſapientiā, ſtultam efficere voluiſſe compareat. Zona ergo torrida, ſua natura habitabilis, frequentiſſimè incolitur, etſi huic veritati veterum haud pauci contradicant. Illa verò Zona, quæ intra hanc & polum interiacet, etſi hominum culturæ accommodatiſſima ſit, & opportuniſſima, tamen haud ita frequētibus exculta hominibus eſt, nec præter regionē Chylen, ex hoc maris latere ſitam, quicquam vſque adeo cultum conſpicitur. Plurimi tamen, inter quos & ego nomen meum profiteor, exiſtimant, terram iſtam quæ regioni Chyle ex aduerſo eſt, vltra Tropicum Capricorni extendi quidem, ſed nobis hactenus incognitam eſſe. Nec dubium eſt, quin regio illa dem, vt optimum & temperatiſſimum ſitum tenens, medium nimirum inter torridam & polarem, ſic quoque rebus omnibus abundè præſtet, vtpote quæ Europæ, optimæ orbis parti æqua ratione reſpondeat. Et hoc quidem pacto ſententia Ariſtotelis non vſqueadeo probroſa & inconſentanea cenſenda eſt. Nihilo tamen minus, ceu antea quoque memoraui, & hacte-

hactenus multorum experientia confirmatū eſt, hæc Zona breuiſſima, torrida verò maxima & longiſſima eſt.

Cap. X.

Plinium quoque, & veterum quamplurimos huic Ariſtotelis ſententiæ ſuffragatos eſſe.

ARISTOTELIS ſententiam Plinius quoque capeſſiuit, Lux, dicens, media terrarum, qua Solis orbita eſt, " exuſta flammis & cremata, cominus vapore torretur. " Inter has geminas, exuſtam & rigentem, duæ Zonæ temperatæ interiacent, à quarum tamen vna in alteram propter torridæ obiectum, tranſitus liber minimè eſt. Hæc veterum nempe fuit opinio, à poëta quoque carmine eleganter cantanta: qui inquit: Plin. libr. 2. c. 68.

Quinque tenent cælum Zonæ, quarum vna coruſco Verg. in Georg.
Semper ſole rubens, & torrida ſemper ab igne.

Eadem idem quoque poëta alio loco repetit:

Et ſi quem extenta plagarum 7. Æn.
Quatuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.

Sed & alius poëta adhuc apertius illa ſuccinit:

Totidemq́ plagæ tellure premuntur: Ouid. 1. Metam.
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu.

Hæc autem veterum ſententia (vt opinabantur) certæ & immotæ rationi ſuperfundata erat. Lōga ſiquidem exploratione compertum habebant, quod, quò regio quæq; meridiei vicinior eſſet, eò grauiorē ſolis exuſtionē pateretur. Id adeò veritati conſonum eſt, vt in Apulia, quæ regio Italię eſt, longè maior æſtus, quā in Liguria, gliſcat. Ardoris autem & frigoris longè maius diſcrimen percipitur in Hiſpania. In Bætica ſol longè ardentior, quam in Cantabria: etſi vtræq; regiones vix octo gradibus ſibi inuicem diſtent. Ex quibus plana deductione conficitur, quod Zonæ ſeu loca, quæ rectà ſolis radiis ſubiacent, vniuerſa ſolis intolerando & aſſiduo ardore exurantur.

Videbant præterea etiam veteres, quod in ordinario anni decurſu, hyemis, veris, æſtatis, autumniq; viciſſitudines, à nulla re alia, q̄ ſolis acceſſu & receſſu fieri. Penſitantes itaq; ſecum, quod vel à circulo ſolſtitiali, longius amoti æſtatis flagrantiam perferre non poſſent: ideò concludebant, quod, ſi ſolem ita vicinum habituri eſſent, vt is deſuper rectà ſuos radios vibraret, adeoque toto ferè anno id ipſum duraret, tum, neceſſe fore vt humanum genus ab ingenti & perpetuo æſtu exuſtum penitus abſumeretur. Et hæc ipſiſſima cauſa fuit, quæ veteres, vt torridam ſeu mediam Zonam inhabitabilem crederent, incitauit. Quæ quidem ratiocinatio Phyſica ſeu Mathematica, vel

noſmet hodiè ad aſſentiendum impelleret (prout humana ratio vel ad mera naturalia quoque intelligenda debilis eſt) niſi magna noſtra felicitate his ſeculis duo eximia naturæ miracula nobis manifeſtata fuiſſent: Tuta nimirum per ſpatioſum Oceanum tranſmeatio: & ſecura commodaque ſub ipſa torrida Zona habitatio: quod veteribus credere, minimè pronum erat. De his verò geminis miraculis, diuina fauente gratia, in ſequenti libro prolixius tractaturi ſumus: vbi tempeſtiuum quoque explicatu erit, quibus viis modiſque tranſmittendus Oceanus ſit, quæ materia huic tractatui præ cæteris vernacula erit. Antequam verò rem hanc aggrediamur, operæpretium arbitror, vt explanemus, quidnam veteres de nouis his hominibus, à nobis Indis vocatis, ſenſerint ſtatuerintque.

Seculi noſtri quam ſuperiorũ maior felicitas.

Cap. XI.

Veteres de nouo orbe aliquid compertum habuiſſe, ex eorum monumentis liquere.

Plutarch. libr. 3. de Plac. Philoſ. c. 11.

MAIORVM noſtrorum nonnulli, inter quos Lactantius & Auguſtinus præcipui, vltra circulum Cancri homines vllos habitare, omni modo inficiati ſunt. Aut, ſi omninò illic quidem eſſent homines, quod tamen circa mediam regionem diutius morari non poſſint, prætenderunt. Quæ ſententia ipſius quoque Ariſtotelis, & Plinij, Parmenidiſque, his ætate prioris, fuit. Hodiè verò Sole meridiano clarius eſt, vtramque illorum ſententiam falſam & erroneã eſſe. De nouo verò orbe, plurimi anxiè & ſcrupuloſè inquirunt, an is quoque veteribus aliquatenus cognitus fuerit. Prodigij enim quid ſimile videri queat, orbem tàm magnum, tàm cõmodum & fœcundum, nec hoc ipſo noſtro minorem, tanto tempore maioribus noſtris incognitum, latere potuiſſe. Qua de cauſa nonnulli, quaſi de compacto ſuum noſtris ſeculis honorem famamque inuidentes, de nouo orbe ipſis quoque priſcis quid conſtitiſſe, demonſtrare ſatagunt. Et notitiæ quidem huius eorum, documenta non per omnia nulla apud ipſos venari licet. Diuus enim Hieronymus in epiſtola ad Epheſ. Quærimus quoque, inquit, quid ſit: In quibúſnam aliquando ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi huius: Vtrúmnam & aliud ſeculum ſit, quod nõ pertineat ad mundum iſtum, ſed ad mundos alios: de quibus & Clemens in epiſtola ſua ſcribit: Oceanus & mundi, qui trans ipſum ſunt. Quæ hæc quidem epiſtola Clementis ſit, ignoro: ab eo autem huiuſmodi ad Hieronymum perſcripta eſſe, lubens aſſentiar. Ipſe tamen interim Clemens clarè euidenterq; docet, quod vltra Oceanum alius mundus, imò alij mundi extẽt, quod minimè falſum eſſe, putandum eſt. Nam America & Orientalis India à ſe inuicem quam lõgiſſimis interuallis disiecta ſunt. C. Plinius, ſaga-

c. 2.

Clem. Romanus ſuper Ep. ad Corinth.

America & India Orient. longiſſimè diſtant. libr. 2. c. 67.

ſagaciſſimus rerum memorabilium omnium ſcrutator & cõmentator, literarum monumentis traditum reliquit, Hannonem quendam Carthaginenſem à Gadibus ad vltimos vſque Arabiæ fines circumnauigaſſe, & hunc ſuum curſum literis mãdaſſe. Quod ſi verum eſt, Hanno certè eo vſque mare emenſus eſt, quo vſque Luſitani hodiè, nauigationibus ſuis lineam æquinoctialem bis tranſmittentes, peruenerunt. Cornelius quoque Nepos ſui temporis quendam Eudoxum commẽtatur, cum minas Latyri Regis fugeret, eandem quoque nauigationem confeciſſe, ſed itinere inuerſo, ita vt ex ſinu Arabico ſoluens, ad Gadas tandem appulerit. Hiſtoricorum quidam etiam haud triuiales meminerunt, nauem quandam Carthaginenſium, ventorum violentia in Oceano agitatam, tandem in incognitam quandam nouamque terram impulſam eſſe: & inde domum reuerſam, Carthaginenſibus eius adeundæ mirum deſiderium inſtillaſſe: Sed eam tamen perueſtigationem euulgato magiſtratus interdicto deinceps omiſſam eſſe, ne inuẽto illo antiqua Carthaginenſium gloria ſplendorq; offuſcaretur. Ex quibus vniuerſis haud inconuenienter elici poteſt, non omninò nihil veteres de hoc nouo orbe olfactos eſſe, etſi de hac India Occidentali & America nihil memorabile traditum ab illis reperiatur. De India quidem Orientali, nobis citeriore, antiquis verò vlteriore, edita haud pauca leguntur. Namq; quis maiores noſtros de aurea Cherſoneſo, de promontorio Cori, de celeberrima Taprobana, quarum omnium nomina hodiè cõmutata ſunt, non plurima tradidiſſe ignorat? Quis neſcius eſt, eoſdem vtriuſq; etiam Æthiopiæ, & Brachmanum, & gentis Synarum, apertè commeminiſſe? Quæ quidem veterũ ſcripta, de his tractantia, vt in dubium minimè vocamus: Sic viciſſim de India Occidentali, de qua Plinius nihil tradidit, ſic ſtatuimus, vltra Canarias (ab ipſo Fortunatas dictas) neminem tranſiiſſe: quæ, vt Plinius ait, à canibus, ibidem magna copia repertis, ſic dictæ, cæteris nobiliores ſemper habitæ ſunt. Hinc ſe immenſus vaſtusq; Oceanus pandit, quẽ haud immeritò nautæ vocant Magnum. Hunc veteribus cognitum fuiſſe, nulla cõiectura captari poteſt. Quoſdam peculiari momẽto illud Senecæ carmen mouet, quo in Anapæſticis de noui orbis rebus vaticinari videtur. Sic enim eius habet Medea: *Sen. in Med. act. 2. in fin.*

Venient annis ſecula ſeris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, & ingens pateat tellus,
Typhisq; nouos detegat orbes,
Nec ſit terris vltima Thule.

Porrò hæc ita omnia facta eſſe, negare non poſſumus. Nam ſeros annos 1400 à Tragico, à Medea verò plus 2000 iam numeramus. Videmus etiam Magnum Oceanum vincula rerum laxaſſe, & ingen-

tem nouam tellurem patefeciſſe, omni Aſia & Europa maiorem, & orbes quoque alios detexiſſe, ſicut chorus ſuprà prædixit.

Hic à quoquam quæri poſſet, an Seneca Prophetico ſpiritu iſta prædixerit raptus, an vi poëſeos ita futura omnia præſciuerit? Ad q vt reſpondeam, mihi quidem diuinaſſe ſeu vaticinatus eſſe videtur, ſed eo tamen prædicendi genere, quod viris prouidis & ſagacibus familiare eſt. Viderat ille, ſuo iam dum ſeculo mare nouis nauigationibus tentari: Philoſophiæ etiam præceptis edoctus, aliam terram, Antichthonam dictã, & ſuæ oppoſitam eſſe didicerat. Vnde haud præpoſterè rationis ductu colligere poterat, fore, vt hominum ſatagentia & habendi ſciendique libidine ipſe quoque Magnus Oceanus tandem velis tentaretur, ad nouos orbes aperiendos & manifeſtandos. Ipſius quoque ſeculo de naufragiis aliquot, in magno Oceano factis, iamdum homines compererant, quorum ipſe quoque Plinius mentionem facit. Nam quo loco Seneca veterum quietam & tranquillam vitam deprædicauit: antitheſi quadam nonnulla de ſui ſeculi hominum iam dum gliſcente audacia & confidentia addit, Nunc iam, inquiens, ceſſit pontus, & omnes patitur leges: Et paulò pòſt:

Quælibet altum, Cymba pererrat.
Terminus omnis, motus & vrbes
Muros terra poſuere nouos,
Nil qua fuerat ſede reliquit
Peruius orbis. Indus gelidum
Potat Araxem, Albim Perſæ
Rhenumque bibunt.

Cap. XII.

De India Occidentali quid Plato ſenſerit.

VIDETVR Plato autem multò clarius in Timæo ſuo noui huius orbis, verſus occidẽtem, ſitum explicuiſſe. Tunc, inquit, pelagus illud nauigabile erat (de Atlantico loquitur) Inſulam enim ante oſtium habebat, quod vos columnas Herculis appellatis. At inſula illa & Libya & Aſia ſimul maior erat, ex qua aſcenſus ad alias inſulas, tunc proficiſcentibus contingebat: ex inſulis autem in omnem ex aduerſo continentem circum verum illum pontum ſitam. Hæc apud Platonem Critias ait. Porrò qui Platonem hiſtoriam narrare, aut rem veram cõmemorare cenſent, hi verba iſta hoc modo interpretãtur: Inſula, inquiunt, quam Plato Atlanticam vocat, vniuerſa Aſia Africaq; maior, magnam Oceani Atlantici partem, quem hodiè Hiſpani ſulcant, complectitur.

Cæterum, illarum inſularum, per quas in Atlantidem ingreſſus patebat,

patebat, nomina (vt à nautis induntur) erant iſta, Barlouenti, Cuba, Hiſpaniola, S. Ioannes, Puerto Rico ſiue Borique Iamaica, & ſimiles hoc ordine ſitæ. Continentem verò (quam nos terram firmam indigetamus, fuiſſe prædicant illam, quam noſtrates hodie terrã firmam Peru & Americam appellant. At ipſum verum pontum, quem terra firma in ambitu cingit, nos pro mari Auſtrali habemus, quod vulgo aliàs nomine mare pacificum, ſeu mare Del Sur, id eſt, meridionale nuncupatur. Hoc Platoni aiunt, Pontum vocatum fuiſſe, cum tantæ immẽſitatis ſit, vt cum Mediterraneo collatum aut Atlantico, infinitis partibus eadem exuperet. Hoc certe ab acuti ingenii viris, & antiquitatis amantibus argutè excogitatum, & ſpecioſe admodum aſſertum eſt. Quod an per omnia veritati rerum conſentaneum ſit, & ratum haberi poſſit, ſuo loco trutinabimus.

Cap. XIII.

Quoſdam extitiſſe, qui ſub nomine Ophir, cuius in S. Scriptura mentio fit, Peru noſtram indicatam fuiſſe cenſuerint.

EIus fuere ſententiæ haud pauci, ſacra quoque Biblia
Indiæ huius Occidentalis mentionem ſub nomine
Ophir feciſſe. Robertus Stephanus, ſeu potius Fran- *In Bibliis.*
ciſcus Vatablus, vir Hebraicæ linguæ peritiſſimus (ſic-
ut à præceptore meo, ipſius olim diſcipulo comperi)
in ſcholiis ſuper cap. 9. lib. 3. Regum commentatur,
Ophir, ex qua Salomon 420. aũt 450. talenta auri puriſſimi nactus le-
gitur, eſſe inſulã Hiſpaniolam, à Chriſtophoro Columbo detectam,
in cuius fodinis Cibaio præſtãtiſſimum & puriſſimum aurum fodi-
tur. Sunt ex præſtantiſſimis quoque & literatiſſimis viris haud pau-
ci, qui arbitrantur, Ophir, cuius in S. Scriptura tanta prædicatio eſt, *In apparatu*
eſſe noſtram Peru, quod verbum ipſum quoque in contextu Hebrai- *Bibliæ Regiæ in phaleg. c. 9.*
co reperiri aiunt, creduntque, illud regnum, vbi Paralipomenon hi- *& in Bibl. Ro-*
ſtoria exarata eſt, hoc nomen obtinuiſſe. Peru autem pro Ophire ſiue *berti Stephani, 2. Paral. c.*
Opire literarum tranſpoſitione ſcriptum eſſe, quam figuram Rheto- *9.*
res Metatheſin appellare ſolent. Et quod pro re confirmanda facit, *1. Paral. 9.*
idem etiam hinc patet, quod S. Scriptura dicat, aurum præſtantiſſi- *1. Reg. 10. 2. Paral. 8.*
mum finiſſimumque, & hebenum nobiliſſimam, gemmaſq; pre- *1. Reg. 22.*
tioſiſſimas ex Ophir allata eſſe: quæ omnia regio Peru copioſiſſima *1. Reg. 9.*
proferat. Quæ tamen mihi ſententia per omnia non probatur. Etſi
enim mihi compertiſſimum ſit, in hac America aurum copia ma-
gna erui: eius tamen non eſt ea quantitas, vt Indiæ Orientali præferri
debeat. Quin etiam, in Peru nõdum tam inſignes gemmas, & hebe-
num tam præſtantem & odoratam reperire licuit, qualia nunquam
in Hie-

in Hieroſolyma ante viſa legimus. Smaragdos quidem virides, & robuſtum quoddam odoratumque lignum alicubi vidi: ſed copia non admodum magna. Nec ſpeciem veritatis habere id mihi videtur, quod Salomon, relicta ſpretaque India Orientali, claſſem ſuam in Indiam Occidētalem extremā acturus fuerit. Quod ſiquidem factum fuiſſet, nullo dubio tam auguſtæ nauigationis, tamque frequenter iteratæ, certa quædam veſtigia relicta eſſent.

Etymologiæ rationem quod attinet, ſimilitudo vtriuſque nominis Peru & Ophir non magnopere me mouet. Nam Peru vocabulum in hiſce terris non admodum antiquum eſt aut vulgare: cuius nati haud dubio eadem fuit ratio, quæ eſt aliorum quoque. Cum quibus id accidit, vt per orbis noui inuentionem regionibus ſingulis, de ſuis natiuis nominibus non cognitis, id appellationis inderetur, quod primò obuium acciderat. Et erant eiuſmodi vocabula plerumque accidentaria. Id ſimiliter in hoc regno Peru eueniſſe credibile eſt. Proauorum noſtrorum aliqui commemorauere nobis, regionem hanc Peru à fluuio quodam, fortuitò inuento, fuiſſe denominatam. Id à vero tantum abeſt, vt indigenæ ne nomen quidem Peru adhuc nouerint. Quorum etſi quidem aliqui hoc iam nomen teneant, id tamen ab Hiſpanis didicêre, nec à parentibus hausêre. Quin imo appellationis ſimilitudo plerumque leuem coniecturam affert: niſi fors dicamus, quod Romani quoq; has terras triuerint, & quod Principes, qui Ingæ dicti, in Peru regnarunt, Titi vel Pauli nomen à Romanis aut Chriſtianis hæreditario quoque acceperint.

Porrò quod ſcriptis quidam mādarunt, Tharſin & Ophir prouincias non fuiſſe: contra hos quartus liber Regum in cap. 22. cum lib. Chronicorum cap. 20. collatus producitur. Quod ſi quis vrgentior ex me ſciſcitetur, quámnam regionem illam Ophir, ad quam Salomonis naues, moderantibus eas nautis Tyriis Sidoniiſque, auferendi auri cauſa contenderint; ad quam etiam ſimili fine claſſis Regis Ioſaphati currens, ad Aſiongabar naufragium fecerit: his ex Flauio Ioſepho reſpondeo, dicente, Ophir ſedem quandam Indiæ Orientalis extitiſſe, ab Ophir filio Iactan, cuius in libr. Geneſeos mētio fit, dictam, auro puriſſimo & pretioſiſſimo locupletiſſimam. vnde in ſacris quoq; literis aurū Ophir ſiue Opham, ſiue Obrizum ceu Ophiriſum admodum prædicatur. Et cum apud Hebræos, auri ſeptem tum genera tum nomina reperiantur, atteſtante id diuo Hieronymo: Ophir tamen inter ea ſummum locum tenet, non ſecus ac apud nos aurum Valdiniæ ſeu Carabaiæ cæteris præfertur. Cur autem in Orientali potius quàm Occidentali India Ophir ſitam eſſe arbitrer, palmaria cauſa hæc eſt, quod claſſem Salomoniam ad nos pertingere impoſſibile fuerit, niſi infinitis circuitibus & erroribus per Indiam Orientalem & regnum Chinæ penetraſſet. Nec mihi facilè probabile fiet, Sidonios tot leucarum millia immenſis ſpatiis auferendi auri in remotiſſi-

Ioſephus lib. 8. antiq. Iud. vbi aurum Ophir dici ſcribit.

Geneſ. 10.

Hier. in princ. 3. Tom.

motiſſimam & penitus incognitam regionem meaturos fuiſſe. Taceo, quod vel deinceps argumentis quibuſdam immotis & irrefutabilibus, noſtrarum nauigationum artem, modumq; ac ordinem maioribus noſtris ignotam fuiſſe penitus, demonſtraturus ſim.

Cap. XIV.

Tharſis & Ophir, quid in ſacris libris ſignificent.

SI omnino coniecturis & ſuſpicionibus aliquis locus dandus ſit, tum mea ita fert ſententia, Ophir & Tharſin in ſacris libris nō peculiarem definitumq; quendam locum deſignare, ſed commune potius vocabulum eſſe, & Hebræis idem ſignificare, quod nobis plerumque vocabulum Indiæ indicat. Nam ſub Indiæ nomine noſtrates ferè nihil aliud, quam remotam quandam terram, opulentam, & à noſtrarum regionum moribus naturaque differentem, recepto vſu intelligunt. Hiſpani autem nomen Indiæ Americæ quoq;, vt & Mexico, & Chinæ, Malaccæque ac Braſiliæ, quæ tum locis ſituque, tum conſuetudinibus ritibúſque inter ſeſe diſtant quàm longiſſimè applicant. Fatendum tamen nobis ſimul eſt, Indiæ vocabulum ex eo natum & nouo huic orbi inditum fuiſſe, quia India, ſic verè & genuinè dicta, à proauis noſtris pro extrema orbis terra habita fuerit. Ea ratione ſolent homines Indos & extremam orbis partem vnum idemque æſtimare. Hoc eodem modo Tharſis quoque apud Hebræos non certum quendam definitumque locum, ſed plerumque omnes remotiſſimè diſtantes regiones, hominum opinione mirabiles & opulentas ſignificare, mihi planè videtur. Quod autem Ioſephus cum nonnullis aliis Tharſin, & Tharſum Ciliciæ ciuitatem, idem faciunt, ſatis probatum nondum eſt, Hieronymo quoque id docente; non hanc ſolum ob cauſam, quod hoc ſcriptionis genus in aſpiratione per Θ. & T. valdè diſſonum eſt, ſed quod multa etiam, quæ de Tharſi in ſacris literis traduntur, cum Tharſo vel in minimo non conueniunt.

Hier. ad Marcell. Tom. 3.

Et licet Tharſin in Cilicia ſitam aliquoties ſcriptura dicat, ſicut de Holoferne in libro Iudith ſcriptum eſt: Cum pertranſiſſet fines Aſſyriorum, venit ad magnos montes, Ange ſeu Taurum, qui ſunt à ſiniſtro latere Ciliciæ, aſcenditque omnia Caſtella eorum, & obtinuit omnem munitionem, & cōfregit ciuitatem fortiſſimā Melothi, & expoliauit omnes in Tharſi, & prædatus eſt filios Iſmael, qui habitabant ad deſertū, & ad auſtrū terrę Chellon, & tranſiuit Euphratē, &c. Sed, vt dictum eſt, hæc & alia, quæ de Tharſi ſcribuntur, Tharſo difficillimè accōmodari poſſunt. Theodoretus quoq; cū nōnullis aliis, q 70. interpretū verſionē amplectūtur, affirmat, Tharſin in Africa eſſe ſitā, vultq; à noſtratib. eā Carthaginē appellari: quò Ionā Prophetam confu-

Theodoretus ſuper Ioan. Arias Montanus ibi, & in Alphab.

confugiſſe aſſerunt, cum à facie Domini aufugeret in Tharſis. Ego verò, certam quandam in India regionem eſſe, quæ pro ſentẽtia diui Hieronymi Tharſis vocetur, non inficias ibo: ſed vbique tamen proprieq; eo nomine definitam regionem indicari, audacter planeque nego. Docet etenim S. Scriptura, Reges Tharſis, vt Pſalmus habet, Chriſto munera ſua oblaturos, qui certè Magi erant ab Oriente profecti, natione Sabæi, Ephæi, & Madianitæ. Quidam doctiorum, eos Æthiopias, Arabes & Perſas fuiſſe, cõtendunt. Ego interim diuo Hieronymo ſuffragiũ do, qui Tharſin vocabulum eſſe homonymum, & in ſacris literis plura, eademq; diuerſa deſignare aſſerit. Aliàs enim Chryſolitum, ſeu Hyacinthum, nonnunquam regionem Indiæ, interdum ipſum quoque mare, quia cæruleum eſt, & cum Solis radiis illuſtratur, prædictarum gemmarum fulgorem refert, ſignificare demonſtrat. Idem excellens Doctor, in commentariis ſuper Eſaiam, iuſtis rationib. negat, Tharſin (quo Ionas profugiebat) regionẽ Indicam eſſe; Ionas enim, inquit, de Ioppe nauigans in Indiã nõ poterat peruenire, ad quã illo mari nõ poteſt nauigari. Nã maris mediterranei non rubri, vnde in Indiã nauigari poteſt, olim Ioppe, nũc Iapha portus eſt. Claſſis Salomonis autem longe alia via perrexit, aut verſus Ophir, aut Tharſin vltra mare rubrum. Certiſſimum enim eſt, ab Aſiongaber, vbi regis Ioſaphati naues fractæ perierunt, portum eſſe Idumeæ ciuitatis, ad Elamiticum ſinum iuxta fretũ, apud quod mare Erythræum in Oceanum effunditur.

Hieronym. lib. 1. ſuper Eſaiã c.2.

Tharſis quid ſignificet.

2. Reg.

Legimus etiã, Salomoni Regi iſta triennali nauigatione, ex India, aurũ, argentum, ebur, ſimias pauonéſq; allata eſſe. India enim metallorum varii generis, vt & Elephantorum, rerumq; aliarum pretioſarum feraciſſima eſt, ſicut id tum Plinius atteſtatur, & fama publica, teſtis haud inops, vociferatur. Ex noſtra verò America ebur nullũ auferri ſolet, cum Elephantos nullos nouerit. Aurũ autem, & argentum & ſpecioſas ſimias maxima copia promit. Quę ſuperius, eadẽ & nunc mea eſt ſententia, nimirum quod per vocabulũ Tharſis aut immenſum ſpacioſiſſimumq; pelagus, aut certè terra diſtantiſſima & remotiſſima deſignetur. Quare haud quicquã dubito, quin de Tharſi quæ dicta alicubi ſunt, ſpiritu prophetico nonnunquam huic nouo orbi accommodari probè valeant.

Cap. XV.

Quidnam pro nonnullorum opinione de nouo orbe vaticinatus Abdias ſit.

Guid. Boderianus in epiſt. ad Cathol. Regẽ Philippum, Tomo 5. ſacr. Bibl. & Zumarraga in Hiſpanica Hiſtoria.

PRÆTENDVNT nonnulli, ante longinqua tempora per abditas & ſecretas literas quaſdam prædictum eſſe, fore, vt nouus hîc mundus fidem Chriſtianam amplexurus, idque ſuaſu nationis Hiſpanicæ ſit, poſtremamque Abdiæ Prophetiam ita interpretantur:

Et

Et tranſmigratio exercitus huius filiorum Iſraël omnia Chana- "
næorum vſque ad Sareptam, & tranſmigratio Hieruſalem, quæ in "
Boſphoro eſt, poſſidebit ciuitates auſtri, & aſcendent ſaluatores in "
montem Sion iudicare montem Eſau: & erit Domini regnum. Sic "
verſio vulgata habet. Ipſi autem (vt aiunt) ex Hebraico ita legunt: "
Et tranſmigratio exercitus huius filiorum Iſraël, qui Chananæi ſunt "
vſque Sarphat (id eſt) Galliam, & tranſmigratio Hieruſalem, quæ eſt "
in Sepharad (hoc eſt) Hiſpania, hæreditate poſſidebit ciuitates auſtri, "
& aſcendent ſalutem procurantes in montem Sion, ad iudicandum "
montem Eſau, & erit Domino regnum. Sed nec ex patribus, vllum "
teſtimonium adducunt, nec cauſam reddunt, cur Sepharad ab Hieronymo Boſphorus aut fretum, à 70. verò interpretibus Euphrata verſum, Hiſpaniam ſignificet, vt & ipſum vocabulum Sarphad, de quo itidem nec auctores allegant, nec præter leues quaſdam coniecturas, cauſam vllam probabilem afferunt. Guido quidem amore patriæ ſuæ Gallicam reddidit id verbum. Nos verò, qui de linguarum proprietate contendere non poſſumus, haud immeritò quærimus, quid ſit illud, ꝙ moueat vt credamus, ciuitates auſtri ſeu Nageb ſecundum 70. interpretes pro noui orbis incolis habendas eſſe: quid itidem perſuadeat, vt per tranſmigrationem Hieruſalem in Sepharad gentem Hiſpanicam intelligamus: niſi forte ſit, vt Hieroſolymam ſpiritualem, id eſt, Eccleſiam imaginemur: vt nimirum ea ratione ſpiritus S. per tranſmigrationem Hieroſolymæ, quæ in Sepharad eſt, filios Eccleſiæ ſanctæ, in extremis mundi angulis habitantes, aut ipſis maris portubus, indicet. Sepharad enim lingua Siriaca id ſonat, quod & cum Hiſpania admodum conuenit, ad quam veteres orbis fines collocaſſe notum eſt. Nec quiſquam eſt, qui Hiſpaniam mari vndiquaque cinctam eſſe ignoret. Ex quo fortaſſe colligent, hunc orbem, qui nouiter inuentus, & ſub meridie ſitus, polum auſtralem potiſſimum ſpectat, per auſtrum ſeu Nageb intelligitur. *Sepharad quid Syris ſit.*

Verba autem quæ inſequūtur, Eos nimirum, qui ſalutem procurant, in montem Sion aſcenſuros, vt montem Eſau iudicent, &c. intellectu haud admodum ſunt difficilia. Indicant enim illos, qui damnatos populorum (qui per Eſau notantur) errores exciſuri, perfugium ſuum ad doctrinam ſeu arcem Eccleſiæ habituri ſunt. Et tum temporis regnū illud, non tam Hiſpanorū aut Europæorum, quàm ipſius ſaluatoris Chriſti futurum eſt. Itaq; qui Abdiæ prophetiā, hoc ſenſu accipit, reprehendi haud poterit: cùm veriſſimum ſit, ſpiritum exploratiſſima habere omnia: & ſimul euidentib. documentis monſtrari poſſit, huius tam arduæ rei, id eſt, noui huius reperti, & Chriſto ſubditi regni, veſtigia quædam in ſacris quoq; literis reperiri. Væ alis, exclamat Eſaias, nauiū trās Æthiopiā. Apparet autē per alas, id eſt, veloces naues trās Æthiopiā nihil aliud Prophetā intelligi voluiſſe, quā claſſem mare Atlanticū ſulcātes, ꝙ ab Æthiopib. longius quam Indis *Eſaias 18. ſec. 70. interp.*

 abeſt,

abeſt. Etſi verò inſtructis & ſuperbis illis nauibus Propheta magna
Soph.3. mala denunciet; nihilominus tamen & Propheta alius has domino
» fructum facturas teſtatur. Vltra flumina, inquit, Æthiopiæ inde ſup-
» plices mei filii diſperſorum meorum deferent munus mihi.

Eſaiæ 66. iuxta 70. interp. Porrò quod Eſaias inquit, qui ex Iſraël ſaluati fuerint, eos ituros ad inſulas remotas & Tharſin, & domino multas gentes congregaturos: ibi Græciam, Italiam, Hiſpaniam, Africam & regna multa recenſet. Id verò cur non ad vocationem gentium quoque referri poſſit? Nam Tharſis, & ſimiles remotiſſimæ inſulæ, & fines orbis, hāc mundi primam partem deſignant. Iam verò cum Saluator efficacibus verbis teſtetur, Euangelium per omnem mundum prædicatum iri, in teſtimonium contra populos, & tum mundi finem fore: illis pol manifeſtè probat, quod, quamdiu finis mundi reſtat, tam diu Chriſtus aliquibus adhuc prædicandus ſit. Maioribus noſtris mundi maxima pars incognita fuit: nobis itidem eius pars haud exigua adhuc noſcenda ſupereſt.

Cap. XVI.

Quomodo primi homines in Indiam peruenerint, & quod non beneficio primo ſuſceptarum nauigationum eò penetrarint.

PORRÒ autem & iis nunc ſatisfaciendum eſt, quibus, Antipodas eſſe, & terram hāc, quam iam incolimus, habitabilem eſſe, aſtipulari difficile eſt. Prodigioſa Oceani immēſitas valdè mouit Auguſtinum, vt crederet, nulli mortalium in hunc mundum perueniendi licentiam eſſe. Nos verò qui iam nouimus, hoc aliquando loco homines habitaſſe, ſacramque inſuper Scripturam docere, omnes generationes ab vno procedere homine, contradicere nullo modo poſſumus: nec affirmare nobis integrum eſt, an homines illi ex Aſia an Europa in illas regiones peruenerint. Qua de cauſa vel dum hodiè admiramur, & ſcrupuloſè inquirimus, quo modo, per quas vias, quibuſve vectoribus innumera iſta gens Indiam aduerit. Etenim neque alteram quandam Noë arcam huc appuliſſe, imaginari licet: nec primos horum Indorum ſatores per angelum quempiam crinibus ſuſpenſos tranſque aërem peruectos, hîc depoſitos eſſe, ſicut olim Propheta Habacuc ex Palæſtina in Babylonem tranſpoſitus legitur. Neque hoc loco, quid Deus efficere poſſit, quæritur: ſed tantùm, quid ratio humana capere, & per ſemel à Deo inſtitutum ordinem fieri poſſit.

Vtrumque ergo iure merito inter eximia Dei miracula, & abſcondita eius conſilia referri debet, genus nimirum humanum per mare

tam

tam vaſtum per vias & regiones aditu tam periculoſas eò appuliſſe: & terras has tam longo tempore incognitas latuiſſe, etiamſi earum longitudo & latitudo in magnam orbis partem excurrerit. Reſponde mihi obſecro, quónam tandem conſilio, quibuſve ex cauſis, quâ vi manuque gens iſthæc immenſum Oceanum tranſmittere potuerit? Aut quis ductor, eos in has terras, inæſtimabili interuallo diſiectas, prouehere ſciuerit?

Mihi quidem & diu & ſeriò rem hanc meditanti; & cum aliis doctioribus conferenti, cauſa rei tam admirandæ dari certa adhuc nondum potuit. Etſi verò ad ſtabiliendā apud animū meum conceptam ſententiam teſtimoniis nullis me munitum aut adiutum ſciam; nihilominus tamen pro exactiùs enodanda re, ex coniecturis quibuſdam licet prima ſpecie leuibus, concluſiones quaſdam eliciam, hoc modo.

Ratum omnino, imo neceſſe eſt, gentem Indicam in Americam vno ex his tribus modo perueniſſe: aut itinere pedeſtri: aut incitatis nauibus. Si hoc: iam iterum aut fortuitò, aut deliberatò terras eas adierunt, hoc eſt, vt ſtrictiùs dicam, primi harum terrarum incolæ aut vi & tempeſtate maris, contra ſuam mentem eò coniecti ſunt, aut nouarum rerum ſtudio paratas naues eò impulerūt. Præter hæc tria quartum non reperio, ſi quæ humanarū virium ſint, trutino, nec volens prodigioſa quædam poëtarū fabulamentis ſimilia commiſcor. Nec enim huc figmentum de Ganymedis aquila, aut alato Pegaſi equo, aut Syrenibus, aut Nicolais adducendum videtur. Iam porrò verò, niſi tædium ſit, ſpecialiùs horum modorū vnumquemque eo modo, quo propoſiti ſunt, expendamus. Ex qua conſideratione, ſuat um delectatio tum vtilitas quoque emerget haud ſpernenda.

Methodus inueſtigandi veritatem quæſtionis propoſita.

Probandæ vero rei hæc via videtur omnium eſſe & planiſſima, & efficaciſſima, quod, ſicut hodiè naues Hiſpanicæ, ſuis gubernatoribus, aſtrorum ſitum, & cæli cōuerſionem, vt & ventorum mariumque rationem noſcentibus & obſeruantibus inſtructæ viam in Indiam ſecuram facilemque obtinent: ſic olim quoq; maiores noſtri, harum rerum omnium gnari, ſedes iſtas quæſiuiſſe, & inuentas occupaſſe, putentur. Quid enim? an noſtri ſaltem ſeculi homines ſulcandi Oceani induſtriam habuiſſe dicentur? An non & veteres claſſem adornare, eaq; Antichthonam (terram noſtræ oppoſitam) quam certiſſimis rerum documentis extare ſciebant, quærere potuerint? pol vero: nec pilo quidem difficilius, quam haud pridem claſſis quædam, cui Aluarus Mendauius præfectus erat, ex portu Limæ ſoluens, per immenſum Oceanum verſus occaſum nauigauit, vt illa orbis loca, quæ ex hoc latere verſus occidentem Americæ noſtræ opponuntur, detegeret. Quæ felici ſæpè trium menſium decurſu & multas ſimul & patentes inſulas, Salomonias poſt vocatas, aperuit. Quas, ad

Aluarus Mendauius præfectus.

nouam Guineam magnam ſitas eſſe proditū eſt fama publica. Hæc itaque vt conſtarent certius, ſenatus regii decreto ſub ipſo iam dicto præfecto, claſſis quoque ſecunda adornata & emiſſa eſt. Præter rem autem rectumque hoc nihil eſt admittere, ſi, quod iam fieri videmus, idem vetuſtioribus quoque ſeculis ante nos patratum fuiſſe cogitemus.

His ita ſtatutis, ſi porrò accedat ipſa quoque S. literarum autoritas, Salomonē nempe à Tyriis & Sidoniis, rei claſſicæ peritiſſimos nautas accepiſſe, qui tribus annis integris Oceanum pererrarint, cui deinceps noſtra ſententia non probabilis futura eſt? Quô enim iſta nautarum tam induſtria ſolertia peritiaque laudibus exaggeraretur; quô itidem longinquæ iſtius nauigationis mentio introduceretur, niſi claſſis Salomonia magnum Oceanum traiectura fuiſſet? Haud abs re ergò plurimi arbitrati ſunt, Oceani vaſtitatem eius momenti non fuiſſe, vt propter eam diuus Auguſtinus à rationabili aliorum ſententia abſcederet: cum potius id ſecum colligere debuiſſet, triennali iſto tempore Oceanum, quantuſcunque ſit, facilè tam prorſum quàm vorſum permeari potuiſſe.

Ego verò longe aliud ſentio, nec, vt credam, adduci poſſum, primos Indorum præciſe huc ſuum curſum rapuiſſe, aut certa deliberatione prægreſſoque conſilio in nouum hunc mundum penetraſſe. Quin nec hoc verum videtur eãdem rei nauticæ peritiam nobiſcum habuiſſe veteres; qua certè noſtrates inaudita quadam cùm velocitate, tum ſecuritate vaſtum Oceanum quoquò verſum pererrant: cum apud veteres ne veſtigia quidem aliqua artis alicuius præclaræ & expeditæ inueniam. Nam nec magnetis ſeu acus nauticæ mentionem in vetuſtis monumentis inuenio; nec vſum eius illis familiarem vnquam fuiſſe, perſuaderi mihi patiar. Cuius tamen beneficio opeque ſi vel ſemel deſtituamur, tum per Oceanum omnis nauigatio, vt infelix, ſic planè impoſſibilis eſt. Quæ diſſero, ea vel indoctis & imperitis plana ſunt. Nam, quô verſum curſum ſuum dirigere debeat nauta, ſi in Oceano ſulcando magnetica acu deſtituatur? certè nihilo certius ſciet, quàm ſi cæcus, qui digito extento, quæ in citimo & remotiſſimo alicubi monte ſint, demonſtrare conetur. Verè autem mirabile quiddam eſt, facultatem virtutemque magnetis tam diu veteribus fuiſſe incognitam, & poſtremis demum ſeculis noſtratibus innotuiſſe. Latuiſſe autem hæc illos, ex ſequentibus rationibus clarè planeque confici poteſt. Plinius enim rerum naturalium indagator diligentiſſimus, etſi de magnete varia commentatus eſt, tamen ne vel verbulo maximam & nobiliſſimam illius vim naturamque hanc attingit, quod ferro illita aſtrictaque, illud verſus ſeptētrionem aſſiduò ſpectare faciat. Nihil quicquam etiam de lapidis illius hac poteſtate vel Ariſtoteles, vel Theophraſtus, vel Dioſcorides, vel Lucretius, vel quiſquam alius tum hiſtoricorum, tum philoſophorum memi-

Vſus magnetis, priſcis nautis ignotus.

Probatur.

Lib.36.cap.18. Et lib.34.c.14. Et lib.37.c.4.

meminit. Et licet ipſe quidem Auguſtinus, in libro, quem de ciuitate Dei condidit, memorabilia & mirabilia multa adducat: iſta tamen omnia, ſi cum hoc ſecreto Naturæ miraculo conferantur, leuia & vulgaria videbuntur. Huc & illud accedit, quod, dum Plinius autores rerum nauticarum, & ad has requiſita neceſſaria maximoperè deprædicat, de magnete totus ſileat, & Phœnicibus pro explorata ſiderum natura ſituq; meritas gratias habendas eſſe ſaltem moneat.

Aug. lib. 21. c. 4. vbi de magnete multa.
Lucret. libr. 6.
Plin. lib. 7. cap. 56.

Vt verò ſummatim, quod res eſt, comprehēdam, ſcire opus eſt, omnem veterum nauigādi Oceanum ſolertiam in notitia ſtellarum, promontoriorū, terrarum litorumq; diuerſitate fuiſſe poſitam. Qui ſi fortuitò in alto mari, vbi præter aërem vndamq; nihil pateret, aliquando corripiebantur: nauis dirigendæ gubernandæq; diſciplinam nullam tenebant aliam, quàm quæ aſtrorum, Solis nimirum Lunęq; ratione ipſis commonſtrabatur. Quod ſi cælo nebuloſo & obſcuriore exiſtente, aſtrorū inſtitutione vti non poſſent; tunc aut ventorum naturam impetumq; ſequi, aut itineris anteà eo tranſitu confecti opinionem, aut imaginariā eius loci, ad quē pertendebant, conceptionem ducē quærere cogebantur. Quo ingenio vel ipſi Indi hodiè immenſa maris ſpatia percurrere norunt.

Plinius quidem autor & teſtis eſt, Inſulæ Taprobanæ, nunc Sumatræ dictæ, nautas, nouum quendam ſulcandi maris modum & inuentum excogitaſſe. Nam, Septentrio, inquit, non cernitur, ſed volucres ſecum vehunt, emittentes ſæpius, meatumque earum terras petentium comitantur. Qui mecaſtor, ſi vim & potentiā Magnetis, quemque in vſum is lapis faceret, compertam habuiſſent, auibus iſtis ad continentem volatū ipſarum prodendam, neutiquam opus habuiſſent. Poſtremo omnium, vt vim Magnetis veteribus incognitam fuiſſe demonſtremus, vel id vnicum ſatis nobis ſit, quod nec apud Latinos, nec apud Græcos, nec ipſos etiam Hebræos nautici inſtrumenti, nobis Compaſſi, Hiſpanis verò patrio idiomate Aguia de marear dicti, vocabulum vſpiam apud autorum quemquam reperire liceat. Quod ſi quidem, vt eſt res ſanè memorabilis, vllibi notum fuiſſet, nomine ſuo pol nunquam caruiſſet, aut mentione merita nunquam deſtitutum fuiſſet. Hoc ergò ſeculo nauium patroni, ceu ad gubernaculum, in ſola puppi conſidere ſolent, vt illis, qui remos ducūt, ex inſpecto Compaſſo, curſum moderentur: ſic veteres olim in prora, vnde terræ veſtigia & maris rationem exactius ſpeculari poterant, ſtabant. vnde apud Græcos quoq; proretæ dici conſuerant.

Plin. libr. 6. c. 22.
Mira veterum ars nauigādi.
Compaſſi notitia recens.

Cap.

Cap. XVII.

De mira magnetis virtute, & eiuſdem in hodiernis nauigationibus vſu, veteribus penitus incognito.

QVOD diſtantiſſimę nauigationes hodiernis temporibus in Indiam tam tutè & facilè conficiantur, id vni magneti nullo dubio acceptum ferendum eſt. Videre etenim hodie aliquammultos liceat, qui Vlysbona in Goam, Seuillia Mexicum ſiue Panamam, & per ipſum auſtralem Oceanũ Chinã vſq; & ipſam viam Magellanicam itinere tuto faciliq; perſæpe commearint. Ipſi hi oculi noſtri viſorũ teſtes ſunt illorum, qui vice decima tum quinta, tum octaua Oceanum ipſum emenſi ſunt. Inſuper & de quibuſdam narrant, qui vicies eô tum abierint, tum inde ſoſpites redierint, cum tamen in Oceano prioris nauigationis nulla veſtigia impreſſa relinquantur, & qui breuiſſimam viam cõmonſtrent, viatores nulli ob-

c.5. „ uiam dentur. Nauis ſiquidem (vt Sapiens ait) pertranſit fluctuantem

„ aquam, neque eius, cum præterierit, veſtigium inuenire eſt, nec ſemi-

„ tam carinæ eius in fluctibus. Beneficio autem ductuque Magnetis Oceanum quoquo verſum tranſmittere poſſunt hodiè nautæ; cui à ſapientiſſimo rerum omnium creatore ea inſita implantataque vis eſt vt ferrum, eius affrictu obtritum, ea parte, qua delibutum eſt, quocunque loco, quocunque terrarum ſitu ſit, perpetuò partem mundi ſeptentrionalem ſpectet, & eandem commonſtret. Cuius quidem euentus, qui curioſius cauſam modumque ſcrutantur, neſcio quas rerum ſympathias obtendant. Ego verò, quotieſcunque hoc ita fieri attentius conſidero, effuſa in ſtuporem & admirationẽ mente, ſummi & immortalis Dei conditoris poteſtatem prouidentiamque infinitam, intimè deprædico: arbitrorque, hîc ſanè ad collaudandũ ſum-

Stupenda potius magnetis vis, quã caussa eius operationis peruestiganda.

Sap.14. „ mum Archetypum cum Salomone meritò exclamari poſſe: Tua pa-

„ ter prouidentia lignum gubernat, quoniam dediſti in mari viam, &

„ inter feros fluctus ſemitam firmiſſimam, oſtendens, quoniam po-

„ tens es ſaluare, etiam ſi ſine rate aliquis adeat mare. Sed vt non eſ-

„ ſent vacua ſapientiæ tuæ opera, propter hoc & exiguo ligno credunt

„ homines animas ſuas, & tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt.

Pſal.106. „ Eodem etiam ſpiritu Pſaltes canit: Qui deſcendunt mare in nauibus,

„ facientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini,

„ mirabilia eius in profundo. Etenim ex operoſis Dei miraculis id non poſtremum eſt, tantilli lapilli vim in abyſſo maris dominari, & Oceani immenſam vaſtitatem quaſi ſceptro quodam ita coercere, vt quo nauium tranſitus vergat, loco is cõfeſtim cedat. Quod ipſum tamen, quia & frequẽter, & facile fit, hominibus magnæ admirationi non eſt, nec admodum æſtimari ſolet: idemque hîc accidit, quod

Frequẽtia ferè contempta ſunt.

apud

apud homines fatuos: quos, quo pluribus muneribus cumules, eò gratiam eorum deſpectiorem & contemptiorem redditurus es. Nobis tamen econtrà, quos magis frugi eſſe cōuenit, hæc profunda Dei ſapientia cum magni æſtimanda, tum laudibus meritis omninô cohoneſtanda eſt. Cum enim diuino conſilio id decretum eſſet, vt noſtrates homines quoque ad gentem Indicam, tot iam annorū ſeculis ignotam, penetrarent, & hoc fine cum ipſis, vt ad ſalutem æternam, in Ieſu Chriſto promiſſam, verſarentur: ad metam hanc, tantis interuallis ſemotam, permeandam, idem Deus quoque certum ducem & indicem nobis largiri voluit: Quem ipſo magnete fidiorem & exquiſitiorem quidem condere non potuit.

Quo autem præcipuè tempore, nauigantibus vſus illius innotuerit, & à quibus annis inceperit, ſcire vſque adeò promptum non eſt. Ex firmis tamen & indubitatis coniecturis (quarum partē aliquam priore capite attigi, partem aliam hîc addo, nempe, quod veteres in Horoſcopis ſuis magnetis ne vna quidem litera meminerint, cum tamen in automatis ſeu horologiis immobilibus vis eius primaria ſit) equidem colligo, ſcioque, vſum eius non admodum vetuſtum eſſe. Quidam ex Luſitanicis Hiſtoriographis palmarii tradunt, Gamam quendam, Indiæ Orientalis primum exploratorem, apud promontorium bonæ ſpei Barbaricos nautas attigiſſe, qui magnetis vſum ſcirent, & eius monſtratione mare permearēt. Vnde verò iſtam notitiam Barbari acceperint, non addunt. Scriptorum quinimô nonnulli ſententiæ noſtræ apertè aſtipulantur, remque hanc veteribus omnimodò incognitam fuiſſe perhibent.

Lib. 1. de Ital. illuſtr. Reg. 13. Plin. lib. 2. cap. 72. & 76. Et lib. 7 c. vlt. Oſorius de reb. Emman. geſtis.

Sed de magnete miraculum adhuc multò illuſtrius & inſignius, (meo quidem iudicio) addam. Quod fidem quidem nullam meriturum ſcirem, niſi & à viris præſtantiſſimis illud aſſertum, & meo ipſius experimento certum inuentum intelligerent. Acus nautica, ſeu illa ferri acies à magnete tacta & delibuta, verſus polum Arcticum & aſſiduò & vbique ſe conuertit: veruntamen non vbique directè. Climata namq; ſunt quædam, ex quibus rectà ſeptentrionem reſpicit. Vltra verò aut citra iſta, acus in latus nutat, tanto quidem longius, quanto à climate abſcedit magis. Et id ſuo more nautæ noſtri Nordeſtear aut Noruueſtear, vocare ſolitāt: quæ duo ſibi ita quidem opponuntur, vt illud quidem ſecundum longitudinem verſus Orientem, hoc vero verſus occaſum declinet. Nec parum intereſt, has inſtrumenti declinationes probè intelligi. Quarum ſi nauis gubernator imperitus ſit, facili occaſione aberrans, longè aliā metam, quàm ſibi in principio præſtituerit, triturus erit.

Apud imperitos Notabile.

Mihi vir quidam Luſitanus, rei nauticæ ſanè peritiſſimus, pro exploratiſſimo recenſuit, in vniuerſo orbe quatuor ſaltem climata reperiri, in quibus acus nautica directò polum aſpiciat: quorum quoque tum nomina tum ſitus mihi explicuit vna: Quæ meam tamen

E iam

iam memoriam ferè effugerunt. Iſtorum climatum vnum in eo ſitum eſt tractu, in quo Inſula El Chueruo dicta, memoratur. Ex illa qui verſus ſeptentrionem vela faciunt, acum verſus occaſum nonnihil inclinare nutareque, haud obſcurè animaduertunt. Contra verò qui ad lineam meridionalem excurrũt, hi acum verſus ortum aliquatenus dirigi obſeruant. Quanta verò menſura, quóve ſpatio, compertius illi norunt, qui eò iter fecerunt.

Hoc loco mihi illos in colloquium offerri optarem, qui de diuinis operibus temerariè ſibi iudicium ſumunt, ſuisque viribus nimis quam multa aſcribentes, omnium rerum ſcientiſſimi haberi ſatagunt. Ex his, mirum eſt, quantopere ſcituriam, quam tandem huius rei reddituri cauſam ſint, quòd lamella iſta tam vilis & contempta, ſi lapillo Magnetico vel tantillũ confricetur, tantas illicò vires ſortiatur, vt ſeptentrionem rectà perpetuoque tum reſpiciat ipſa, tum aliis commonſtret: quod regiones ſeu climata mundi tam probè diſcernat: quod omni Philoſopho aut Coſmographo, quo loco fixa ſtare, quo itidem in latus inclinare debeat, exquiſitius percognitũ habeat? Cuius quotidiè quidem ita euenientis, cum rationes veras & immotas indagare non valeamus: cur eò inſaniæ prouoluimur aut leuitatis, vt res merè diuinas, & longè ſupra captum noſtrum conſtitutas, ignauis noſtræ mentis alis venari aut aſſequi plerumque conemur?
Credendũ, vbi ratio deficit. Multò verò (vt eleganter Gregorius Theologus diſſerit) æquius eſſet, vt fidei concederet ratio, quæ ſuis aliàs terminis anguſta eſt & imbecillis. Sed hactenus dicta ſatis ſint. Quibus in medium afferendis, poſtquam à ſcopo paulò longius euagati ſumus, iam poſtliminiò ad priorem materiam reuertamur, & quod hactenus argumentis pluribus cōfecimus, certò ſtatuamus, Magnetis vſum veteribus planè incognitum fuiſſe. Ex quo ſecundario id quoq; conſequitur, olim nauigationes per magnum Oceanum in hunc nouum orbem ex conſilio certo & deliberatione decreta non ſuſceptas & inſtitutas eſſe.

Cap. XVIII.

Obiectionum quarundam, cur vetuſtis quoq; temporibus Oceanus magnus nauigationibus, noſtris ſimilibus obitus ſit, confutatio.

QVæ de claſſe, à Salomone miſſa, attulimus, parum me mouent. Nec enim S. Scriptura id innuit, quod tribus annis integris quælibet nauigatio durauerit: ſed potius, quod ternis quibuſque annis ſemel claſſis eò amandata fuerit. Porrò etſi & id largiremur, de duratione trium annorum: nihilo minus tamen & hoc, ceu credibilius quoque, cogitare nobis integrum fuerit, quod prædicta claſſis in Indiam Orientalem excurrerit, & in tranſitu diuerſos

portus

portus,regionesque confines omnes adierit: qua ratione ſanè & hodiè per vniuerſum auſtralem Oceanum à Chile vſque in nouam Hiſpaniam nauigationes inſtituuntur. Quæ quidem nauigandi ratio ſecura comprimis tutaque eſſe videtur, cum nauigantibus terra ex conſpectu nunquam auferatur: ſed eadem ipſa tamen, propter moras in portubus longiores factitandas, longè tædioſior eſt & diuturnior.

Ex veterum quidem commentariis haud conſtat,quod tum temporis per altum Oceanū naues incitari ſueuerint: nec mihi probabile fit,eos ſulcandi maris alium olim tenuiſſe modum,quàm quo noſtrates hodiè mare mediterraneum tranſmittere ſolent. Quinimo doctiorum haud pauci,maiores nimirum noſtros quoquo verſum ſecūdum littora ſaltem naues remis incitatas egiſſe, haud abs re cenſent. Ad quem modum ſacra quoque Scriptura, in longinqua illa à Iona ſuſcepta nauigatione, alludere videtur, dum in cætera, nautas tempeſtate maris & vi procellarum coorta concuſſos illicò naues remis verſus littus impuliſſe, indicat.

Cap. XIX.

Credibile eſſe,noui orbis incolas,præter animi deliberationem, tempeſtatum vi illuc coniectos & expulſos eſſe.

CVm hactenus in mediū allatis abundè ſatis demonſtratum ſit,Indorum maiores aut ſatores primos certo deliberatoque conſilio neutiquam in Indiam Occidentalem migraſſe, & ibi ſedes ſibi commodiores molitos eſſe: ex contrario iam ſequi neceſſe eſt, eoſdem caſu fortuito,ſine omni electione illic appuliſſe, modò tranſmiſſo Oceano iſtūc venerint. Ad quod quidem largius perſuadendum multa aliunde aſſumi poſſent, non obſtāte eo, quod ingens Oceani vaſtitas in opinionē contrariam quem illicere poſſet. Sicut enim tempeſtas fremitusq; Oceani ad noui orbis littora compellere potuit nautam illum, qui Chriſtophoro Columbo,hoſpiti ſuo,moriturus condito teſtamento, ſuæ iſtius tentatæ nauigationis incognitos aliis ſucceſſus, nouamque quaſi cognitionem legauit: pari aut ſanè non admodum diſſimili ratione fieri potuit, vt greges aliquot hominum, ex Europa aut Africa commeantium, præter votum deliberationemque ſuam vltra ipſum vaſtum Oceanum in has regiones diſpellerentur aut diſiicerentur, quas anteà nulla notitia compræhendiſſent.

Sed nec & id incognitum eſt, plurimas alias quoque noui orbis oras, meris Oceani tempeſtatibus potius,quàm humana induſtria, detectas eſſe. Interim tamen, ne huiuſmodi euentuum felicitas aut

noſtrarum nauium magnitudini, aut hominum vectorum multitudini fors aſcriberetur, mira & memorabilia quoque nonnulla, ſi-
Lib.2.c.67. milia, vel maioribus noſtris accidiſſe, ex Plinio cognoſcere licet. Is
» ita commentatur: In ſinu Arabico res gerente C. Cæſare Auguſti fi-
» lio, ſigna nauium ex Hiſpanienſibus naufragiis feruntur agnita; Et
» poſt paucula deinceps: Nepos de Septentrionali circuitu tradit, Q.
» Metello Celeri, C. Afranii in conſulatu collegæ, ſed tum Galliæ pro-
» conſuli Indos à Rege Sueuorum dono datos, qui ex India commer-
» cii gratia nauigantes in Germaniam eſſent tempeſtatibus abrepti.
Quod ſi ergò Pliniana verba vera ſunt, tum ſanè in propatulo eſt, hodie Luſitanos ſuis nauigationibus non longiùs procedere, quàm fecerint olim vel Indi, qui in Germaniam: vel Hiſpani, qui in Sinum vſque Arabicum velis procurrerunt.

Lib.6.c.22. Idem Plinius alio quoque loco tradit, Annii Plocanii libertum, qui maris rubri vectigal à magiſtratu redemerat, iuxta Arabiam vela facientem, Aquiloniiſque tempeſtatibus ſecundum littora de Caramania propulſum, dierum 15. ſpatio vſque in portum Hippuros in Taprobana ſitum inuectum fuiſſe. Sed & alia quædam nauis Africana memoratur, aquilonibus validis per mare Mauritanicū iactata, nouum orbem quàm proxime in ſuo conſpectu habuiſſe. Nec quiſquam noſtrum eſt, qui ignoret, quæ ventorum in Oceano frementium vis, quæve pertinacia ſit: ita vt aliquammultis perſæpe diebus de violentia ſua ne tantillum quidem remittant. Tum & mihi die primum decimo quinto noui orbis inſulas ſpectare cōtigit, quas certè citiùs multo vidiſſemus, ſi vela noſtra Euro aquilonibus agitantibus perpetuo turgida volaſſent: tantopere nos vis illius aduerſa diſtinere valuit. His itaque de cauſis admodum mihi ſimile vero videtur, quod olim homines per altum Oceanum fluctuantes, volentes nolentes, ventorum violentia, ex illo orbe in hunc nouum diſiecti fuerint. Per omnem hanc Peruenſem prouinciam ſolemnis fama volitat, eo nimirum loco, quo iam Manta & portus vetus, exigua ciuitas ab Hiſpanis extructa viſitur, quædam Gigantum oſſa erui, tantæ magnitudinis & proceritatis, vt expenſa proportione, corpora illa duplo aut ſemiduplo modernis Indicis fuiſſe, clarè compareat. Hos memorant olim mare peruagatos in littus erupiſſe, cumque incolis bella exitialia geſſiſſe, & ædificia inſolitæ raræque altitudinibus extruxiſſe: cuius generis iſte quoque abruptus & profundus puteus, ex molis maximæ ſaxis conditus, ac vel hodiè conſpicuus eſſe dicitur. Tandem verò fœdos & prodigioſos iſtos homines, propter fœdas & monſtroſas agitatas libidines fulmine cælitus tactos & exciſos eſſe. Quin & ab Icam & Aricam indegenis expreſsè memorari aiunt, veteres incolas, pluteis, ex coriaceis follibus inflatis, concinnatis, colligatíſque non ſecus ac nauibus quibuſdam ad inſulas etiam diſtantiſſimas traieciſſe, eodémque habitu do-

mum ad ſuos re confecta commeaſſe. Indicia etiam haud leuia ſunt, monſtrantia, auſtralem Oceanum, longè antè Hiſpanorum quoque appulſum, tranſnauigatum fuiſſe. Ex quibus haud incommodè colligere poſſumus, nouum hunc orbem, qualiter nunc detectus eſt, antea quoque habitatum fuiſſe ab hominibus, aut naufragio, aut Oceani tempeſtate, aut aquilonis procellis eò coniectis.

Qua in rei conſideratione id comprimis admirandum eſt, quod dona naturæ primaria & illuſtriſſima ſemper fortuito potiùs caſu, quàm ratione & induſtria humana inuenta ſint, aut collecta. De viribus ſiquidem herbarum plerarumque, quæ ad ſalutem hominis faciunt, quæ prodita ſunt, maxima ex parte aliunde potiùs & accidentariò, quam ex arte & diſciplina cõſtant. Radicum quinetiam & lapidum vis facultáſque eodem potiſſimum modo explorata eſt: vt & natura eorum omnium, quæ è terra eruuntur, ceu ſunt mineralia, gemmæ, venæ auri, proprietas magnetis, ſuccini, Adamantis, & ſimilium. Quæ vniuerſa hunc ſaltem in finem ordinata ita ſunt, & diſpoſita, vt hæc non in hominis, ſua natura ambitioſi, ſed in vnius Dei, cuius prouidentia inæſtimabilis viget, laudémque & celebrationem cederent.

Cap. XX.

Primos noui orbis habitatores terreſtri potius itinere eò veniſſe, longè probabilius exiſtere.

PAVLÒ verò accuratiùs & circumſpectiùs retrutinata, videtur homines illos, qui has terras primi incoluerunt, tempeſtatum inclementia ibi eiectos fuiſſe. Cui tamen ita credenti, id econtrà obiici facilè poteſt, quod, ſi quidẽ ipſos homines, tam mares quàm fœminas, ad genus ſuum ſerendum & propagãdum Oceanum tranſmittentes huc conceſſiſſe, largiamur, innumera tamen & portentoſa animalia illa, quæ terra iſta fouet, nauibus impoſita huc traiici minimè potuerint. Et vt ſua S. ſcripturæ autoritas fideſque ſarta ſit, fateri ſanè cogimur, omnes huius orbis incolas ex alio priore omninò commigraſſe, ne nouos fors homines, quàm ab Adamo progenitos, comminiſci cogamur. Sed porrò & eadem S. pagina, tum omnia animalia, tum quicquid vſpiam viuens erat, cataclyſmi vniuerſalis tempore ſuffocatum eſſe docet, iis exceptis, quæ in *Gen.7.* arcam Noë aſſumpta, & ſeruata fuerunt. Hinc ergò iam quæſtio emergit, quomodo animalia illa in cataclyſmo ſeruata, & in monte Ararat, vbi arca conſtitiſſe legitur, expoſita, genus ſuum propagarint. Velut ergò ipſis hominibus: ſic animalibus quoque ex veteri in hunc nouum orbem digreſſis, certas tranſmigrationis vias perueſtigare

Aug. in libr. de ciuit. Dei, c. 7. cogimur. Diuus quidē Auguſtinus alicubi in hanc quæſtionem excurrit, qui fiat, vt in nonnullis Inſulis, Lupi, Pantheræ, & feræ immanes aliæ, quæ generi humano nec vſui ſunt, nec ab iis appetuntur aut educantur, reperiantur. Nam quod elephantos, equos, boues, canes, & generis huius animalia cætera attinet, hominum neceſſitatibus commodantia: ea hominum deliberato conſilio nauibus in has oras conuecta eſſe, quiuis facilè ſecum reputare poteſt: cum & hoc noſtro tempore inſtitutis in regiones Orientales longinquis nauigationibus hinc in Europam, & ex Europa rurſus in Americam huiuſmodi multa traiiciantur. Illa verò, quę humanis vſibus adeò nihil incommodant, vt feritate & immanitate ſua potius noceant, vt ſunt lupi, & ſimilia, quò nimirum pacto vel tramite in Inſulas iſtas deuenerint, cum tamen cataclyſmo vniuerſus orbis inundatus fuerit, hoc præcipuè loco inquiritur.

Ex his anguſtiis & difficultatibus, in quas coniectus erat, vt ſeſe extricaret diuus Auguſtinus, perfugium ſibi ita molitur, vt dicat, feras illiuſmodi tranando Oceanum in has terras, migraſſe: aut in venationum illecebras ab hominibus ſtudio eô importatas fuiſſe, vel diuina procuratione ex ipſa terra enatas eſſe, æquo ferè modo, ac in
Gen. 1. » principio conditi mundi, quo Deus dixit: Producat terra animam vi-
» uentem, in genere ſuo, iumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundum
» ſpecies ſuas. At enimuerò, ſi hęc quæſtio hoc modo ſoluatur, eius no-
» dus multô intricatior futurus eſt. Nam vt poſtremum prius refellamus, id nec Naturæ & proprietati rerum, nec ordinationi diuinæ, qua vniuerſa regit & gubernat Deus, conſentaneum eſt, vt animalia, in ſuo genere perfectiſſima, ceu Leones, Tygrides, Lupique ſunt, citra congreſſum ſuiq; permixtionem murium aut ranarum, veſparumve, aut aliorum inſectorum more è terra naſcantur. Porrò quid id
Gen. 7. » cauſæ fuerit, vt Deus Noë expreſſè dixerit: Ex omnibus animantibus
» tolles, ſed & de volatilibus cæli ſeptena & ſeptena, maſculum & fœ-
» minam, vt ſaluetur ſemen ſuper terram: ſi poſt diluuium terra noua & varia animalia ex ſeipſa iterum productura omninò fuiſſet? Sed & ex reſponſo iſto noua quæſtio emerget, cur non omnes promiſcuè terræ inſulæve huiuſmodi animalia nouerint, ſi non naturalis & ordinaria eorum generatio, verum effuſa Dei bonitas extra ordinem ſpectanda ſit? Præterea, venationis & aucupii gratia certa quædam animalia in hæc loca ab hominibus illata eſſe, id quidem ita concipere haud difficile eſt: ſiquidem & Leones, & vrſos, & animalia his ſimilia magnificentiæ ſuæ oſtentandæ gratia Reges vel dum in ſuis caueis ſcrobibúſque alere comperimus, ex terris diſtantiſſimis accita & inducta. Credere tamen nimis quam durum eſt, tum lupos, tum vulpes, tum alia inutilia & nocentia, nec ipſo corporis decore deſiderabilia, ſed cæteris exitioſa, venationis cauſa quoque eôdem illata eſſe. Et cui perſuaderi poſſet vnquam, homines quoſdam in hunc nouum

uum orbem longiſſimis & periculoſiſſimis nauigationibus hoc fine contendiſſe, vt in Americam vulpes, comprimis verò eos, quos Annas indigetant, animal omnium fœditiſſimum & ſpurciſſimum, inueherent? vt in ſui oblectationem tygidres & leones haberent? In quibus nauigationibus tanto tempore continuatis id ex ſe prodigioſum videtur, quod vitam ſuam ſeruare potuerint: ne quid dicam, alēdorum luporum & vulpiū amore id diſcriminis eoſdem ſubiiſſe. *Annas vulpes fœtidiſſimus.*

Quibus ita cōfectis iam nihil aliud relinquitur, quàm quod tranſnatando animalia illa has terras inuaſerint. Nam & his noſtris oculis vidimus, & aliorum quoque experientia confirmatum ſcimus, quod illiuſmodi feræ, imminentibus aut inſtantibus à tergo periculis incitatæ, integros ſæpè dies noctesque in vnda obnatarint, dum tandem iterum terram aſſequerentur. Hinc itaque probari poſſet, in aliquibus id inſulis ſic euenire, quę à ſe inuicem aut à continenti non longè admodum abſunt. Noſter tamen hic Oceanus natatorum iſtorum teretiſmata haud leuiter diſplodet. Nam in abyſſo tam grādi velociſſimarum quoque auium alas deficere neceſſe ſit. Haud quidem falſum eſt, volucres quaſdam 1500. ſtadia volatu ſuo exuperare poſſe. Nam cum aliquando per immenſum Oceanum in Indiam nauigantes, in ratis prora conſediſſemus, in malo ſupremo perſæpè turtures quieſcentes animaduertimus, quæ ex littore Africæ auolauerant. Vtut tamen hæc ſe habeant, vniuerſus Oceanus nec volatu nec natatu vllo tranſmitti quoquo pacto poteſt.

Hic ergô quid nobis dicendum reſtat? Quas vias, quos tranſitus, tum auibus tum animalibus in Americam trāſgreſſuris pandemus? Hæc mecaſtor difficultas eò me ſententiæ aliquoties impulit, vt ſtatuerem, nouum hunc orbem à cætero nequaquam quoquo verſum auulſum diſcretumque eſſe: diuque hanc ſententiam animo foui, vtrumque orbem aliquo ſaltem loco extremitatibus cohærere, nec à ſe inuicem tantis interuallis diſtare. Cui ſententię etiam, quod ſciam, hactenus nemo quiſque contrariam certis fundamentis opponere potuit. Nam omnis ea longitudo, quę ad polum vſque Arcticum eſt, tota nondum explorata eſt, multique Floridam ipſam longo tractu verſus ſeptentrionem excurrere, & ad mare vſque Germanicum ſeu Scythicum exporrigi arbitrati ſunt. In cuius rei confirmationem quidam nauem quandam teſtem adducunt, quæ inde aduecta eſt: dicuntque, Baccalaos ad extremos vſque Europæ fines extendi. Qua etiam latitudine terra, quæ vltra promontorium Mendocinum ſita eſt, pandatur, ſatis planè nondum compertum eſt. Eam tamen ampliſſimam eſſe prædicant. Nec quiſquam hactenus explorauit, quouſque continens, quæ citra Patagones ad polum Arcticum ſita ſpectat, diffundatur. Epiſcopi Placentini nauis, quæ per fretum Magellanicum aliquot hominum millia tranſuexit, terminos nullos patere illic, retulit.

Mea

Mea ergò opinio, de terra alicubi locorum cohærente, aut ad minimum non longius diſtãte, ratione nulla firma infringi poteſt: nec huic contrariam probabiliorem quiſquam attulit. Quæ ſi ſe dicto modo habent, vt vero valdè cõſentiunt: iam intellectu perfacile fiet, quo modo genus humanum ex veteri notoque orbe in hunc nouum numero exiguo primùm, paulatim ſenſimque pedeſtri itinere confluxerit, ibidemq; nouas habitationes quæſiuerit, & illis inuentis gregibus maioribus appulerit, dum tandem vniuerſam iſtam terram, occupatis locis præcipuis, compleuiſſet. Ex quibus primis ſatoribus deinceps tot nationes, tam populi diuerſi, annorum iuſta ſerie interlabente emerſerunt.

Cap. XXI.

Quibus viis modisq́; ipſa quoque animalia ex veteri orbe in nouum commigrarint.

AD ſuperius commemoratæ ſententiæ probationem, haud frigidè quoque ea faciunt argumenta, quæ à ratione modoque habitationis Indorum petuntur. Nam ſi quædam inſula, à continente & aliis finitimis inſulis paulò diſtãtior ſit, cuius generis Bermunda dicta eſt, iſtis diſtantioribus nihil commercii intercedere inuicem, obſeruatum eſt. Huiuſce verò rei cauſa eſt, quod veteres non niſi ſecundum littora ad ſedes vicinas commeabant, nec quoquam longius, quàm oculorum proſpectus eſſet, nauigabant. Nec in vlla noui orbis parte grandiores naues inuenire licuit: verùm ipſi Indi pro mari permeando canois ſuis, aut peragius, ſeu Balſis, id eſt, lintribus, ſcaphis aut cymbis ſaltem vti reperti ſunt: quibus citra euidẽs periculum maris altum tentare minime poterant. Quod ſiquidem grandior aliquando ipſis nauis obtigerat; tamen vſum magnetis non callebant, nec rationem aſtrolabii ſeu quadrantis edocti erant. Qui ſi non ſingulis octodecim diebus terram cõſpicuam habuiſſent, in propoſito ſuo toti ambigui hæſiſſent. Terras has nos ingreſſi, eas populoſas quidem, & ipſum mare nauiculis permeabile reperimus: ſed, vt diximus, Indi nudis ſuis ſcaphis, citra magnetis beneficium, quò poterant, procurrebant.

Qui in Peru habitant Indi, iuxta Tumben, cum naues aduenientes Hiſpanicas, ſuis panſis velis vndiquaq; turgidas primũ conſpexiſſent: rei nouitate perculſi, naues eas onerarias eſſe, minimè credebãt, ſed potius eas rupes & crepidines eſſe, maris æſtu agitatas ſtatuerunt. Quas tamen moueri, nec mergi videntes, penitus obſtupuerunt, quoad viros aliquos barbatos per naues currere conſpicerent: quos Deos exiſtimarunt. Ita in totum maiorum nauium vſus Indis incognitus erat.

Porrò animalia hominum opera in has terras non eſſe delata, id perſpicuè clareq; euincit, quod feræ illæ per vniuerſam quidem reperiantur continentem: in inſulis verò à continente quatuor dierum itinere abſitis, nuſquam obſeruantur. Id quod ſumma exquiſitaque diligentia exploraui egomet: quod momentum firmiſſimum haberet ad probandum id, quod vterque orbis extremitatibus ſuis alicubi coëat & cohæreat. In hac America noſtra iſtorum animalium complura genera extant. Eadem & Leones nutrit, nec tamen mole corporis, aut animi feritate, aut coloris fuſcedine Africanis æquiparandos. Tygrides quoq; tanto numero ibi viſuntur: vt rei memoratio præter fidem eſſe videatur. In quibus hoc admirabile notatũ eſt, quod erga Indos animo immaniſſimo & ferociſſimo, contra Hiſpanos tamen longè mitiore ſint. Regio hęc paucis vrſis pererratur: aprorum tamen & vulpium multitudo frequentiſſima viſitur. Quæ viciſſim animalia, ſi in Cuba, in Hiſpaniola, in Iamaica, in Margarita, in Dominicáve inſulis quærantur, ne vnum quidem reperietur. His adde, quod ante hæc tempora nec vtilium pecorum greges inibi fuerint: qui tamen, poſtquam Hiſpani has inſulas occuparunt, nũc numeroſis gregibus oberrãt, ſiue tauros, ſiue equos, ſiue porcos velis, canéſve. Vaccarum greges tot tamq; frequentes ſunt, vt nullo domino priuatim addictæ quoquo verſum cumulatè vagentur, & ab incolis ferarum modo indiſcretè figantur capianturq;, ſaltem corii cauſa, quod detractum exiccant, & merce iſtiuſmodi negotiationes ſuas agitant. Canum genus breuiſſimo tempore in tantam ſobolem excreuit, vt multis myriadibus paſſim oberrent; à quibus omne genus pecudũ multò atrocius infeſtatur, quàm ab ipſis lupis. Adeoque canes huiuſce inſulæ pernicies ſunt maxima.

Ipſæ aliàs inſulæ quadrupedibus nullis, vt nec auibus abundant. Pſittacorum tamen magna copia: qui & perniciter, & gregatim per aëra volitare ſolent. Paſſeres quoq; ſua copia volant: ſed perdices rariſſimæ. Quarum ſimiles in Peru me nunquam vidiſſe memini: vt nec Guanacos ſiue Vicunnas, quod genus caprarum ſylueſtrium eſt, ſummæ pernicitatis: in quarum ventre lapides Bezaar dicti, magni apud multos æſtimati reperiuntur. *Bezaar lapis.* Horum nõnulli parte dimidia oui magnitudinem excedunt gallinacei. Inſula hæc eo quoq; animali caret, admirabili ſanè & vtiliſſimo, quod Indi Lama, Hiſpani vero ouẽ Indicam vocant: quæ præter lanam, veſtibus idoneam, & carnes victui aptas, portandis quoq; omnis generis oneribus valdè vtiles ſunt. Nam dimidium onus muli proferre poſſunt. Harum alẽdarum non magnæ impenſæ requirũtur. Neq; enim ſolea ad ſufferrandos pedes: neq; loris, ephippiisq; ad dorſum inſternẽdum: neq; hordeo ad victũ egent. Hæc enim omnia, prouida natura, Indis alias pauperculis, in vſum cõmodiorem, animalib. iſtis addidit, vt ſuis dominis pluribus modis prodeſſent. Ipſa quidẽ continens, tũ harum, tum aliarũ quoq;

rerum ſummã vbertatẽ habet: nec ſingula, ita ſtrictim percẽſeri queunt. Inſulæ contrà iſtorũ omnium inopia premuntur, niſi eadem à noſtratibus eòdem inuehantur. E noſtratibus quidam, qui miſerabile naufragium fecerat, commemorare nobis ſueuerat, quod in nonnullis inſulis tygrides aliquot obſeruaſſet. Rogatus ergò, quanto ſpatio eæ à continenti diſtarent: reſpondit, interuallum non longiùs ſex aut ad ſummum octo milliaribus Hiſpanicis eſſe. Iam verò nemini ignotum eſt, tygridis id robur eſſe, vt tantam metam natando facile euincere poſſit. Ex quibus omnibus & ſingulis argumentis hactenus percenſitis euidentiſſimum fit, Indos aut itinere terreſtri, aut nauigationibus certe nec longinquis, nec laborioſis, in nouum hunc orbem penetraſſe: & hunc cum priore omninò terminorum nexu cohærere & continentem eſſe, id eſt, locis aliquibus ceu extremitatibus ſummis omninò agglutinari, aut inter vtrumq; tamen ſpatium ſeu interuallum non admodum longum latumque intercedere.

Cap. XXII.

Gentem Indicam non per Atlantida, vt nonnulli opinati ſunt, in Americam perueniſſe.

Plat. in Critia & Timæo.

SVNT haud pauci, qui Platonis ſententiam, ſuperius tactam, veriſſimam exiſtimant, Gentem nimirum Indicam ex Europa aut Africa per Atlantidem illam vbiq; decantatiſſimam peruectam, ab vna inſula in aliam, & tandem in continentem illam, quam hodiè incolunt, appuliſſe. Nam horum omnium ita Critias in ſuo Timæo meminit. Si ergo Atlantis illa, tum Aſia ipſa, tum Libya coniunctis, pro Platonis ſententia maior foret: tum in nullo poni dubio deberet, quin totum penè Atlãticum Oceanum vſq; ad noui orbis inſulas occupauerit. Porrò autem Plato quoq; refert, cum Atlantis inundatione maxima, tota ſubmerſa eſſet, quod tum temporis mare propter cœni & ſcopulorum frequentem obiectum nauigationibus incommodum factum ſit: quæ pelagi ſpecies talis, ſuo quoq; tempore adhuc durârit. Paulò tamẽ poſt, huius inſulæ reliquias totas & ipſas ſubſediſſe, & ſic mare rurſus nauigabile factum fuiſſe. Hæc quidã magni acuminis viri, vt ſeria & ſobria referre non verentur. Quæ tamen, ſi vel leuiter ad exactiorẽ veritatis lancem appendantur, meræ illico nugæ apparebunt, Ouidianis fabulamentis potiùs, quàm Philoſophicis diſcurſibus ſimiles. Interpretũ Platonis quidem nonnulli id contendunt acriter, quod omnia à Critia narrata, vtcumque tum inuſitatiſſima: tũ monſtroſiſſima videãtur, ceu ſunt illa, quæ de primordiis, incremẽtis, fortuna, bellisq; populorum Atlanticorum cũ Europęis geſtorum percẽſentur, veriſſimę hiſtoriæ

loco

loco habẽda ſint:cum & ipſe Critias prædixerit in Timæo, narrationem eam quidem mirabilẽ viſum iri. Sed eam tamen nihilominus eſſe certam indubitatamque. Platonici autem cæteri, illa commenti potius quàm hiſtoriæ ſpeciem habere expendentes, iſthæc omnia à ſummo & præſtantiſſimo Philoſopho allegorica ratione ita dicta eſſe cenſent: inter quos primarii ſunt Proclus, Porphyrius & Origenes. Nonnulli enim vſque adeo in Platonis verba iurarunt, vt verba eius non ſecus ac Moyſis ipſius aut Eliæ oracula acceptanda cenſeant. Cumque videant, in multis verba illius ab exquiſita veritatis puritate diſcedere, diuinum quendam & myſticum ſenſum illis affingendum contendunt. Ego verò, etſi Plato diuini elogium apud pleroſque obtineat, tantæ tamen illum dignitatis eſſe, mecum ſapere non poſſum. Creditu quidem perfacile eſt, omnem illam de Atlantide commemorationem pro vera venditari hiſtoria poſſe, & poſſe tamen ſimul purum figmentum eſſe, ideo præcipuè, quod Plato Critiam, cum adhuc puer fuiſſet, hanc narrationem inter veterum cantilenas audiuiſſe, fateatur. Quid? An non id quoque purum putum fabulamentum eſt, Neptunum Clytûs amore illectum, ex compreſſa ea quinquies gemellos ſuſcepiſſe, & collem quendam in quinque partes orbicas diſtinxiſſe, quarum tres aqua, duæ terra fuerint: non ſecus ac hæc tornario opere ita condita ſucceſſiſſent? Quid quęſo eſt templum eius illud, longitudine ſtadii, trium iugerum latitudine ſeu amplitudine: cuius omnes partes externæ argento, ſummæ autem auro eſſe obductę: in cuius interioribus fornices eburnei, toti auro, & argento, & orichalco conſpicui niteant? Et quàm accommodata ſodes Timæi illa clauſula eſt finalis? Vna, inquit, die ac « nocte, graui incumbente diluuio, apud nos totum militare genus « aceruatim terra abſorbuit, & Atlantis inſula ſimiliter in mari ſub- « uerſa diſparuit. Nempe ſic iuſtum & fatale erat, ſcenicam nimirum « illam & fabuloſam inſulam, quæ ipſa Aſia & Africa tanto amplior erat, vnica nocte euaneſcere, & in nihilum redigi. Illius verò ruinas, ſub aquis extantes, quis quæſo Lynceus videre ſolas potuit, ad eas cum nauibus non conceſſus vllus aditus fuerit. Nam figmento iſti valdè accommodato ſubiungit hæc verba: Quapropter etiam nunc « innauigabile & intentatum manet illud pelagus, luto paulatim im- « pediente, quod inſula ſubmerſa euexit. Mirum autem eſt, quanto « deſiderio id rogem, quódnam illud pelagus fuerit, quod tantam & tam vaſtam terræ molem, quæ omni tum Aſia tum Africa maior & prodigioſior, ad hunc vſque nouum orbem exporrecta fuerit, tam facili hiatu ceu bolum ita abſolutè abſorbere potuerit, vt ne eius quidem vlla veſtigia relicta ſint, nec ipſi nautæ propter profundiſſimam abyſſum iacta bolide fundum attingere queant.

Sed ridiculoſa mea hæc eſt opera, quam in diluendis iis ſumo, quæ aut ioculari animo monumentis literarũ illita: aut certè (vt ſummæ

Platonis autoritati modeſtiores nonnihil conſulamus) philoſophico more ſic in medium coniecta ſunt, picturæ aut parabolæ cuiuſdam ſimilitudine, de quadam ciuitate vel cretura in altum, vel ruitura in imum. Quod enim quidam reperiantur, qui Atlantidem inſulam fuiſſe ex eo fundamento probare ſatagant, quod mare quoddam vel dum hodie Atlanticum dicatur: id admodum puerile eſt. Notum enim eſt quibuſuis, Atlantem montem in extremis Mauritaniæ ſitum eſſe: de quo Plinius mare illud id dictum eſſe, induſtriè contendit: additque, in eius aduerſo Atlantidem inſulam ſitam eſſe, humilem tamen & exiguam, nec admodũ nobilem aut celebratam.

Plin. lib. 6. c. 5. Et lib. 6. c. 31.

Cap. XXIII.

Quod multi falſiſſimè illud ſtatuant, Indos ex genere Iudæorum defluxiſſe.

LONGE autem diuerſa per Atlantidem quærenda via eſt, qua Indiani in hunc nouum orbem pertigerint. Augurantur itaq; nonnulli, huius ſemitæ indicium apud Eſdram reperiri: in cuius lib. 4. hæc ferè verba legũtur:
„ Tu autem vidiſti eum colligentem ad ſe aliam
„ multitudinem pacificam; Hæ ſunt decem tribus, quę
„ captiuæ factæ ſunt de terra ſua in diebus Oſeæ Regis, quem capti-
„ uum duxit Salmanaſſer Rex Aſſyriorum, & tranſtulit eos trans flu-
„ men, & tranſlati ſunt in terram aliam. Ipſi autem ſibi dederunt con-
„ ſilium hoc, vt derelinquerent multitudinem gentium, & proficiſce-
„ rentur in vlteriorem regionem, vbi nunquam habitauit genus hu-
„ manum: vel ibi obſeruare legitima ſua, quæ non fuerant ſeruantes in
„ regione ſua, per introitus autem anguſtos fluminis Euphratem in-
„ troierunt. Fecit enim eis tunc altiſſimus ſigna, & ſtatuit venas flumi-
„ nis, vſquequô tranſirent. Per eam enim regionem erat via multi iti-
„ neris anni vnius & dimidii: Nam regio illa vocatur Arſareth. Tunc
„ inhabitauerunt ibi vſq; in nouiſſimo tempore, & nunc iterum, cum
„ cæperint venire, iterum altiſſimus ſtatuet venas fluminis, vt poſ-
„ ſint tranſire. Propter hæc vidiſti multitudinem cum pace.

4. Eſdr. c. 13.

Hæc itaque Eſdræ verba Indis aptare ſatagunt, dicentes à Deo illos eo perductos eſſe, vbi nunquam habitarit genus humanum: & terram illam, quam ingreſſi ſint, tanto interuallo diſtantem eſſe, vt ad eam obtinẽdam vnius & dimidii anni profectione opus fuerit: gentemque illam natura pacificam eſſe. Hinc indubitata conſequentia obtinere volunt, Indos omninò de gente Iudaica eſſe, quod plerique meticuloſi & timidi, ſuperſtitioſique & acuti, ac mendaces ſint. His annectunt, Indorum quoque habitum veſteſque ac facies, Iudæorum omninò ſimiles eſſe. Nam & ipſos ſimplici tunica, & quadrato pallio amictos, aut nudis omninò pedibus incedere, aut ſoleis leuibus,

bus,ſupernè tantùm reuinctis, inambulare. Iam verò, hanc ipſam quoque Hebræorum fuiſſe veſtiendi rationem modumque, tum ex Iudaicis hiſtoriis, tum ipſorum quibuſdam pigmentis, tabulisque antiquis patere aiunt: ex quibus omnibus haud difficulter monſtrari poſſe autumant, maximam eorum partem hoc modo veſtitam olim fuiſſe. Samſonem ipſum quoque olim, Indorum ſimilia veſtimenta ſaltem popoſciſſe, tunicas nempe & ſyndonem, hoc eſt, vt Hiſpani vocitant, Camiſettam & Mantam, contendunt.

Sed hæc mihi omnia, conceptus animi videntur merè puerilis & phantaſtici: quæ & ipſa tamen contra ipſorum ſententiam longe durius depugnat, quàm vt eā quoquomodo ſtabilire poſſint. Primùm enim ſatis probè nouimus, Iudæos vſos eſſe typis & literis. At his carent Indi. Iudæi auidè pecunias corradunt conquiruntque. At Indi pecuniæ ſummi contemptores ſunt. Iudæi, cùm ſe non circumciſos videbant, circa præputium, Hebræos ſe aut Iudæos haberi poſſe apertè inficias ibant. At Indorum præputia in totum integra ſunt, nec de iſta ſuperſtitione quicquam compertum habent: etſi Æthiopes quidem & populi Orientales circumciſionem ſibi adhibuerint. Hęc iam ergò inter ſeſe collata, quo modo & qua obſecrô ratione plenè intelligi queunt? Quî amabo fit, vt, cum Iudæi de origine & antiquitate ſua tantoperè glorientur, & eandem in altero quoque orbe ſedulò aſſeruent deſcriptam continuatamque, ſoli hi in India degentes ſui generis, ceremoniarumque & Meſſiæ & Iudaiſmi, tam turpiter obliti fuerint.

Quod verò deinde dicūtur timidi, ſuperſtitioſi, ingenioſi & mendaces eſſe: ad id prima hæc reſponſio datur, non omnes promiſcuè barbaros ea ingenii malitia eſſe: ſed maximam eorum partem ab his næuis intimè abhorrere. Nationes quoque quædam Indorum ſupra modum audaces & confidentes ſunt: alię contrà ſegnes, pauidæque. Gentes verò omnes in vniuerſum ſuperſtitionibus ſemper deditæ indulgentesque fuerunt. Simplicibus autem veſtimentis ideo vtuntur, quod ad ſarcienda ea operæ induſtriæque minimum adhibent: & ſimilia his non ſolis quidem Iudæis, verum omnibus abſolutè hominibus primò vſitata fuerunt.

Hiſtoria verò ex Eſdra citata, ſiquidem apocryphis libris quid credi par eſt, ſententiam eorum potius deſtruit, quā erigit. Decem enim tribus illæ ideô gentium multitudinem fugiſſe dicuntur, vt ſuis ceremoniis puriore cultu ſtudere poſſent. Hi vero Idololatricas ſuperſtitiones amplexi ſunt. Ipſi vero noſtri aduerſarii videant, quomodo Euphratis oſtia ad nouum hunc orbem aditum fecerint: & an per eadem Indis olim iterum remeandum ſit, ſicut in allegatis verbis vaticinio prædictum eſt.

Tandem, quis populum illum quæſo pacificum dicturus ſit, qui tamen aſſiduis diſſenſionibus, bellisq; continuis ſeſe nunquam non

F 3 pro-

proterere ceſſauit? Ex quibus haud inconuenienter elicitur, Eſdræ apocryphum Euphratem, Platonis de Atlante fabulis nugisque nihilò felicius & directiùs homines in nouum orbem deducere poſſe.

Cap. XXIV.

Cur prima Indorum origo certò & indubitatò ſciri non poſsit.

MVLTO autem promptius eſt ac facilius iis contradicere, quæ ab aliis de Indorum origine in medium afferuntur, quàm proprio Marte indubium quiddam & conſtans aſſerere. Nam cum literarum vſum Indi non habeant, nec maiorum ſuorum, qui fuerint, rata & immota documenta oſtendere poſſint: apud noſtros denique ſcriptores quoque de nouo iſto orbe vſque adeo nihil ſcriptum extet, vt pro certo nonnulli affirmare auſi fuerint, ne homines ibi quidem eſſe, nec ibi vel terram vel cælum vſpiam extare: temeritatis certè is haud leuis accuſandus veniret, qui conſtans quiddam & inambiguum de primis noui orbis habitatoribus prodere ſibi præſumeret. Ex iis autem, quæ ſuperius commemorauimus, multò probabilius fiet, homines initiis primis numero rariore quaſi ſparſim in hunc orbem deueniſſe; terræque ſecundum ſua extrema quendam connexum, occaſionē huius rei dediſſe quam maximam: tum principia prima nauigationes quoq; ſecutas eſſe, quibus numero vberiore in ea loca homines tandem tranſuecti fuerint.

Sed & naufragia inſignia facta alicubi, huius rei cauſa eſſe poſſunt. Ita vt vtrumq; horum ad occupationem noui orbis concurrere potuiſſe, haud abſurdum videatur. Cum enim illic infinitæ maximæque regiones, adeoque innumeri populi reperiantur: illarum vnam hoc, aliam alio tempore inuentam occupatamque fuiſſe, haud inconuenienter ſtatui poteſt. Vicinitas tamen locorum, & extremitatum cohærentia de Indorum origine omnium certiſſimè atteſtantur, quo nimirum modo viaque illò pertranſierint. Quod ipſum maximi apud me momenti eſt, vt adducar credere, nouum hunc orbem haud à multis retrò annorum millibus habitatum fuiſſe, primoſque eius incolas feris & agreſtibus potius hominibus, quàm politicis & manſuetis ſimiles extitiſſe. Cauſam autem huius eorū tranſmigrationis hanc fuiſſe, quod aut de terra natiua ſua aberrarint, aut ſedes nouas quærere coacti fuerint: quodq; cū illas attigiſſent, paulatim eaſdem excolere cæperint, Solius naturæ ductui, cuius tamen lux in ipſis nonnihil quoque obſcurata fuerit, parentes, gentileſque patriæ ſuæ mores quadamtenus retinentes. Et licet fortaſſis exculta, probeq; morata Republica illuc quoq; venerint, à vero tamen haud abſonum eſt, potuiſſe eos diuturnitate temporis, & hominum deſuetu-

deſuetudine plerorumque rituum & patriæ ſtatutorum obliuiſci. Clarius enim eſt,quàm vt demonſtrari debeat teſtibus adductis,in ipſa quoque e Italia Hiſpaniaque tam agreſtes feroſq; homines reperiri, qui præter faciem formamque exteriorem humani nihil omninò habeant. Sic ergo ſucceſſu temporum fieri potuit,vt apud eos totalis tandem barbariſmus & plena feritas inundârit.

Cap. XXV.

Quid de origine ſua ipſi Indi tradant.

QVID de primordiis gentis ſuæ ipſi Indi ſentiant prodantque,ſcire quidem haud eſt admodum operæpretium.Nam ſua potius illi ſomnia quàm veram hiſtoriam narrare videntur. De magno quidem diluuio quodam, in his terris, fama publica fertur. An verò id vniuerſalis ille cataclyſmus, quo vniuerſus orbis,teſtante ſacra Scriptura inundatus eſt,fuerit,an verò alius priuatim has ſaltem regiones genteſque attigerit, ſatis clarè non patet. Et quidem ingentis cuiuſdam inundationis factæ expreſſa quædam veſtigia doctiores obſeruant. Ego verò ita arbitror,apud iſtos barbaros antiquiſſimæ illius Noëticæ inundationis nulla vſquã veſtigia apparere, ſed id potius diluuium eſſe, de quo Plato teſtatur, quod poëtæ Deucalioneum appellarunt.

Indi quidem fatentur, diluuio iſto magno vniuerſum genus humanum extinctum fuiſſe. Comminiſcũtur etiam quidam, ex vaſto lacu Inticaca olim prodiiſſe quendam Viracocham, qui ſedem ſibi in Tiganace elegerit, quo loco antiquiſſimorum & præſtantiſſimorum ædificiorum quædam adhuc hodiè rudera viſuntur. Hinc autem porrò illum in regionem Cuſco pertendiſſe, vbi genus humanum latius propagare cæperit. In eodem lacu Inſulam quoq; quandam commonſtrant, vbi Solem conditum eſſe affirmant: quo loco manifeſtum eſt, illam ob cauſam eos plurimo profuſo ſanguine tum ouium, tum hominum mactatorum ſuperſtitionis ergò litaſſe. Nonnulli ex antro quodam per feneſtram, ſex aut neſcio quot homines à Sole excluſos proſiliiſſe, qui genus humanum ſerere inceperint, nugantur. Vnde locum vel hodie ſic dictum, & Pacaritambo vocatum eſſe teſtantur. Quin & communis opinio ex hoc inualuit, Tambos ante cæteros omnes homines extitiſſe, & ab illis poſteà Mangacapa, primum gentis Ingarum autorem deſcendiſſe. Ex duabus hiſce principibus familiis ſecundum illos orti ſunt Hanan de Cuſco,& Brincuſcque. Narrant porrò, Ingarum Reges, cum cæteras huius orbis gentes bellis infeſtarent, hanc ſuæ expeditionis vnicam & palmariam cauſam aſſeruiſſe, quod æquum eſſet, mortales in vniuerſum omnes ſibi ſubiici aut ſubiugari, vt ex quo-

rum

rum familia patriaque omnes orti eſſent,quibuſque vera & genuina religio à Deo patefacta vigeret.

Sed quid iſtis,longè petitis fabulamentis,ad rem nihil facientibus, opus eſt? Docti quidem literarum monumentis ſcriptum reliquerunt,Indos vltra annorum 400. memoriam non habere. vltra quod tempus quicquid ſit,eos omninò ignorare. Id quod nemini videri mirum poteſt,ſi cogitet,illos literarum vſu omninò caruiſſe.Quibus hac de cauſa quoque, quod geſtorum ſuorum nullas hiſtorias condiderint meritò donandum eſt. Et tamen id meritò nobis admirandum eſt, quod Quipocamaiorum ſupputationem tam ſedulò diligenterque ad hæcvſque tempora noſtra memoria ſua retinuerunt.

Cum aliquando diu auideque percontatus eſſem, an Barbari iſti de primis ſuis autoribus ſatoribuſq; quicquam ſcirent:ad rem quod faceret, nihil inſigne reſponderunt mihi:crediderunt que ſe in hiſce terris natos & educatos eſſe, niſi fide Catholica reuocarentur, vt dicerent,ex vno ſemine genus humanum vniuerſum defluxiſſe, ordinante & diſponente ita Deo. Authorum quidam haud ignobiles ex cauſis non leuibus perſuaſum habent, Barbaros multis ſeculis regibus omninò caruiſſe, nec vllam probè ciuiliterque inſtitutam Rempubl.habuiſſe, ſed confusè promiſcuoq; congreſſu cohabitaſſe, non ſecus ac hodiè Floridiani, & Braſilienſes, Chiriguanique, & populi Indorum alii quoque,qui nullis certis regibus gubernantur,ſed prout belli paciſque ratio poſcere videtur, in momento citraque vllam de iberationem Ducem ſibi eligunt, & illud omne, quod libidinis petulantiæque ſtimulus ſuadet,bonum ſalutareque arbitrantur. Poſterioribus autem ſeculis viri magnanimi & robuſti per tyrannidem ipſis imperare cæperũt,non ſecus ac olim Nimrod: qui tandem paulatim ita creſcentes auctique, huiuſmodi quandam Rempubl. inſtituerunt, qualem noſtrates apud Peruanos & Mexicanos offenderũt: qui etſi & ipſi Barbari eſſent, cæterorum tamen Indorum feritatem confuſionemque brutalem oppidò deteſtati ſunt.Sic ergò gentẽ hãc ex Barbaris potiſſimum hominibus primum ſparſim confluxiſſe,genuſque ſuum deinceps ita in immenſum protuliſſe & ampliaſſe, meritò concludimus.

LIBRI PRIMI FINIS.

DE

DE NOVI ORBIS NATVRA ET RATIONE, LIBER SECVNDVS.

Cap. I.

De natura circuli æquinoctialis tractandum eſſe deinceps.

CVM noui orbis pars maxima ſub media cæli regione, quam veteres ardētiſſimam, & ob id inhabitabilem ſtatuerunt, ſita ſit: plurimum ſanè refert, ad naturam moreſq; Indorum penitius noſcendos, de iſtius Zonæ conditione & qualitate, tractationem paulò exactiorem inſtitui. Nec enim illorum ſententia, qui notitiam rerum Indicarum à cognitione æquinoctialis ſeu meridionalis circuli dependere arbitrantur, oſcitanter temnenda eſt. Quicquid enim nouus hîc orbis à priſco diuerſum habet, id omne à vi & qualitate circuli æquinoctialis illi profluit. Regio verò illa omnis, quæ duobus ſolſtitialibus circulis includitur ad mediam lineam, ceu amuſſim & regulam, in qua Sol poſitus vbicunq; terrarum dies noctibus ſimiles facit, cenſenda & æſtimāda eſt. In his autem tam mira & varia eſt diuerſitas, vt illius conſideratio hominem ad indagandas cauſas veras & propinquas, promptiſſimè ſuſcitet & erigat: idq; fit multò facilius ex certis & demonſtrabilibus concluſionibus quibuſdam, quàm ex illis, quæ de his vetus Philoſophia tradidit.

Cap. II.

Cur veteres Philoſophi Zonam torridam inhabitabilem eſſe, ſtatuerint.

IAM ergò vt à primordiis noſtram diſputationem deducamus, omnibus in confeſſo eſt, tum demum terram incaleſcere, cum Sol ei propinquior fit. Cum verò longius recedit, eandem iterum frigeſcere. Et hæc à viciſſitudinibus diei noctiſque, tum æſtatis & hyemis perſpicuè docentur. Quò enim Sol terræ vi-

cinior eſt, eo directius radii eius impingentes, terram vrunt. Id vt media dies, ſic cuiuſlibet anni æſtas euidenter commonſtrant.

Hinc iam legitima concludendi ratione extruitur, quod, quò diſtantius regio quælibet à Solis conuerſione receſſit, eo naturâ frigidior ſit. Sic terras verſus aquilonem ſitas, omnium gelidiſſimas eſſe comperimus: cum econtrà, Zodiaco propiores hac ratione calidiores ſciantur. Hoc itaque ordine Æthiopia, Arabiam & Africam, Africa Bæthicam, Bæthica, Caſtellam & Arragoniam, & hæ binæ iterum Cantabriam & Galliam ardore ſuperant.

Hac iam ſeruata Methodo, neceſſario conſequitur, cæteras prouincias, ſub conuerſione Solis rectà decumbentes, & eius radiis directis illuſtratas, abſitis longè calidiores & æſtuoſiores eſſe. His radiis Solis nonnulli quoque addunt, cauſam acceſſoriam hanc, quod intra tropicos duos cælum velocius & citatius, iuxta polos verò tardius moueatur: vt tota illa regio, quæ ſub Zodiaco eſt propter vicini Solis rectà defluentes radios, & velociſſimam cæli conuerſionem, & aſſiduo & grauiſſimè exuratur. Et quidem hoc iſto modo omnia fieri, tum ſenſus iudicio, tum rationum documentis euinci operoſe poſſit.

Quid verò iam de ſiccitate & humiditate dicemus? Idem certè, quod de qualitatibus prioribus. Euidens etenim eſt, Solis acceſſum ſiccare, receſſum verò humectare. Sed & in temporibus anni, humiditatem cum frigiditate, caliditatem cum ſiccitate concurrere notum eſt. Et ſicut nox die frigidior eſt, ita quoque humidior: & iterum, ſicut dies calidior nocte, ita ſiccior quoque. Hyems frigidiſſima & plerumque pluuiis minans eſt, cum Sol longius abſceſſit. Æſtas verò, Sole vicinius appropinquante, tum calida, tum ſicca eſt. Quo enim copioſior & intenſior ignis eſt, eo plus coquit, calefacit, ſiccat. Quæ Ariſtoteles & cæteri Philoſophi expendentes, Zonæ mediæ ardorem intenſiſſimum aſſignarunt, eamque æſtuoſiſſimam, flagrantiſſimam, aridiſsimamque eſſe, ſcriptis mandarunt. Ex quibus porro recto aporemate cõficitur, quod illic nec vnda, nec paſcua quæri, nec pro hominibus idonea habitacula condi extruiq; queant.

Cap. III.

Zonam torridam contra veterum opinionem admodum vdam & humectam eſſe.

ETSI verò hactenus dicta ſingula indubitatam veritatis ſpeciem habere videantur: nihilominus tamen quod ex illis concluditur, falſum eſt. Zona enim, quam torridam vocant, reuera inhabitantibus hominibus exculta eſt: quam pol nos, habitationi commodiſſimã eſſe longo tempore experti ſumus. Cum autem

autem ex vero falſum nihil extrui poſſit: pedem omninò referre, veſtigia trita repetere, diligenterque inquirere debemus, vbinam locorum extra veritatis rectam ſemitam exorbitauerimus. Idcircò, primum, quæ rei ipſius veritas, experientia certè patefacta, ſit, indicabimus. Deinde (quod difficilius erit) cauſas, ex intimis Philoſophiæ penetralibus eductas, explanare conabimur.

Principio autem certum ratumque videbatur, quod, quò Sol terræ vicinor ſit, eò illi ſiccitas maior inducatur. Et hoc inter priora aſſumptum erat vltimum: quod tamē ambiguum & falſum eſt. Nam vel in ipſa Zona torrida nullis vnquam temporibus, frequentioribus imbribus aër horridus eſt, quàm cum ſecundum anni rationem Sol illi viciniſſimus eſt. Hoc etſi quidem dictu creditúq; mirum aliquibus videatur: citra contradictionem tamen omnem veriſſimum eſt, totam Zonam Tropicis incluſam eo ſaltem anni tempore amæniſſimam eſſe, ſi Sol ab illa longiſſimè abſit. Sic & econtrà, nulla anni parte imbres niueſque frequentiores copioſioreſque deruunt, quàm ſi Sol vicinius adſit. Id quod illis, qui nouum hunc orbem non nouerunt, impoſſibile citra dubium videbitur. Sed & illis res hæc noua auditu erit, qui quidem terras has triuerunt, ſed tamen ita euenire non animaduerterunt. Quorum tamen vtrique experientia infallibili contra vociferante, veritati facilè ceſſuri ſunt.

Prouinciæ Peru, quæ verſus polum Antarcticum ſita eſt, Sol longius tunc abeſt, cum Europæ vicinior eſt. Id menſibus Maio, Iunio, Iulio, & Auguſto, vbi Cancri Tropicum attingit, accidit. Iſtis verò menſibus cælum illic tam clarum ſerenumque viſitur, vt ſpectantes ſatis mirari nequeant. Tum temporis nec imbres cadunt, nec ſparguntur niues; flumina imminuuntur: eorumque nonnulla penitus ſiccantur. Procedente verò paulò poſt anno, ſi Sol ad Capricorni Tropicum diuertit, tunc & niuium imbriumque vis inundat, & flumina augeſcunt. Viciſſim, Sole verticem noſtrum rectà tenente, & ex Capricorno egrediente, tum æſtus fiunt validiſſimi: quod à Ianuario ad medium vſque Martium euenit. Nec quiſquam eſt, qui perpetuò iſtiuſmodi in his terris contingere ignoret. In terris autem, vltra æquinoctionalem ſitis, polúmque arcticum ſpectantibus, planè contrarium experimur, ſed per cauſam tamen eandem contingens. Nam ſiue Panamam & finitimum illi omnem tractum, ſiue nouam Hiſpaniam, ſiue Inſulas Cubam, Hiſpanicam, Iamaicam & ſanctum Ioannem ſpectes; clarè certè perſpicies, ibi ab initio Nouembris, vſque in Aprilem cælum ſemper pacatiſſimum ſereniſſimumque eſſe, quod Sol apud hunc Tropicum ab iis locis ſe maximè diſiungat. Econtra verò, horribiles tum nimbi tum imbres à Iunii principio vſque in Septembrem fiunt, quod radii ſolares, eo tempore vigentes, obliquè mi-

nus, magiſque propinquè ea climata feriant. Idem illud in India Orientali quoque annotare licet, quantum quidem ex literis, inde allatis intelligere potui. Et licet alicubi fors contrarium ex cauſis diuerſis aliquando eueniat, ea tamen, quæ dixi, pro regula perpetua & immota retinēda ſunt; nempe quod in media Zona torrida magna ſiccitas ariditaſque Sole recedente fit: & quod eodem redeunte, humiditas vberrima accidat, ita vt vna quælibet regio, prout Solem vel vicinum vel remotum habet, pro eo vel humida vel arida exiſtat.

Cap. IV.

Extra Tropicos humiditatis abundantiam propter Solis receſſum potiſsimum fieri: cuius contrarium fit in Zona torrida.

EXTRA tropicos autem contrarium accidit. Nam & imbres, & frigora, æſtuſque & ſiccitas plerumq; concurrunt. Id & in Europa, & orbe illo omni manifeſtum eſt: nec ſecus habet etiam in hoc nouo orbe. Regio id teſtatur comprimis Chyle, quæ etſi vltra Solſtitium Capricorni totidem cum Hiſpania gradibus alta ſita ſit, attamen eaſdem & æſtatis & hyemis leges habet, hoc vno excepto, quòd æſtiuum & brumale tempus inter ſe diuerſa ſint. Polum ſiquidem eum reſpicit, qui Hiſpanico oppoſitus ſit. Ita ergò, ſi Sol longius abſcedit, tunc copioſi imbres, & emergens frigus hyemem faciunt, ab Aprilis initio incipientem, & in Septembrem vſque excurrentem. Æſtus verò ac ſiccitas fiunt Sole conuerſim eôdem redeunte, non ſecus ac in Europa fit. Hinc fit, vt Chyle regio, tum fructibus, tum hominum ingeniis, Europæ ſimilis ſit. Idem in ea terræ parte quoque accidere dicitur, quæ in intimam Æthiopiam cuſpidis modo vſque ad celeberrimum promontorium Bonæ ſpei exporrigitur. Et hæc veriſſima quoque immodicè Nili exundantis, de quo tam multa & anxia diſputantes veteres, nihil tamen certi ſcire potuerunt, cauſa fuit. In illa quandoquidem regione, circa Aprilem, Sole

Nili exundationis qua cauſa.

Arietem occupante, brumales imbres increbeſcere incipiunt, qui partim ex niualibus, partim ex pluuialibus aquis paludes, ex quibus Geographorum vera commonſtratione fontes Nili emergunt, opplentes, Canalemque turgefacientes, longo tractu profluunt, & circa æſtatem potiſſimum, poſt menſium aliquot ſpatiū oras Ægyptiacas, ad alterum Tropicum ſitas, profuſè irrigant, eaſdemque exundationibus ſuis fœcundas reddunt. In America Pariguay fluuius eſt, qui

Pariguay fluuius.

& ipſe quotannis Nili more effunditur turgeſcens, poſtquam imbribus copioſis, in montanis præcipuè diruentibus, nimiopere auctus eſt. Hic nonnunquam ita exuberat, vt omnes omninò campos perfluat,

fluat; adeò, vt homines ſuas ſedes aut habitacula deſerere, eoq; temporis decurſu in lintribus ſe continere omninò cogantur.

Cap. V.

Intra binos tropicos æſtiuo tempore imbres frequentes cadere: & quæ hyemis æſtatiſq; ratio vel ſupputatio ſit.

PRædicto modo ver calore & ſiccitate, hyems autem frigore & humiditate, in duabus illis regionibus ſimiles: In Zona autem torrida diſſimiles ſunt. Imbres enim multò frequentiores ſub æſtatem cadunt: & cum frigore (ita voco calorem tēperatum) gliſcit ſerenitas. Ex quibus conſequitur, in Europa hyemem imbribus & rigore ſqualidam, & viciſſim æſtatem calore & ſiccitate lætiorem eſſe. Vnde quoque communi more loquendi tempus imbriferum hyemem; ſiccum verò aridumque æſtatem appellare ſueuerunt. Sed falluntur. Prætendunt etenim, in montanis Peruenſibus ab Aprili in Septembrem durare ver, quod eo temporis decurſu pauci imbres pluuiæque aërem turbent, & optata plerumque ſerenitas ſit. Hyemem verò à Septembri in Aprilem definiunt, quod frequentes imbres in illa cadant. Sic ergò ſtatuunt, in montanis Peruenſibus æſtatem tunc eſſe, cum in Hiſpania nec æſtas nec hyems ſit. At ſi Sol nobis viciniſſimus, rectà ſupra verticē conſtitutus ſit, tum mediam hyemem eſſe credunt, quod imbres copioſiſſimi ſint. Hoc quidem, etſi ridiculum: attamen nimis vulgatum eſt. Æquè enim ac dies noctesque ſolis in noſtro hemiſphærio tum acceſſu tum receſſu definiuntur, nimirum ſecundum primi mobilis motum: ſic neceſſario quoque, tum hyems, tum ęſtas definientur ex ſolis vicinia vel diſtantia, ſecundum circumuolutionem annuam, ſoli propriam & genuinam. Sic reuera hyems eſt, cum longius Sol receſſit: & reuera æſtas, cum nobis iterum vicinus fit. Sed & æſtus & frigus quoque ſolis acceſſum diſceſſumq; de neceſſitate comitantur. Humiditas tamen & ſiccitas haud æquè neceſſariò. Ex quibus omnibus iam euidentiſſimum cuiuis eſt, hyemem apud nos Americanos (quod præter opinionem vulgatam eſt) leniſſimam & lætiſſimam, æſtatem autem pluuioſiſſimam: nec vt vulgus putat, hyemem nōnihil calidiorem, ver verô frigidiuſculum eſſe. Pari quoque errore hyemem montanam à maritima in Peruenſi hac prouincia diſſeparant, dum aiunt: in humiliore hac & maritima ora hyemem vigere, cum in montana ver eſt, menſibus nempe Aprili, Maio, Iunio, Iulio, & Auguſto, ideo, quod montana illa omnis regio tum temporis ſerenis ſolibus colluſtretur. cum tamen iiſdem menſibus, loca maritima denſis & obſcuris ingruentibus nebulis frequentiſſimè offuſcentur.

Hyemis verò æſtatiſque rationem à ſolis acceſſu receſſuque definiri,

finiri, nobis ſcitu omninò opus eſt: quæ cùm eodem tempore in tota hac prouincia fiant, non eſt cur alibi hyemem, alibi ver eſſe arbitrentur. Sed de verbis nobis nulla litigatio ſuſcipitur. Nomina illi ſuo libitu imponant adimántque, tum & æſtiua hybernaque tempora à ſerenitate potius & lenitate quàm calore definiant: dummodo, quæ ipſa rerum veritas ſit, certò compertum & exploratũ cõſtet.

Cap. VI.

In Zona torrida tum aquæ tum paſcuorum abundantiam eſſe, quicquid reclamet Ariſtoteles.

ZONA quidem torrida ita humida eſt, vt viuis copioſiſſimiſque ſcaturiginibus tractus cæteros pleroſque longè exuperet. Ea hîc loca excipio, quæ aut ſabuloſa omninò, aut penitus deſerto ſolo exuſta ſunt: quod in cæteris quoque mundi regionibus ſimiliter experimur. De cæleſtis quidem aquæ abundãtia, vt de imbribus, de niuibus, de pruinis, in Peru frequentibus, ſatis nobis in ſuperioribus dictum eſt. De terrenis verò, vt ſunt lacus, fontes, fluuii, paludeſque, hactenus nihil commemorauimus. At enimuerò, cùm inferiores aquæ ſuperioribus plerumque coæſtimentur, res intellectu haud ita difficilis erit. Viuarum ergò ſcatebrarum tam numeroſa frequenſque ſoboles in his terris eſt, vt ne in vlla quidem vniuerſi orbis parte aut plures aut latiores fluuii reperiantur: nuſquam paluſtrium locorum maior moleſtia ſit. Loca ſiquidẽ in America quàm plurima lata diffuſaque propter obſtantem aquarum copiam habitari non poſſunt. Flumina enim, imbibitis frequentiſſimis æſtiuis imbribus turgeſcentia, exundantiaque, omnia quoquo verſum operiunt. Idem & limoſæ paludes facientes, in cauſa ſunt, vt ne tutum quidem in quamplurimis locis veſtigium ponere liceat. Hinc fit, vt, qui ingentis fluminis Paraguay (de eo ſupra quid diximus) accolæ ſunt, ſi annuum eius incremẽtum præſentiunt, in lintres & ſcaphas ſuas ſe recipere cogantur, in quibus, ſuccenſis pro vſibus neceſſariis ignibus, tribus ferè menſibus integris ſeſe continent. Fluuio decreſcente, & in alueum ſe recolligente, ad vda ſua & cœnoſa habitacula redeũt. Fluminis huius tanta nobilitas eſt & magnitudo, vt vel cum Nilo, Gangéve, aut Euphrate collatum, ea coniuncta omnia longè exuperet.

Paraguay magnitudo immenſa.

Quid autem de flumine Magdalenæ, iure Magno vocato, & intra S. Marthæ Carthaginiſque portum in mare ſe exonerante, dicam? A quo cum ad ſtadia 120. adhuc abeſſemus in alto mari, diſcrimen fluuialis vndæ, à maritima nondum euictæ aut cum eo commixtæ, ſtadiis circiter 60. exactè interſtinximus: quod nobis haud leui admirationi fuerat. Sed de præſigni hoc fluuio ſileſcentes, hoc loco de alio,

Fluuius Magdalenæ inſignis.

alio, Amazonico dicto, aut Maranonio, aut Orellano, verba faciemus. Is ab Orellana & Maranono, viris Hiſpanicis repertus eſt. Quē tamen an fluuium commodius dicam Oceanúmve, ambigo. Imbres ille excipit, ex montanis Peru deuolutos, vt & flumina alia, vndecunque in eum ſe inſinuantia. Patentiſſimos autem campos, regionum Paytiti, Terræ aureæ, Amazonumque permeans, tandem iuxta inſulas, Margaritam & Trinitatem in mare ſe effundit: qui ante influxum ſuum in tantam latitudinem excurrit, vt multas magnáſque inſulas in medio ſui relinquat. Et, quod incredibile ſit, ſi ex medio fluuio oculos quoquo verſum contorqueas, præter fluuii vndam & aërem nihil vſpiam apparet. Aiunt præaltos quoque montes, in littore poſitos, non conſpici poſſe. Hæc ex ſocietatis noſtræ quodam, ita comperta habemus, qui, adhuc infans olim, naufragio & ſeditioni Petri Orſuæ, & peruerſi Didaci Agirrii interfuit. Ex quibus tamen diuina prouidentia in commodum noſtrum opportunè ſeruatus eſt. *Amazon fluuius vaſtus.*

Huiuſmodi itaque fluuii in Zona torrida frequentes ſunt. quam tamen Ariſtoteles, & cætera antiquitas omnis, aquarum paſcuorumque omnino inopem credidit. Quia verò à me mentio facta aquæ Maranonii eſt; non inconueniens arbitror, vt & de lacu Inticaca, vulgatè quidem, ſed tamen perperam Titicaca dicto, nonnulla percenſeam. Hic medius in ſuperiore prouincia Peruana Collao ſitus eſt: & plus quàm decem magnos fluuios ebibit: exitum habens non latum quidem, admodum, ſed tamen pro communi opinione profundiſſimum, propter cuius profunditatem pons nullus ſuperſtrui commodè poteſt. Sed & rapidiſſimi illius vortices impediunt, quo minus ſupernè nauibus traiici queat tutò. Indi tamen peculiari quadam & admiranda induſtria illum tranſmittunt, hoc modo: Pontem, ex meris iuncis contextum, aquæ imponunt. Is nullis fulcris incumbit, ſed ſuberis in morem vndæ innatat, nec propter leuitatem ſuam vnquam mergitur. Hæc traiectio & tuta ipſis & facilima eſt. Ambitus lacus 2400. ſtadiorum eſt: latitudo verò, qua maximè patet, 220. ſtadiorum. In hoc inſulæ quædam ſunt, olim quidem habitatæ & fœcundæ: nūc verò deſertæ certi generis iuncos immenſa copia ferunt, Indis Totoram dictos, & ad plurima vtiles. Nam Totora, tum ſuibus, tum pecoribus aliis pro pabulo eſt. Ex eadē hominibus quoque gratus cibus quæritur. Eadem domibus quoque fociſque, & veſtibus, ac nauibus condendis ſeruit. Imò vna Totora Vris (id nomen eſt circa lacum habitantium) vniuerſa propè vitę humanæ commoda ſufficit. Hi à cæterorum hominum conſortio ingenioq; ſe vſqueadeò ſegregarunt, vt aliquando, quínam eſſent, interrogati, ſeriò nobis reſponderent, Se vros eſſe, non homines: arbitrati nimirum ſibi longè genus aliud quàm hominibus, nec cum his ſibi quicquam commune eſſe. Vrorum diſcreti greges aliquot, in medio

Intiticaca lacus.

Totoram iuncigenus, commodiſſimum.

Vri, qui?

medio lacu,iunceis in ſcaphis, ceu domibus habitare inuenti ſunt. Harum plures colligant,& ex rupe ſeu ſude reuinciunt. Vrorum gens vniuerſa nonnunquam loco ſuo emigrat,& patriam commutat. Eadem cum aliquando quæreretur, ſedem ſuam pridianam deſeruiſſe ita viſa eſt, vt ne illius veſtigium reliquum fuerit. quo facto inquiſitorum curioſitatem & laborem eludere voluit.

Paria lacus. Ab hoc lacu milliarium 50. ſpatio diſtat alius, multò minor, Paria dictus, tam magnus tamen, vt aliquot inſulas contineat. Cuius quô excurſus ſit, nemini exploratum eſt. Multi ſibi perſuaſum habent, quod per abditos ſubterraneos cuniculos in mare auſtrale ſe ſurripiat: in rei fidem faciendam fluuium alium magnum adducentes, qui deſubito in mare ſe præcipitet, nullo tamen fonte, vnde ſcaturiat, conſpicuo. Ego autem id magis vero cõſonum arbitror, aquam illam lacuſtrem, ab efficaciſſimis ſolis radiis exorberi.

Sed hîc ſe noſtra digreſſio contineat. Nam ex hactenus dictis perſpicuè demonſtrari poteſt, mediam hanc Zonam, immerito aquarum inopem aridiſſimamque accuſari: cum & cæleſti aqua, & è terra erumpente plus aliis locis abundantiſsimè irrigetur.

Cap. VII.

Cauſæ propter quas Sol, intra Tropicos decurrens, humiditatem: extra eoſdem verò decurrens, ariditatem inuehat.

SI, cur æquinoctialis regio contra omnium veterum ſententiam humidiſsima ſit, longa & attentiore diſquiſitione apud me cauſas inquiro: certiorem ſanè & firmiorẽ aliam nullam inuenio, quàm ſolis ipſius radios flagrantiſsimos quidẽ & efficaciſsimos, quorum vi ex vaſto immenſoque Oceano vaporum vis maxima ſubinde eliciatur: qui elati continuo in aëria regione cogantur, & in aquam vertantur. Nam & plurimis & potentiſsimis rationibus euinci poteſt, quod flagrantiſsimi ardoris vi imbres in Zonam torridam frequentiores deruant. Ex præcipuis autem illa eſt, quam ſuperius adduxi, quod eo nimirum anni tempore, quo Sol ſupra verticem conſiſtit, imbres frequentius cieantur: deficiant autem ceſſentq;, eo longius recedente. Sic ergo pluuiæ à Solis vi valida producuntur. Præterea longa quoque experientia obſeruatum eſt, quod in America circa meridiem, cum ſolis radii violentiſsimi ſunt, imbres emergere ſoleant: cum tamen illorum per omnem auroram nullus metus ſit. Quæ cauſa eſt, cur peregrinantes de mane iter ſuum conficiant, & illud vſque ad diem medium tuto continuent. Et hoc omnibus quidem Peruanis notum eſt. Quid verò de illo hîc commemorabo, quod à ſapientibus viris percenſitum eſt, vſu longo nimirum

mirum ita cognitum eſſe, in his regionibus tum demum imbres frequentiſſimos eſſe, cum Luna in vigore ſuo perſtat? Nam & noſtra id confirmatum experientia eſt. Itaque & annus, & menſis, & dies, hoc idem æquo ſuffragio atteſtari videntur, quod ſcilicet, intra ipſos tropicos ſumma ardoris vi imbres potiſſimum generentur.

Poſtremò in artibus quoque idem ſimiliter vſu venire videmus: comprimis autem in Medicina, ſi ex herbis aquæ in vſus ſanitatis eliciuntur. Ignis enim violenta vis magnam copioſamq; vaporum abundantiam progignit, quos tandem in aquam cogit. Idem fit etiam, ſi argenti viui opera aurum argentumque depurantur. Namq; ſi debilior ſit ignis, nihil propè exudat, ſi fortior ſit & intenſior, liquoris multum profluit, materiaq; illa, quæ in fumum primum reſoluebatur, poſt alterata inq; aquam conuerſa, deſuper deſtillat. Ideoq; ſi vis ignis materiam ſibi commodam aptamq; nacta eſt, hanc vna ſecum arripit; & ſi quid obſtet, quo minus extractum id abſumatur, in pluuiam continuò cogitur. Etſi verò hæc ſibi quadamtenus cõtraria videantut, ſolem nimirum propter vicinitatem ſuam in Zona torrida pluuias excitare, & extra illam eaſdẽ ſedare: probè tamen conſiderata inter ſe non pugnãt. Effectus enim Naturæ plurimi à diuerſis omninò cauſis, modo diuerſo, producuntur. Veſtis vda & madida à vento frigido æquè exiccatur, ac à calente igne. Lateres tam à frigore, quàm calore coquuntur. Motus temperatus ſomnum inducit: nulla verò aut immodica exercitatio ſomnũ tollit. Ignis, ſi materia aut fomite careat, extinguitur. Idem fit, ſi materia iniiciatur copioſior. contra, lignis æquis & ſuſtentatur & alitur. Oculis ſi quid vel nimis propinquum, vel nimis diſtans ſit, non cernitur. Mediocri interuallo diſtãs, rectè videtur. Solis radii ignauiores ex fluminibus nebulas nõ attollunt. Fortiſſimi, quod extraxerunt, conſumunt. Mediocres & trahũt nonnihil, & ſeruant. Qua de cauſa etiam nebulę nec per noctem, nec per meridiem generantur, ſed plerunq; ſole clarius ſplendente.

Simili profectò ratione ipſa natura plurima nobis exempla ſuppeditat, vt modum intelligere poſſimus, quo ex cõtrariis cauſis aliquid fieri vel non fieri queat. Qua de cauſa non admodum miremur, ſi ſole abſente à nobis, pluuiæ ſint, & ſimul eodem viciniore eædem incumbant, mediocritate autem illius eæ potius diſcutiantur. Sciendi tamen cupido interim animos noſtros aſſiduò vellicat, quæritq;, quæ cauſa ſit, quod & longius à torrida diſtans Sol pluuias inducat, & idem faciat quoque Sol torridæ intimus. Sed quantum ego intelligo, proxima rei hæc cauſa eſt, quod ſolis in regionibus extra tropicos ſitis, tanta vis non ſit, vt vapores à terra prolectos & eleuatos abſumere poſſit. Magna itaque copia in ſublime euolant, & occurrentis frigoris vi condenſati, paulatim in pluuias fatiſcunt. Nam & Sol à locis illis longius diſtat, & dies breuiores, noctes autem productiores ſunt. Sol verò ſi iam propior fiat, tum caloris tanta vis eſt, vt

humores quoque vndecunque proliciat, ſegreget, & in halitum diſſipet. Cui deinde accedit etiam dierum longitudo. Intra ipſos econtra tropicos, ſeu in Zona torrida Sol ipſe vel abſens quidem tantæ efficaciæ eſt, quantæ eſt in locis aliis præſens. Vnde etiam tunc eadem ratione ſiccitas fit. Solis verò radii ſi rectà in nos ibi incidant, non propterea, vt fieri neceſſe eſſe videtur, magna ſiccitas ſequitur, ſed repentini potius & violenti imbres producuntur. Sol enim exquiſito ſuo calore ardoreque ex immenſo Oceano terráve humoris quàm plurimũ attrahit, qui in halitum ſolutus, nec ventorum impetu diſflatus, facilè iterum coit, & in pluuias magnas degenerat. Intenſa enim caliditas leui momento vim vaporum maximam elicere poteſt, quam tamen æqua facilitate, non poteſt diſſipare. Sic ergo fit, vt vapores, ſurſum eleuati, propterque copiam ſuam non euicti, in pluuias cogãtur. Id quod ex oppoſito exẽplo cõmodius intelligi poteſt. Nam quãdo aut ſuillæ, aut vitulinæ, aut pingues aliæ carnes ad ignẽ torrentur, tum ſi is paucus ſit, adipem deſtillare videbimus, hac ex cauſa, quod calor humorem attrahere quidem, ſed præ inopia non abſumere valeat. Igne contra & multo & vicino exiſtente, nihilominus tamen guttatim caro extillat, ſed ex cauſa tamen contraria, quod nimirum maxima ardoris vis tantam humoris copiam proliciat, vt ſtillatim ille defluat. Moderato autem igne ſubiecto, & eodem longius diſtante, carnem quidem iuſtè coqui videmus, ſed ita, vt nulla propè humiditas exudet. Vnde coquinariæ artis hæc regula eſt, vt nec nimis validus, nec nimis languidus, ſed temperatus ignis ſubdatur, & vt is ſibi ſemper æqualis ſit. Ita enim ſenſim imperceptibiliterque humores abſumuntur. In cereis candelis idem nobis obſeruare licet. Nam ſi eius flamma æquo maior ſit, ceram liquat. Liqnare enim poteſt, non abſumere. Flamma autem cum cera æqua proportione concurrente, liquatæ eius nihil defluit: quod, quantum flamma diſſoluit, tantum continuò abſumit.

Ex his itaq; iam id clarè elucet, cur in æquinoctiali intenſiſſimus ardor humiditatem conciliet, quam in aliis tamen locis caloris inopia producere ſolet.

Cap. VIII.

Quomodo, quæ hactenus de Zona torrida dicta ſunt, intelligenda veniant.

SICVT in Phyſicis cauſarum diſquiſitionibus nõ perpetuò immotus Mathematicuſque demonſtrandi modus exigitur, ſed id, quod vt plurimum ita euenit, pro iudicationis lege normaque perſæpe admittitur: ſic in hoc quoque caſu, quo Zonam intra ipſos tropi-

tropicos incluſam, humidiorem eſſe, aëremque tum temporis imbribus triſtiorem fieri, ſi ſol proquinquiſſimus eſt, dicimus, ita dicta accipienda ſunt, quaſi hæc, vt frequentiſſimè aut parte maxima ita contingant, euentuſque certa obſeruatione notari poſſint. Nec tamen, quod in his natura ſibi reſeruauit, inficias ire poſſumus, quod in hac ipſa quoque Zona loca nonnulla valdè arida reperiantur. Vt enim commemoratum eſt ſuperius, Æthiopiæ incolæ, & illi, qui in Peru ſecundum maris littora verſus auſtrum conſederunt, iſtius pluuiarum beneficii omninò orbi ſunt, niſi fors valles aliquot excipias, à fluminibus montanis irrigatas. Cætera omnis regio ſicca & arida eſt, rariſſimis ſcatebris donata. Quarum etſi fors alicubi quædam emergant, paludum tamen profundiſſimarum ſpeciem potius nactæ ſunt. Cur verò hæc terra pluuiis perpetuo careat, cũ mirentur quamplurimi, eius rationem exactiſſimam deinceps pandere decreui.

Pro hoc ergò exemplo nonnunquam fors accidere poteſt, vt intra vtrumque tropicum, Sole etiam abſente aliquando pluat: aut eodem propinquãte, ſiccitas ſit. Quod ſanè, ſi perpetuũ eſſet, tũ ipſius terræ, adeoq; ſubiectę materię qualitati ſingulari id omnino aſcribendum foret. At verò, cum iam hoc modo, alias alio iſthæc eueniant, intelligere haud difficile eſt, naturales cauſas aliis contrariis fortioribus omninò impediri. Sol quidem etſi pluuias cieat, eas tamen obortus ventus diſſipare facilè poteſt: quod ita fieri ſæpè videmus. Idem quoque ventus, contra naturam ſuam, maiores viciſſim pluuias ſuſcitare poteſt. Ventorum enim tum origines tum virtutes operationeſq; diuerſæ ſunt, qui propterea perſæpè conſuetum anni temporum ordinem immutant. Et cum vbiuis locorum pro diuerſorum planetarum & aſpectuum ratione inſignes mutationes fiant, nemo nos bono iure reprehendere poterit, ſi in noſtris de æquinoctiali habitudine obſeruationibus, ſimilem quoque rationem prætendamus. Illud autem, quod comprehenſum eſt, veritatem perpetuam habet, quod intrà tropicos exiſtens Zona multò humidior ſit, & quod tum maximè humiditas exuberet, ſi Sol ei viciniſſimus eſt.

Cap. IX.

Zonam torridam non exceſſiuè, verùm moderatè calidam eſſe.

HACTENVS de Zonæ torridæ paſſiuis qualitatibus, ſiccitate nimirum & humiditate diſſeruimus. Iam porrò de actiuis quoque, calore & frigore nonnihil dicendum eſt. Eam autem in extremis gradibus tum calidam tum ſiccam à veteribus definitam fuiſſe, in diſputationis initio attigimus. Nos contra apertè profitemur, æquinoctialem quidem humidum & calidum eſſe; ſed

calorem tamen maxima ex parte temperatum obtinere. Id quod impoſſibile dici poſſit à non experto. Ego, cum in Indiam primum nauigarem, Philoſophicis placitis ita edoctus anteà, metuebam, vt, ſi æquinoctialē lineam traieciſſem, eius intolerabilem ardorem ſuſtinere poſſem. Sed breui mihi contrarium experiri licuit. Ita enim me frigora concutiebant, vt quærendis non effugiendis ſolis radiis mihi rigenti opus eſſet. Et hoc patiebar tum, cum Sol in media linea ſeu Ariete decurreret, menſe Martio. Hinc ergò omnem Philoſophiæ Ariſtotelicæ de Meteoris doctrinam explodere mihi occaſio fuit: cum præter me, comites quoque experientiores noſtros frigus intenſum vreret eo loco & tempore, quibus ſecundum Philoſophi opinionem ſummus ardor, ſumma flagrantia gliſceret. Ita verò res habet: Nulla in vniuerſo orbe terra temperatior, nulla delectabilior aut clementior regione eſt æquinoctiali. Quæ tamen & ipſa diuerſa eſt, nec vbique ſibi perpetuò ſimilis. Hoc enim loco, ceu in ſui medio, terra variè, non ſecus ac apud nos, temperata eſt: alibi mirè frigida & rigida, vt apud Potoſienſes. Alicubi ardentiſſima eſt, vt apud Æthiopas, Braſilianos, & Maluchianos. Quæ omnia ſi quis diligenter accurateque expendit, longè aliam quàm ſolis radios, caloris frigoriſque cauſam quærere cogitur. Manifeſtum ſiquidem eſt quod eodem anni tempore perſæpè in locis nonnullis, ſub longitudinis eodem gradu ſitis, ſummus ardor æſtuſque ſentiatur, in aliis calor temperatus ſit, in aliis iterum frigoris nulla remiſſio ſperetur. Atlantidem ſuam quidem, quam Critias tantoperè deprædicat, Plato vltra Tropicum exporrigi tradit, additque, eam quibuſdam anni temporibus ſoli ſubiacere: & tamen nihilominus, eam felicem, temperatam, & rerum omnium feraciſſimam pronunciat. Plinius ait, Taprobanam ſub linea æquinoctiali ſitam eſſe, vt reuera eſt: & tamen iuxta illam non ſolum opulentiſſimam & feraciſſimam, verùm etiam tum hominibus tum pecoribus pleniſſimam eſſe ſubiungit. Ex quibus apparet, veteres, etſi quidem vulgatam illam de ſummo Zonæ torridæ ardore ſententiam animo aluerint, ſecum tamen ipſis contrario bello ſæpe depugnaſſe, & contraria attuliſſe: cum certè retrò collecta cogitatione, Zonam illam habitationi hominum non eſſe incommodam, facilè concludere potuiſſent.

Hæc res, eximio quidem Coſmographo Ptolemæo, nonnullis aliis ſanioribus Philoſophis, ipſique Auicennæ aliquatenus quaſi per ſomnium in mentem venit. Nam literarum monumentis poſt ſe reliquerunt, ſub æquatore habitationem longe ſuauiſſimam eſſe.

Cap.

Cap. X.

Natiuam Zonæ torridæ caliditatem partim frequentia imbrium, partim dierum æſtiuarum breuitate attemperari.

IAM ergò, hæc ita ſe habere, nemo dubitat: maximè ab orbe nouo toties & à tam multis peragrato. Veruntamen naturæ prouidæ ordinatione ita cõſtitutum eſt, vt quantò incredibilius quoduis, hominum experientia præter vulgarem opinionem patefacit; tantò maior cupido in nobis ſuſcitandarum cauſarum illarum oriatur. Nam ſcire omnes deſideramus, cur quædam regio, quæ ſolem ſibi oppoſitum in propinquo habet, non ſaltem ſæpius temperata, verum & nonnunquam tota frigida ſentiatur. Zonæ quidem torridæ conditio duas plerumque cauſas habet, propter quas inæſtimabilis eius ardor admodum temperetur. De prima iam dictum eſt, nimirũ, quia magna ex parte pluuioſa eſt. Iam verò omnes in vniuerſum imbres refrigerare, cum aqua natura ſua frigida ſit, facile credi poteſt. Et licet ipſa quoque aqua, ſi extrinſecus vis ignea appellat, incaleſcat: nullo tamen dubio eadem immenſum ardorem, à Solis flagrantiſſimis radiis inductum, refrigerat aut extinguit. Id omnes terræ ſiccæ & aridæ, cuiuſmodi interior eſt Arabia, quæ à ſolibus æſtuoſiſſimis & ardentiſſimis ideo quaſi torretur, quia illorum vis ignea nullis imbribus alternis corrigitur, docent. Ideo nubes etiam vrentis ſolis feruorem arcent: & imbres ex nubibus prognati, tum aërem, tum terram abundè humectant refrigerantque. Imbres enim etſi quidem calidi delabantur, nihilominus tamẽ pota eadem aqua, tum ſitim tum ardorem extinguit, cuius rei experimentum noſtrates aliquoties in magna vndæ inopia fecerunt haud friuolum. Sic ergò tum rationibus tum experientia conſentiente conſtitutum ſit, pluuias ardoris æſtuſque mitigandi manifeſtam vim habere. Et cum ſuprà euicerimus, torridam regionem præ cæteris pluuioſam eſſe, iuſta cauſa eſt, cur opinemur, in illis non leuem temperandi feruoris cauſam vimque collocatam eſſe.

Sed vt ad cauſam ſecundam quoq; progrediamur, ſciendum eſt, eam ita compoſitam eſſe, vt ad quæſtionis præſentis difficultatem explanandam non parum factura ſit. Quam vt paucis includam, dico, Æquinoctialem ſoles quidem ardentiſſimos perpeti, ſed feruores tamen eſſe breuiſſimos. Ex quo fit, vt, cum diurni caloris tempora minora aut breuiora ſint, non vſque adeò exurant & inflamment. Sed curtior hæc & obſcurior ſententia longius ddućenda, & clarius explicanda eſt.

Qui de rebus Sphæricis tradunt, verè rectéque docent, quando eſt

obliquior Zodiaci aſcenſus in noſtro Hemiſphærio, dies noctesque inæqualiores fieri: Et viciſſim, ſphæram rectam tempora facere æqualia. Hac de cauſa omnis hæc Tropicis incluſa regio minores diei noctiſque inæqualitates patitur. Quod quidem tanto certius fit, quantò illa Æquatori propior eſt. Id nos hîc agentes indubitato ita comperimus. Nam Quitenſes, lineæ omnium viciniſſimi, toto anno dierum noctiumq; ne tantillum quidem diſcriminis experiuntur. Limenſes autem, ſub gradu ferè duodecimo agentes, in Decembri & Ianuario dies noctibus vna hora longiores habent. In Cuſco degentes & Potoſſi, longitudinem & breuitatem dierum, tum æſtiualium, tum brumalium, exquiſitè internoſcere poſſunt. At verò qui extra tropicos conſederunt, dierum longè maiorem certioremque diſſimilitudinem experiuntur. Qui, quô à linea æquinoctiali abſunt longius, & ad polos propius conceſſerunt, eo per æſtatem dies habent longiores. Hac quoque de cauſa, in Germania & Anglia dies æſtiui longè productiores ſunt, quàm vel in Italia aut Hiſpania.

Hæc ergò omnia cum & ex fundamentis Sphæricis ita conſtent, & expertis vſus idem confirmet quotidianus: illis alia quoq; propoſitio, æquè manifeſta & certa addenda eſt, nempe, quod ad omnia naturalia effecta cauſa efficiens, diu perſeuerãs, & operi incumbens, plurimum polleat.

Porrò, cum in regione æquinoctiali ſubiecta, dies æſtiui breuiores ſint quàm in vlla alia Zona: cumque nox ipſa, ſuapte natura frigida & humida, diei æqualis ſit: ideo, ſi ex me quis quærat, ſub torrida Zona cur non tanti æſtus incidant, quanti (exempli cauſa) in Bæthica menſibus Iulio & Auguſto: his equidem paucis reſponſurus ſim, Bæthicam eo tempore ſoles habere longiores, noctesque conciſiores. Econtrà verò Peruenſis noſtra prouincia in æſtate media dies breuiores, noctes verò longiores, quàm Bæthica habet: ita vt dies omnium longiſſima vix horas completas tredecim habeat. Apud illos autem dies horarum quindecim completarum eſt. Itaque, etſi, quod calorem attinet, propter ſolis vicinitatem iis præſtemus: attamen & ipſi nos ſolis diuturnitate aliquantò ſuperant. Et certè, mediocris ignis, diutius durans, grauius vrit, quàm maior, flagrãs tempore breuiore, maximè ſi à cauſa frigida, & vi contraria diutius inhibeatur. Has ergò veras & genuinas duas obſeruationes, nempe de torrida pluuiis frequentibus, & dierum æſtiuarum breuitate, qui lance ęqua exactaque trutinat, is haud dubio exiſtimaturus eſt, rectitudini & propinquitati radiorum ſolarium in ratione caloris mouendi ſedandiq;, duo illa non magnopere cedere.

Cap.

Cap. XI.

Temperatæ torridæ Zonæ alias quoque priuatas cauſas, atque ex iis Oceani vicinitatem primariam eſſe.

QVÆ à nobis hactenus dicta ſunt, ad temperatæ Zonæ torridæ demonſtrationem communia fuerunt. Sed non omnis tamen regio, ſub meridiano ſita, vbique æqualiter temperata eſt, verùm omninò in locis aliquibus valdè calida, in aliis frigida ſentitur: vt non immeritò quis admirari queat, Clima idem hoc loco feruidum, illo frigidum, alio temperatum eſſe, idque tempore planè vno eodemque. Hinc itaque ſumma neceſſitate compellimur, vt præter generales hactenus allatas cauſas, alias quoque peculiares adducamus, cur torrida plaga huiuſmodi euariationes & diuerſitates admittat. Et quidem penitius accuratiuſque rem iſtam p nſitanti, cauſæ ferè tres euidentiores, & quarta obſcurior ſeſe offerunt. Inter notas autem tum Oceanum magnum, tum terræ ſitum conditionemque, tum ventorum vim naturamque refero. Præter quas deinde abditam quandam ſecretamque regionum proprietatem, & peculiarem à cæli dominantis deſuper moderatione vim efficaciamq; addendam cenſeo. Conſiderandum autem eſt expendendumque, ſub Zona torrida non tantum Manomotapam, verum & ipſum pretioſi Ioannis regnũ vi ſolis aduri grauiter, vt omnes iſtarum terrarum incolæ atro colore tincti exiſtant: idemque in iis etiam inſulis, quas mare vbique ſuſtinet, fieri conſimiliter. Eius generis ſunt, Inſulæ S. Thomæ, ſub linea media. Et Cabo de Verde: in quibus æquè manifeſtus ardor, homines atro colore inficit. Econtra autem ſub eadem quoque linea inſulæ & continens prouinciæ Peru, à Granata & Popaiana prouinciis, vſque ad Limæ prouinciam ſitæ, temperatæ ſunt, & nonnunquam frigidæ, ita vt in illis homines colore albo naſcantur. Tum & Braſilienſis prouincia, quæ Oceanum Borealem ſpectat, valdè calida eſt: Peruana verò noſtra, quæ & ipſa æquè ſub eodem climate verſus Oceanum auſtralem ſita eſt, temperata eſt. His iam documentis generalibus, qui non acquieſcere poteſt, is ſcrupuloſius rem ſecum ipſe euoluẽs iſtius ſummæ diuerſitatis cauſam ſibi ipſi accuratius ſub oculos deponat. Mare verò etſi quidẽ ſua natura ſalſum ſit, nihilo tamen minus reuera frigidum eſt. Cuius rei cauſa longius quidem minimè petenda eſt, ſed ex qualitate, omni aquæ natiua & genuina, ſimpliciter deſumenda venit. Ea autem gelida frigidaque eſt, nemine dubitante. Radii verò ſolares, ab aqua, quæ & fluida & tenuis eſt, multò leuius, quàm terreæ materiæ obiectu refringuntur: id quod ad caloris vel intenſionem vel remiſſionem demonſtrandam plurimum facit. His & illud accedit, quod immenſa

Oceani

Oceani profunditas obſtet,quò minus illæ aquæ vi & ardore ſolis probè incaleſcant:velut id in minoribus fluminibus videre licet. Eodemq; modo, vt ab iniecto nitro (quod genus ſalis eſt) aqua oppidò refrigeratur:Sic marinam aquam refrigerationis poteſtatem habere, experientia diſcimus. Vnde bibuli, & ſtrenui potatores, lagenas aut ſcyphos ſuos,aqua vinove completos, ad maiorem frigiditatem illis conciliandam,in vndam marinam demergere ſueuerunt.

Ex quibus omnibus perſpicuè emicat, quod ad caloris vim reſtinguendam frigusq; inducendum Oceanus momenti plurimum habeat. Quod vel eo confirmatur vberius, quia ſupra terrã omnes magis, quàm ſuper vndam meantes æſtuamus, modò cætera quoque paria ſint. Omnes etiam maritimæ regiones mediterraneis tum temperatiores,tum habitatu ſuauiores eſſe ſciuntur. Cum verò pars orbis noui maxima,etiam ipſi torridæ ſubiecta, aut ad ipſum Oceanum ſita ſit,aut ab eo ad minimum humectetur: omnimodò ſtatuendum eſt, quod beneficio & operatione aquarum finitima omnia temperentur & corrigantur.

Cap. XII.

Terram, quò altior, eò frigidiorem eſſe: & quæ huiuſce rei cauſa ſit.

HÆc ſi cogitatione ſeriore examinemus, æſtum non modò ſimilem, ſed omninò diſſimilem inueniemus in terris,eadem diſtantia tum mari vicinis, tum eidem amotis. Hæc ergò, qua fieri ratione putabimus? Hac certè vnica,quod terra depreſſior ad ſolis calorem accipiendum aptior ſit: elatior verò, penetrantibus frigoribus magis pateat. Et quis eſt, qui ignoret, ſuprema mõtium cacumina profundis vallibus multo frigidiora eſſe? Quod non ea ſaltem ratione euenit, quia ſolis radii in cauis vallibus fortius refringuntur,& hoc pacto ardorem maiorem inducunt,verum etiam quia aëris regio ipſa, quò altius ſupra terram aſcendit,eo nullo dubio frigidior fiat.

Hæc autem ſe ita verè habere, planities campeſtrium prouinciæ Collæ & Popaian id liquido docent: quæ ſanè admodum frigida ſunt,& nihilominus tamen præaltis vndiquaq; montibus circumuallantur,ſoliſque radiis magis ſubiiciuntur. Quod ſi quiſpiam ſit, qui ſciturlat cauſam, cur planities prouinciæ huius Peru, mari vicinæ, calidæ ſint: & econtrà, quæ in montibus plana ſunt, tantopere frigeant:neſcio equidem an inuenturus aliam ſit,quàm quod planities montana elatior,illa verò humilior iaceat.

Aëris porrò regionem mediam perfectè frigidam eſſe, id partim ſumma

ſumma montium præaltorum cacumina,eo vſque porrecta, & perpetuis tum niuibus tum frigoribus rigentia, luculenter demonſtrāt: partim id quoque Phyſicorum placita ſtabiliunt, quod nimirum per antiperiſtaſin terræ frigidæ,& elementi ignis feruorem,omne frigus in mediam aëris regionem quaſi cogatur & compellatur. Vnde à Philoſophis etiam infima & ſuprema aëris pars calore definiuntur, media verò frigore determinatur. Quæ, ſi, vt videntur, vera ſunt,ad temperiem Zonæ torridæ ſtabiliendam, haud parum momēti hinc nobis accedere poteſt. Pleraque enim Indiæ terra montibus præaltis cōſpicua eſt,qui & ſuapte natura frigent,& vnà,quælibet vicina contagione ſua frigefaciunt. Hic niues iugi perpetuitate decumbunt: illic aquæ maximo frigore congelatæ ſunt: alibi pruinæ crebræ fremunt:nonnullibi tandem tantus algor ſæuit, vt ex eo campi omnes longè lateque exuſti, cernantur omnes herbæ quaſi excoctæ ſqualidæ ſint:imò ipſi tum homines,tum equi vectores propter intenſum gelu perſæpè corruant. Atque hoc, quod dixi, in media torrida accidit,eo grauius,quo Sol ei vicinior decurrit.

At enimuerò cur montana loca conuallibus frigidiora ſint, id & antea explicui, & hic nunc reſumo, quia nimirum media aëris regio,in quam montes propius aſcendunt,omniū frigidiſſima eſt. Sed & hoc ipſum cur ita ſit, addidi,quod videlicet regio aëris ſuprema, igneæ plagæ feruoribus vicina, quicquid (ſecundum Ariſtotelis ſententiam) frigoris illic eſt, à ſe quaſi diſpellat, & omne mutua reactione, quaſi vinculis quibuſdam in mediam aëris regionem deligat. Præter hęc forſan quis curioſior porrò inſtet,exquiratque,vndénam, cum aër ſua natura & temperie calidus humiduſque ſit, regio media huiuſmodi frigus concipiat tandem? Nam & infernè aër calidus eſt, & ſupernè propter viciniam ignis flammeus. Vt id potius verum videatur, regionem infimam aëris, quia tum terræ, tum aquæ elementis frigidis vicina eſt, omnino media algidiorem & frigidiorē exiſtere. Ad hæc reſponſurus ego, haud fateri erubeſco, quod hæream non mediocriter: parumque abeſt, quin eorum ſententiæ aſtipuler, qui Ariſtotelicas illas Symbolas ac dyſſymbolas qualitates deſpicatui habent, eaſque potius ingenioſè excogitatas fictaſque, quàm ex ipſa experientia erutas arbitrantur. Qua cauſa etiam aërem ſua natura frigidum eſſe,cenſent: idemque multis ſimul & euidentibus documentis euincere conantur.

Nam, vt cætera omittam, ſi Sol flagrantiſſimus eſt in æſtate, flabelli vibratione ventulo facto,nos refrigerari omnino videmus. Sic illi concludunt,voluntque nullum elementorum ſua natura,præter ignem (qui ſecundum Dionyſii ſententiam rebus omnibus permixtus eſt) eſſe calidum. Id autem,ſiue hoc, ſiue illo modo ſe habeat, (nec enim facilè niſi in re certiſſima exploratiſſimaque Ariſtotelis ſententiæ repugno) in hoc tamen omnes conſentiunt, & idem longa

Dionyſ. c. 15. de cæleſt. Hieroſol.

quoque experientia confirmatum eſt, regionem illam aëris, hac noſtra euectiorem & altiorem, admodum frigidam eſſe: vnde quoque tum niues, tum grandines, tum pruinæ, & cætera omnia intenſiſſimi frigoris indicia deſumimus. Cum itaque longè maxima Zonæ torridæ pars, ex vno latere ab immenſo vaſtoque Oceano, ab altero verò à ſublimibus & altiſſimis montibus contingatur: ad ſolis feruorem leniendum & contemperandum duas prædictas cauſas ſufficere, meritò nobis videri debet.

Cap. XIII.

Zonam torridam præcipuè quoque beneficio ventorum attemperari.

ZONÆ torridæ temperies inter cætera quoque ſingulari cuidam & geniali vento, leniſſimè perflanti, accepta ferenda eſt. Ita enim Sapientiſſimus conditor ſingulari beneuolentia hanc orbis partem maximam beauit, eique tanto ſtudio conſuluit, vt vbi ſolis, omnia perdentis & exurentis, vis eſſet maxima, ibidem venti aſſiduo ſpirarent frigidi, qui ſua ſuauitate caloris exceſſum ad mediocritatem reducerent. Ad ſcopum quidem veritatis quidpiam illos dixiſſe videri poſſet, qui Paradyſum Eden ſub ipſum æquinoctialem collocarunt, modò cauſas quaſdam aptas & probabiles ſuæ opinioni attexuiſſent. Ideò enim hanc Zonam temperatam eſſe arbitrati ſunt, quod, quæ dierum noctiumque æqualitas eſt, feruorem nimioperè augeri non facile patiatur. His verò alii multò probabilioribus rationibus contradixerunt: quorum poëta præcipuus ita canit:

Verg. 4. Geor.

---Quod Zona coruſco
Semper ſole rubet, & torrida ſemper ab igne.

Nec enim tam intenſa noctis frigiditas eſt, vt immoderatum diei ardorem tantopere lenire queat. Sed id ex priuatæ cuiuſdam auræ beneficio proficiſcitur, quæ continenter & aſſiduo ſpirat, ita, vt Zona ea, quæ veteribus torrida dicebatur, quaſi perpetuo durans ver merito videri poſſit. Hoc reuera ita habere, rerum documenta quædam euidentiſſima largè euincunt. Sub eodem enim climate videmus prouincias & ciuitates alias aliis calidiores eſſe, quod minore venti perfrigerantis copia fruantur. Alias autem prouincias, vbi ventus aut nullus ſpirat, aut certè terrenus preſſuſque flat, qualis Vulturnus Hiſpanico ſimilis eſt, vi ſolis in tantum exuri ſcimus, vt altè accenſas fornaces credere poſſis. Huiuſmodi verò in magna

magna Æthiopia, in Braſilia, in Paytiti & Paraguay campis accidere, omnibus notiſſimum eſt. Nec terra ſolum, verum & ipſa maria illic hanc vim perpetiuntur. Maria ſiquidem quædam ſunt, præ immenſo calore ęſtuoſiſſima & importuniſſima: ex quorum claſſe Mozambique & Ormus mare verſus ortum, Panama verò & Braſilienſe verſus occaſum ſita, cenſentur eſſe. Hiſce porrò ex aduerſo maria alia locantur, admodum temperata, cuius generis mare noſtrum eſt Peruenſe, in quo vela nos facientes, maximopere friguimus, ſole vel dum rectà nobis in vertice poſito, circa menſem nimirum Martium. Imaginari autem ex his nihil poſſumus aliud, quàm quod ipſum cælum mareque congeneribus qualitatibus conſentiant inter ſe, & quod hæc medio ventorum fiant, qui aut gelidi, aut ardentes ibi perſpirant.

Hac ergo vnica, de venti ratione naturaque, concepta demonſtratione, ex ea dubia multa explanari poterunt, quæ in hiſce regionibus incidentia, non immerito prodigioſa aut memorabilia videri ſolent: vt ſunt, Qui fiat, vt cum Sol hoc loco ardentiſſimus ſit, longeque penetrantius quàm ſub canicularibus diebus in Hiſpania exurat, flagrantia tamen iſta inæſtimabilis leuiſſimo quodam vmbraculo aut tegumento arceri queat, ita, vt ſub porca, ſeu tecto ſtramineo longè tutius & ſuauius, quàm in Hiſpania ſub lateritiis tectis agamus? Cur apud nos æſtiuæ noctes non ſunt calidæ? Cur in ipſis montium iugis inter medios niuium cumulos intolerabilibus perſæpè æſtibus adurimur? Cur in Collao prouincia, etiam ſub debili vmbra frigus eſt, & in ſole proximo illico tantus ardor? Cur prouinciæ Peruanæ ora, mari confinis, tantoperè ſabuloſa & glareoſa, & tamen interim ad miraculum vſque temperata eſt? Cur ciuitates Potoſi & Plata, non metis longis à ſe inuicem diſtantes, & vtræque ſimiliter montoſæ adeoque ſub eodem penitus climate ſitæ, in caloris frigoriſque gradu tam diſſimiles ſunt, vt Plata tota lenis, temperata & fœcunda, Potoſi verò tota aſpera, rigidaque & infrugifera ſit? Vna certè ventorum diuerſa natura, diuerſitatis huius multiplicis cauſa eſt. Nam ſi alicubi gelidè perſpirantis venti inopia ſit, tum ſolis confeſtim ardor tam acris & vehemens eſt, vt & in mediis niuium aceruis vrentiſſimus ſit. Quamprimum verò ſpirare incipit, tum facilè omnem ardorem retropellit. Quo autem loco venti origo eſt, nulla ratione terrenos halitus cogi patitur.

Et hæc vnica cauſa eſt, cur in Europa noctes æſtiuæ ipſis diebus ferè æſtuantiores ſint. Nam terra, de die Solis flagrantia exuſta, ſub noctem denſos fumoſoſque halitus aut vapores, non ſecus ab ardente fornace eructat. Hoc verò loco aura frigidiuſcula diem ſuauiſſimè attemperat, modo qualicunque parata vmbra radios ſolis declinare valeamus. In Europæis tractibus per æſtatem auroræ tempus ſua-

uiſſimum eſt. A meridie, omnia grauia. At in his regionibus omnino contrarium euenit. Nam, quia marinus ventus nunquam, niſi ſole iam flagrante, ſpirare incipit: ideo matutino tempore æſtus grauior ſentitur ab hora 6. ad 9. vel 10. Quo tempore vento à mari exurgente, diei reliquum ſuauiter tranſigi poteſt. Nos, cum in inſulis Barlouenti, moraremur, huius rei periculum fecimus certiſſimum. Nam ſæpiſſimè matutino tempore ſudabamus, & circa meridiem ſuauiter iterum refrigerabamur, quo temporis momento Euroaquilo (quem noſtrates Bryſam vocabant) illi loco admodum familiaris ſpirare incipit.

Cap. XIV.

In media torridæ regione vitam ſuauiſſimè degi poſſe.

SI, qui Paradyſum ſub ipſum æquinoctialem collocant, hoc ſibi argumento perſuaderi paterentur, veriſimile quid certè in rem adducere poſſent: non quidem, quod in hac regione hortus ille voluptatis iaceat (nam id purum commentum, & friuolum ſomnium eſſe arbitramur) ſed quod locus iſte, vſque adeò ſuauiter & exquiſitè contemperatus, iure merito pro horto amæniſſimo, voluptatibuſque omnibus pleniſſimo, adeoque pro altero Tempe haberi poſſit. Humanæ naturæ ſiquidem nihil acerbius aut moleſtius aura cæloque vitioſo accidere poteſt: vt contra eius omnis ſanitas, & tum corporis tum animi promptitudo & alacritas à cælo clemente & ſuaui dependet. Ex omnibus Elementis nullum largiuſque penitiuſque haurimus aëre. Is corporis humani ſuſtentator & præſes, leui momento omnia eius viſcera adeoque penitiſſimum cor peruadit, & illud pro natura qualitateque ſua mouet afficitque. Is corruptus, & vitio aliquo contaminatus, promptè iugulat: ſalubris, expeditè vires reficit & roborat. Ab eo ſolo pabulum & neruus vitæ humanæ. Et licet rerum omnium abundantiſſimi eſſemus; vitam tamen ærumnoſam ſqualidamque omnino traheremus, ſi aura frueremur tabida & infecta. Vice verſa, cælum clemens & ſerenum, auraque ſuauis & mulcebris, vel inopem, ditem fortunatumque facit. Et quidem, quoties perpetuum hoc ver, quo neque hyems gelu obtriſtat, neque æſtas ardore conficit, imò leui ceſpite omnes aëris iniuriæ declinari poſſunt, nec veſtibus vllis propè opus ſit, mecum attentius expendo: hæc mea animo ſententia obuerſatur, quod ſi prauarum cupiditatum vinculis homines ſeſe exuere vel vellent, vel poſſent, hoc ipſiſſimo loco vitam agere feliciſſimam beatiſſimamque facilè poſſent. Quicquid enim

de Elý-

de Elyſiis, & Tempe poëtæ; & quicquid de Atlantide ſua poëtæ finxerunt aut pinxerunt, id vniuerſum certè in his ipſis regionibus inueniſſent, niſi plus auri cupiditatem, quam regiam animorum libertatem nobilitatemque curæ cordique habuiſſent.

Sic ergo hactenus de æquinoctialis Qualitatibus, vt calore, frigore, ſiccitate, pluuiis, & cæteris temperiebus abundè pertractauimus. Porrò autem, iuuante Chriſto, de diuerſis ventorum, aquarum terrarumque, vt & de metallorum, herbarum, animaliumque in his repertorum natura viribuſque in ſequentibus libris trademus: & quid de ſingulis horum vel auditu, vel viſu, vel experientia perceptum tenemus, paucis complectemur.

LIBRI SECVNDI FINIS.

NATVRALIS ET MORALIS INDIÆ OCCIDENTALIS HISTORIÆ,

LIBER TERTIVS.

Cap. I.

Rerum Indicarum hiſtoriam, Lectori tum vtilem admodum, tum delectabilem eſſe.

QVANQVAM hiſtoriarũ omnis in vniuerſum cognitio ex ſe non ſaltem certam tum voluptatem, tum gratiam, verum etiam ingentem vtilitatem Lectori pariat, quatenus attenta & ſtudioſa cogitatione illis perfruitur: Ex omni tamen illarũ genere, nullę nobis vel plus gratiæ vel vtilitatis habere videntur, iis, quæ de rebus inſtituũtur naturalibus: quod hoc modo non ſolum cuiuslibet rei naturæ proprietateſque, ſed & ipſius Dei, rerum omnium clementiſſimi conditoris, immenſa potentia & maieſtas, animis noſtris ſuppeditentur. Vnde in eius laudem & encomium erumpendi anſa nobis fidiſſima porrigitur: ſicut hoc ſpiritu quoque ſanctos & religioſos Dei viros inflammatos fuiſſe compertum ha-
Pſalm.103.135. bemus. Regius Propheta Dauid in diſcretis quibuſdam Pſalmis, ſum-
91.32.18.8. mam Dei maieſtatem propter manuum condita opera valdè opero-
Iob.28.38.39. ſe deprædicat. Pius Iobus & ipſe de ſecretis conditoris operibus exul-
40.41. tat: cui Dominus ibi reſpondet copioſe.

Quicunque ergò mirabiles Naturæ effectus operaque, quorum infinita ſunt, ſecundum varietates ſuas cognoſcere ſatagit: is ſui deſiderii abundè quidem ſatietatem capiet, ſi hiſtoriam hanc noſtram mente attentiore percurret. Hiſtoria autem multò illuſtrior erit, ſi quæ percenſebuntur opera, non humanis viribus rationique, ſed ſoli creatori Deo aſcribantur. Sic enim pius Lector ad cauſas eorum, penitius & diligentius excutiendas excitabitur: quas demum accurato examine nactus, inſtitutionẽ in rebus Philoſophicis haud leuem impetrauerit. At qui mentem ſuam longius extollit, inq; primi ſeu principalis motoris aut operatoris horum miraculorum cognitionem penitus incumbit, is & boni Theologi officium ſimul

faciet,

faciet,eaq; tantarum rerum ſpeculatio contemplatori ſuo deinceps in plurimis vſui erit.

Attamen, proh dolor, quamplurimos experimur hodiè eo incogitantiæ deuolutos, vt in rerum potius nouarum iſtiuſmodi cognitionem (curioſitatem vocant Latini) incumbant, quarum comprehenſio vel in minimo nihil quicquam ipſis commodet. Hæc autem hiſtorica relatio,& rerum naturalium commemoratio præter communem oblectationem, ſuauitates alias plurimas in ſe continet,earum ſanè rerum,quales nec à veteribus,nec modernis huius materiæ commentatoribus vllibi traditæ ſunt. Eſt enim Indicarum rerum harum ea conditio ratioque,vt ſi ſingulæ ſeorſim ea, qua par eſt, obſeruationis diligentia trutinentur, non dubitemus,quin tractatio illarum in tantum volumen excretura ſit, quod vel ipſius Plinii, aut Theophraſti, aut Ariſtotelis operibus haud iniquè conferri poſſit. Sed nos tantæ induſtriæ nobis nec conſcii ſumus:nec ſi eſſemus quidem,tractatio ea noſtro inſtituto conſentanea eſſet:cum nonnullas ſolummodo res,in India partim viſas,obſeruataſque, partim fide dignorum relatu cognitas,indicare decreuerimus. Eas autem comprimis,quæ memorabiliores,noſtro iudicio, in Europæis aliis locis minimè cognitæ ſunt. Nam cæteras, de quibus alii iam dum copioſe tradiderunt, aut quæ à nobis exactiorem & altiorem viribus tractationem exquirunt, omnino tranſiliendas decreuimus.

Cap. II.

De ventorum cauſis in genere: & de priuatis eorum proprietatibus.

POSTQVAM hactenus in genere, duobus diſtinctis libris de cælo & habitatione Indiæ pertractauimus: iam deinceps de tribus Elementis, aëre nimirum, aqua,& terra,vt & de iis,quæ ex illis naſcũtur, ceu ſunt Metalla, herbæ, animalia, &c. tradituri, ſingulorum naturas & proprietates explicabimus. De quarto ſiquidem Elemento ignis peculiare in India nihil notari poteſt, cum is & cæteris promiſcuè locis omnibus communis ſit. Nec hoc loco de ſingulari illa memorabilique, quàm Indi habent, proliciendi ignis ratione (qua duos baculos in feruente cucurbitæ aqua mutuo confricant, & candentes ſilices in illam iniiciunt) vt & de cæteris nonnullis eiuſmodi trademus: verum vt illa conſulto præterituri ſumus, ſic de iiſdem iam dum alibi copioſè perſcriptum eſſe, beneuolum Lectorem admonitum volumus. De eo autem igne, quem in Vulcaniis aut montibus igniuomis Indi habent, iſto dicemus loco, quo de diuerſitate regionum, huiuſmodi Vulcaniis præditorum,diſſerentes,quæ de earum naturis memorabilia erunt,percenſebimus.

Iam

Iam, quod propoſitam nobis de ventis doctrinam attinet, mortalium ſanè omnium ſapientiſſimus Salomon Rex cognitionem hanc longè præclariſſimam iudicat, dum tam dextrè & artatè de ventorum natura & viribus diſſerit. Naturis enim illi perſæpè admodum contrariis ſunt; vt admirationem nobis haud leuem multoties inducant. Alius ſiquidem pluuioſus, alius ſiccus eſt: alius ſalubris, alius morboſus exiſtit: hìc calidus, ille frigidus ſpirat: quidam tumultuoſus, nonnullus placidus leniſque eſt: hic ſterilitatem, ille fœcunditatem inuehit: Et vt verbo dicam, naturæ eorum proprietateſque modò non infinitæ ſunt. Sunt venti, qui in determinatis regionibus aſſiduo ſpirant, adeò, vt illorum locorum, quaſi moderatores regeſque, vel adiutorem, vel aduerſarium nullum admittant alium. In quibuſdam locis certis tantum anni temporibus aliqui flant, aut vincentes, aut à contrariis victi. Nonnunquam plures diuerſique ſimul ſpirant, & eodem tempore, quorum tamen cuilibet peculiaris ſuus impetus eſt. Interdum hìc ſupernè, ille infernè flat: qui deinde violenter ſibi quaſi occurrentes implicantur permiſcenturque: quod genus ventorum nautis in mari correptis plerumque exitium fert. Venti alii procreationi animalium felicitatem miniſtrant: alii contrà eorum interitum cient. Ventis quibuſdam peculiaribus ſpirantibus, in certis locis aut littoribus pulices deplui viſum eſt: ita vt omnis ora littoralis iſthoc inſecto ſcateret. Aliis locis bufones deciderunt. Quæ quidem tam rara & memorabilia ſi aliquando eueniant, tum iis ferè locis aſcribi ſolent, per quæ venti ſpirauerunt.

Sed & reliquas qualitates, vt frigus, ſiccitatem, humiditatem, caliditatem, ſalubritatem & inſalubritatem, & ſi quæ ſunt aliæ, ventis à locorum proprietatibus inuri, certa longaque experientia notum eſt. Et tamen nonnunquam contrarium quoque fieri, euidenti obſeruatione certum eſt. Nam vnius eiuſdemque venti, breuibus perſæpè interuallis ingentes diuerſiſſimaſque effectuum varietates eſſe, documentis pol conſtat haud friuolis. Dicamus quid exempli gratia: In Hiſpania, Solanus ſeu Eurus plerumque feruens eſt, & moleſtus. In Murcia verò (quæ iuxta Granatam eſt) ventus eſt & ſaluberrimus & gelidiſſimus eorum, qui illic ſpirant. Suum enim impetum per hortos quoſdam & gelida prata facit, in quibus ſe quaſi refrigerat & reficit. Idem ventus, non admodum longè hinc excurrens, nempe flans in Cartagena, tum laborioſus admodum, tum oppidò inſalubris euadit. Abrego ventus, ab Oceani accolis Zuyden, à mediterraneis autem Mezoiorno dictus, cum pluuiis plerumque hominis animum grauiorem ac triſtiorem reddit. In dicta tamen regione omninò clarus ſerenuſq; eſt. Plinius tradit, in Africa Aquilonem pluuias, auſtrum verò ſerenitatem ciere. Et hæc exempli tantum loco de quibuſdam ventis percenſere voluimus, vt iis adductis demonſtraretur, vnum eundemque ventum in diuerſis locis, etſi breuiſſimis

Plin. libr. 2. c. 47.

mis ſpatiis à ſe inuicem diſtantibus, perſæpè diuerſiſſimorum planéque contrariorum effectuum cauſam eſſe.

Ex quibus haud abſurdè concludi queat, regionem illam, quam ventus quilibet permeat, ſuam ipſi proprietatem & qualitatem omnino impertire. Hæc etſi quidem vera ſint, & ipſo euentu quoque confirmentur: non tamen ideò hæc cauſa principalis habenda eſt, cur ventorum ſecundum eam proprietates diuerſitateſq; cōſtituantur. In regione enim ſiue prouincia aliqua, in ambitu 50. milliaria habente, ventus per omnia ſibi congener & ſimilis, nempe calidus & humidus reperitur: alio verò in loco frigidus ſiccuſq;, cum tamen regiones illæ, per quas commeant, non adeò diuerſæ naturæ aut conſtitutionis ſint. At ſi exactius de rebus iſtis loqui cōſilium eſt, tū longè aliis inquiſitis cauſis opus erit, ſi modo ventorum quilibet peculiarem ſuam proprietatem, nomenque primum ſeruare debeat. Quæ enim hodiè nomina tenent, ipſis iam ab antiquo quaſi propria facta ſunt. Exempli cauſa: Septentrio, ſeu Cierço, ſiue aquilo (quæ nomina omnia vnum eundémque ventum deſignant) appellationis ſuæ originem ab eo habet, quod frigidus ſiccuſque, nubes diſſipet & diſgreget. Huic oppoſitus autem Abrego, Leuecho, ſiue Auſter, planè contrariæ naturæ eſt, humidus nimirum & calidus, nubes in ſublime attollens. Vt, cum hæc vulgatiſſima ſint, nobis omnino alia quędam in medium afferenda ſint, ſi veras, primas, genuinaſq;, tot támque diuerſorum effectuum cauſas planas facere nobis conſtitutum ſit. Nec enim ad hanc rem id ſatis eſt, vt dicamus, loca, per quæ venti meant, hanc ipſis ſuam proprietatem naturamque indere, cum ſciamus, in ipſo perflationis actu diuerſas illos operationes, effectuſque planè contrarios in vna eademque regione edere ſolere: verum ipſa potius neceſſitate compulſi fateri cogimur, ætheriam regionem potius, ex qua ceu ex principio proueniunt proruuntque, hanc illis naturam vimque omnino inſerere & complantare. Hac enim de cauſa Cierço, quia ex ſeptentrionali regione, à ſole omnium logiſſimè remota, ſuſcitatur, ſua natura frigidus eſt. Contrà Abrego, qui à meridie ſpirat, ſui ortus ratione calidus exiſtit. Cúmque feruore ſuo caliditatem & vapores proliciat, aut ſecum rapiat; ob id ſimul humidus, pluuiarum pincerna & eſt, & apto nomine appellatur. Viciſſim, quia Cierço ſiccus eſt & ſubtilis, ideò penetrationis vi halitus alicubi concreſcere minimè patitur. Simili modo & de aliis ventis cogitandum eſt, illiſq; virtutes aut proprietates, à regione locoq; aëris, vnde ſpirant, aſſignandæ veniunt.

His tamen non vſquequaque contenti aliqui vlterius inſtantes ex nobis quærere poſſent, quid aut quænam ſint illæ regiones aut principia, vnde venti emanent? Nam quis, inquient, nobis illic ipſorum naturas manifeſtaturus eſt? His nos rem plenius declaraturi, in pauca illam conferemus. In Germania Abrego ſeu Auſter calidus & pluuio-

K ſus:

ſus:in Africa, Cierço ſeu Aquilo frigidus ſiccuſque eſt.Et veriſſimum eſt,fines ſeu regiones quaſdam Germaniæ,in quibus Abrego generatur multo frigidiores eſſe, quam ſit vlla alia in Africa, ex qua aut Cierço aut ipſe Abrego oriatur. Quid ergò impediat, quo minus Africæ Cierço,frigidior ſit Abrego Germaniæ, cum à regione calidiore naſcatur? Hæc fors aliquis ita diſſoluat, vt dicat,flare illum à ſeptentrione qui frigidus ſit. Sed nec id ſatis eſt, nec cum rei veritate conuenit. Nam ſi omnino id ita eſſet,fieret neceſſario, vt Cierço, in Africa ſpirans,per omnem regionẽ vſq; ad Aquilonem perflaret; quod tamen haud quaquam experimur,cum vno perſępe tempore in regionibus, non longè diſtãtibus Aquilones frigidi ſpirare ſoleant. Præterea Vendauali (venti ſunt ex auſtro & occaſu flantes) pluribus gradibus calidiores ſunt,quod longa experientia omnibus iam notum eſt.

Ex quibus iam dictis,noſtro iudicio clarè intelligi queat,non id ad rem ſatis dictu eſſe, quod regiones, per quas venti tranſeunt,iis vim & proprietatem ſuam infundant. Nec inſuper in hoc quiuis acquieſcere poteſt,ſi prætẽdi audiat, quod venti ſuas diuerſitates à differentiis & varietatibus aëris regionũ, ex quibus ſpirant, ſortiti ſint. Nam etſi vtrumque ſuo quidem more verum ſit: nihilominus tamen neglectis iſtis,palmaria princepſq; & intima tam diuerſorũ effectuum, aut ventorum operationum cauſa nobis penitius perquirenda eſt. Quam rem, vtcunq; longa accuratáq; meditatione euoluamus;eius tamen veriorem conſtantiorémq; cauſam nullam indagare poſſumus,quàm quod ipſa efficientia,ſeu vis, ventos producens, primam & principalem proprietatem illis communicet.

Materia namque, ex qua venti fiunt,pro Ariſtotelis ſententia halitus ſeu vapores ſunt, ex imis elementis emergentes aut prolecti. Quæ cum & ipſa varietate diuerſa contineãtur, fieri poteſt, vt & effectus aut operationes diuerſæ ſint. Vt enim vapores alii craſſiores, alii ſubtiliores:alii ſicciores, alii humidiores aſcendunt: ſic ex hoc maximæ varietatis initium exiſtere, creditu haud abſurdum ſit. Porrò verò,etſi horum effectuum hactenus varias, eaſdemque plures cauſas enumerauerimus; non tamen omnis controuerſia illis ſublata videtur. Compertiſſimum enim eſt, quod in eadem frequenter regione: (in qua exhalationum ſimilis eadémque omnino generatio eſt) nihilominus venti conſurgant, naturæ operationiſque planè diuerſæ.

Ideóque porrò nihil nobis ſatagentibus relinquitur, quam vt iſta omnia ad ſupremam cæleſtemq; efficientiam (quæ in ſole, eiuſdemque & cæli reuolutione, ac æthereis influentiis à diuerſis aſtris diuerſimodè ſeſe inſinuantibus conſiſtit) poſtliminio referamus. Huiuſmodi verò operationum aut influentiarum modum mortalibus nobis quidem incognitum, rationique omni noſtræ abditum eſſe, id regius Propheta Dauid ſpiritu Dei raptus, inter cætera creatoris mira- *Pſalm.134.*

miracula profunda perſpicuè teſtatus eſt. Cui Ieremias quoque Propheta adſtipulatur, dum ait: Qui profert ventos de Theſauris ſuis, &c. Et verè hi abſconditi domini Theſauri ſunt, quos omnipotẽs rerum conditor in omnibus ſuis creaturis nobis oſtendit, dum pro diuina ſua voluntate, nullo anxio labore homines aut punit plectitque, aut recreat & reficit, ventos pro ſuo conſilio emittens; non Æoli quidem more, quem poëtarum vanitas ventos in antro (ſicut feras in caueis ſolemus) concluſos habere, commenta eſt. Nec nos ventorum originem videre poſſumus: nec, quam diu, aut vnde, aut quo vſque ſpiraturi ſint, præſcire nobis integrum eſt. Eorum verò effectus & operationes diuerſas ipſis his oculis veriſſime contuemur, prout ſapientiſſimus rerum omnium conditor conſeruatorque veriſſime teſtatus eſt, dum dixit: ſpiritus, vbi vult, ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde venit, aut quo vadat. *Ierem. 10.*

Ex quibus omnibus conſectario quodam illuſtri colligere poſſumus: quod, cum ad illa ipſa, quæ perpetuo apud nos ſunt fiuntque, imò in intimis oculis obuerſantur, intellectus noſter tam craſſus & ineptus ſit, valdè nobis difficile & probroſum futurum ſit, ſi quæ à ratione noſtra quàm longiſſimè remota & abſcondita ſunt (veluti ſunt cauſæ & operationes S. ſpiritus) mentis noſtræ alis rimari aut aſſequi ſatagamus: Quibus hoc conueniat potiſſimum, vt illius virtutem, quatenus quidem nobis in ſacris literis prodita ſit, cognitam æquibonique conſulamus.

Quæ ergò hactenus in genere de ventis, & eorum natura viribúſpue pro modulo noſtro philoſophati ſumus; aut de eorum generibus & differẽtiis, vt ſummatim fieri potuit, nempe de locis, quæ perflant aut tranſeunt: de regionibus ſeu principiis, vnde oriantur: & de virtutibus æthereis, vt proximis ventorum omnium motoribus & agitatoribus, percenſuimus; hæc inquam nobis pro inſtituti noſtri conſilio abundè ſufficiant.

Cap. III.

De ventorum nonnullorum, in nouo orbe ſpirantium, peculiaribus viribus & proprietatibus.

VALDE anxius & ſcrupuloſus eſt Ariſtotel. in hac quæſtione diſſoluenda, an auſter, quẽ nos Abrego Leueche, ſiue Zuyd vocamus, ab ipſo polo Antarctico, aut à ſola linea æquinoctiali ſeu meridie flare incipiat. Cuius quidem quæſtionis hæc vis ſenſusque eſt: an qualitates & vires caliditatis & pluuioſitatis, ipſi auſtro natiuæ, ſi lineam æquinoctialẽ tranſpirauerit, remaneant. Quæ dubitatio non omninò nullius momenti eſt. Auſter enim, etſi quidẽ lineam dictam pertranſierit, nihilominus tamen auſter eſt manetq;,

quia ab iſta orbis parte egreſſus eſt: non minus quidem, ac ipſe aquilo non eſſe deſinit, etſi quidem Zonam torridam perſpirauerit. Hinc ergo liquet, vtrumque ventum congenitam ſibi proprietatem naturamque ſeruare, & auſtrum calidum humidumque, aquilonem verò frigidum ſiccumque reuera manere: Itemque, auſtrum pluuias nubeſque ciere. Boream verò, eaſdem difflare, cælumque turbidum ſerenare & illuſtrare. Ariſtoteles autem ex illorum potius ſtat partibus, qui ſuperius dictis contrarium ſentiunt. Aquilo enim in Europa frigidus flat, quia à poli regione frigidiſſima proceſſit. Contrà, Abrego feruidus eſt, quia à meridie, quæ regio omnium calidiſſima eſt, proflauit.

Quibus ex verbis id ſanè colligi poteſt, quod ii, qui ad lineæ alterum latus habitāt, abrego ſeu auſtrū frigidū, Cierco verò ſeu boream calidum nanciſcantur. Illis enim auſter à polo, his verò aquilo à meridie ortus ſpirat. Iam etſi cuipiam videri queat, auſtrū illic gelidiorem eſſe quàm hic ſit Cierco, ſeu Boreas, cum polaris regio ab omnibus ipſo polo frigidior (quod ſit, quia Sol ſingulis annis in latere tropici cancri ſeptem integris diebus longius, quàm in latere Capricorni, moratur, ſicut illud ex æquinoctiis, & ſolſtitiis, in dictis geminis circulis contingentibus, clare coniici poteſt) cenſeatur.

Ex quibus iterum coniectura idonea concludere liceret, quod hoc pacto Natura prioritatem & nobilitatem dimidiæ orbis partis, verſus aquilonem ſitæ præ altera auſtrum ſpectante, expreſſe indicare voluerit. Quo conſtituto, conceſſoque, videri quidem poſſet, ventorum naturas, lineam tranſgreſſorum, ob id neceſſariò mutari, alterarique. Sed reuera id non fieri, longè certiſſimum eſt, apud nos comprimis, qui multorum annorum diligenti obſeruatione, peregrinationibus crebris à linea verſus auſtrum in hiſce regionibus factis collecta confirmataque, contrarium præciſè animaduertimus. Verùm quidem id eſt, ventum aquilonem illic in genere nec ita frigidum nec ſerenum flare, vt hîc facit. Tum & circa Peru, regiones ſunt, in quibus boreas inſalubris pariter & admodum grauis ſpirat: non ſecus ac in linea terrarum planarū, & locis mari finitimis omnibus, ad quingenta circiter millaria excurrentibus, contrarium accidere notum eſt. Illic enim auſter frigidus valdeque ſalubris hauritur, adeoque vbiuis limpidus & ſerenus eſt. Nec enim vnquam ibi pluuiæ fiunt. Quæ tamen omnia omninò contrario modo in hac Europa, cis lineam ſita, euenire vſus & dies docent. Iam, etſi quidem, quæ in Peru locis maritimis fieri diximus, nullam nobis regulam condant, & vt ſingularia Naturæ meritò excipiantur, vtpote quod in omni tractu maritimo nunquam pluat; quodque vnus ventus ibidem aſſiduò inceſſanterque ſpiret, nec vlli alii, contrario ſibi, vel latum vnguem cedat, ſicuti de his, fauente diuina gratia, deinceps vberius, & quantum ad rem facere putabitur, dicturi ſumus: in hoc tamen conſtans

ſtans & immota veritas perſiſtit, quod Aquilo in lineæ æquinoctialis latere altero, proprietatem illam non habeat, quam auſter habet in hoc latere, etſi vterque quidem ſimiliter à meridie ortus, ad regionem oppoſitam impetum faciat. Ibi enim minimè vulgatum eſt, vt boreas calidus & pluuioſus ſit, ſicut hìc auſtrum exiſtere nouimus: ſed flante illic auſtro, pluuiæ omnino frequentiores ſentiuntur, ſicut id per vniuerſa montana Peru in Chile, & in Congo terra, vltra lineam longè in mari abſitam, obſeruare cuiuis licitum eſt. In Portos, Tomahari ventus (qui meo cenſu noſter Cierco ſeu boreas eſt) ſiccus, frigidus & aſper eſt, æquè ac in hiſce terris. In iſtis tamen locis Cierco nubes promptius & expeditius diſgregat, quam in his noſtratibus: in quibus, mea quod memoria fert, pluuias ciet.

Sed & illud extra dubium eſt, quod loca, per quæ venti feruntur, & proximæ regiones aëris, ex quibus ſpirant, iſtam ingentem diuerſitatem, contrarioſque euentus omnino producant, ſicut id ex mille locis euidenter obſeruari poteſt. Sed tamen, ſi in genere de qualitatibus & naturis ventorum loquendum eſt, tum id omninò comparet, quod multò magis in illis orbis partibus aut regionibus, in quibus nati ſunt, ſpirent, quàm vel in hac vel illa lineæ parte: ſicut eadem quoque, vt noſtra eſt opinio, Philoſophi ſententia eſſe cernitur. Cardinales hi venti, vt Eurus & Zephyrus, nec hic nec alibi, aut proprias aut communes qualitates, quales duo prædicti poſſident, habent: niſi quod Solanus ſeu Eurus hic obſcurus & inſalubris, Zephyrus verò ſalubris admodum & refectorius ſit. In India autem, & per vniuerſam torridam, ventus ab Oriente ſpirans (ipſis Bryſa dictus) vt priori oppoſitus, admodum ſalubris & ſerenus eſt. De Zephyro verò nec priuatim nec communiter quicquam ſtatui poteſt, ideò quod ſub torrida aut nunquam flat, aut certè perrariſſimè.

Nam in omni ſpatio ſeu regione intra tropicos ſita, iugis quidam perpetuoque ſpirans ventus Bryſa dominatur. Cum ergo hoc ex naturæ ſtupendis miraculis nō poſtremum ſit; tum eius cognitionem, ex imo, quod aiunt, fundamēto, vt factum eſt, hauriri, omninò conueniens, imò neceſſarium eſſe videtur.

Cap. IV.

Quod intra Zonam torridam aſſiduo Bryſæ, extra eam vero Vendauali & Bryſæ ſpirent.

VIæ, quæ in mari conficitur, non eadem eſt ratio, quæ terreſtris itineris. Hanc, quâ perrectum eſt, in reditu eandem terere liberum eſt. A Thebis, inquit Philoſophus, via eſt Athenas: & ab his rurſus via Thebas. Maritimi autem itineris, longè diuerſa ſors eſt. Aliâ enim metâ velis abitur, aliâ reditur. Qui Indias, tam Occi-

dentalem quàm Orientalem primi ſua periclitatione repererũt, diu multumque deſudarunt prius, quàm longa experientia, artium omnium magiſtra diſcerent, non eodem modo Oceanum tranſmitti, quo mare Mediterraneum in Italiam tendentibus ſulcari ſolet, in quo tam abeuntes quàm redeuntes eoſdem portus tenent, repetuntque, nec aliud, quàm ſibi cognitum optatumque ventum, qui pro anni ratione varius eſt, expectant. Vento autem deficiente, tum illi remis vtuntur, quorum incitatione triremes ſuas prorſum vorſum ad arbitrium ſuum liberrimè promouent.

In Oceani autem certis definitiſque quibuſdam locis ventos alios nullos expectare licet: nautæque præciſe cognitum habent, an ventus, qui eo momento ſpirat, aut copioſior aut parcior pòſt flaturus ſit. Tandem, etſi nonnunquam abeuntibus ventus commodus ſit, reuertentibus tamen plerunque aduerſus & periculoſus exiſtit. Nam quamprimum vltra Tropicum in torridam deuentum ſit, tunc in Oceano venti certi, exurgentes à ſolis ortu, quaſi reliquorũ omnium domini, ſoli, & inceſſanter ibi ſpirant, nec contrariis ventis vllis vim concedunt maiorem, quàm quæ contactu leui ſentiri queat.

Hac in re ergò duo illuſtria miracula poſita ſunt. Vnum ex eo elucet, quod in regione ſeu Zona, quæ ex quinque illis, in quas orbis diuiditur, omnium maxima eſt, Euri, quos Bryſas indigetant, dominantur, nec vllo anni tempore à meridie aut occaſu venti ſpirantes, (quos Vendaualos nuncupant) ibidem vſpiam ſentiri queant. Alterum miraculum eſt, quod Bryſarum nullo vſquam tempore ibidem inopia ſit, quodque, quò propius ad lineam accedatur, eo illi certiores habeantur. Et licet videri poſſet, neceſſariò ibi perpetuam tranquillitatem vigere; quia regio iſta omnium maximè ſolis ardoribus ſubiecta eſt: nihilominus tamen contrarium omnino accidit. Nam non tantum rariſſimè mare à ventis tranquillum euadit: verum & Bryſæ illic multò frigidiores & periculoſiores inundant. Quę omnia, ſi ab Indis rogentur, ita reuera ſe habere, omnino confirmabuntur. Hinc fit, vt ex Hiſpania nauigationes in Occidentalem Indiam multò faciliores tutioreſque fiant, quàm ex hac in illam rediri queat. Quin & nauium ex Sicilia ſoluentium, labores & pericula maxima ſunt, vſque dum ad Canarias pertigerint: idq; his ex cauſis, quoniam Golffo de Las Yeguas, id eſt, Sinus de Merrien ſeu Ciuitatum, turbidus, inconſtans, & multis contrapugnantibus ventis periculoſus exiſtit. Quod ſi Canariis tranſmiſſis in torridam vlterius procurſum ſit, tum illicò ſe Bryſæ offerunt, cæteroſque ventos anteuertunt aut anticipant tanta quidem rapacitate aut celeritate, vt per omnem iſtum curſum directis velis ne vel ſemel opus ſit. Iſti freto nomen Golffo de Las Damas, id eſt, Sinus ſeu mare virginis, propter quietem perpetuam, & conſtantem vndarum æquabilitatem inditum eſt. Ab his porrò in Inſulas La Dominica, Guadalupe, Deſſeada, Marigalante

lante & finitimas alias, quæ Indicæ terræ quædam quaſi ſuburbia ſunt,pertenditur: quo loco claſſes plerunque dirimi ſolent,ita,vt illæ naues quæ ad nouam Hiſpaniam tendunt, ad rectum latus, verſus inſulam Eſpannolam deflectentes, angulum S. Antonii adeant, & hinc vlterius in portum S.Ioannis de Lua decurrant. Ad quæ omnia Bryſæ felicitas ipſis quàm plurimum commodat.

Cæteræ verò ad læuam declinantes, iuxtaque præaltum Taizona montem nauigantes, tandem in Carthagena appellunt: vnde porro verſus Nombre de Dios, id eſt, Nomen Dei, velificantes conſidunt. Ex quo terreſtri itinere deinceps verſus, Panamam, & hinc iterum per Oceanum auſtralem verſus Peru contendunt. Sed ex Peru in Hiſpaniam iterum nauigaturi nautæ, hanc ſui curſus ferè rationem inſtituunt. Ex Peru ad Cabo ſeu angulum S. Antonii iuxta Cubam inſulam ſitum,nauigant. Hinc in Hauennam, portum eiuſdem inſulæ tutiſſimum, ſe conferunt. Flota autem, nouam Hiſpaniam ad itura,ad Vera crus inſulam, aut ab inſula S.Iuan de Lua verſus Hauanam peruenit, non tamen ſine maximis & euidentiſſimis difficultatibus. Nam Bryſæ ibidem ordinarii ſunt, & curſui nauium inſtituto obluctantur. Quod ſi ergo flotæ in Hauana congregantur, iunctæ prius in Hiſpaniam commeant,captandæ altitudinis cauſa,vt ex tropicis ſe expedire deinde dexterius valeant, ſi ibidem Vendaualos offendant. Hinc vlterius in inſulas Açores ſeu Flaminias pertenditur. Vnde iterũ in Seuilliam inuſitata feſtinatione procurritur,quia meta iſta nullam altitudinem attingens, ſemper infra gradus 20. ſubſiſtit, nec vſpiam tropicos tranſcendit. In reditu autem eoſdem tranſcendunt gradibus ad minimum 28.aut 30. Cuius cauſa,vt antea quoque dictum eſt,hæc eſſe putatur, quod ex ortu venti perpetui ſpirent, qui intra tropicos ſuum quaſi imperium agunt, valdè commodi aliàs & optati iis, qui ex Hiſpania in Indiam Occidentalem procurrũt. Nam tum curſus ab ortu in Occidentem vergit. Extra tropicos, ad gradus ferè 23. Vendauali ſeſe inferunt. Vnde,quò altius conſcenſum eſt,eo nauigatio ſecurior eſt. Iidem iis quoq; optati vtileſq; ſunt, quibus ex India retro commeandũ eſt. Nam à meridie & occaſu verſus ortum & aquilonem nauigaturis, maximopere ſeruiunt.

Eadem hæc meta ex noua Hiſpania ſeu Peru in Philippinas aut Chinam nauigaturis, tenenda eſt. Et viciſſim, ſi ex Philippinis aut China in nouam Hiſpaniam nauigatur. Quod quidem iter, cum ex ortu in occaſum ſuſcipiatur, ſine omni quidem labore aut difficultate conficitur. Nam iuxta lineam, ſemper venti ſecundi flare ſueuerunt, qui ipſi ſunt Bryſæ dicti. Anno 84. ex portu Callao de Lima nauis quæpiam ſoluit in Philippinas, & in Oceano milliaria 2700. confecit, priuſquam terram vllam conſpectui oblatam accepiſſet. Prima verò quæ apparebat terra, Inſula erat Luſon, ad quam concedens nauis,in portu aliquantiſper quieuit. Tantum verò viæ binorum

rum menſium ſpatio nauis illa confecerat, nec ventis vſpiam deſtituta commodis, nec vllis vnquam tempeſtatibus concuſſa. Curſum ſuum maxima ex parte ſecundum lineam tenebat. Ex Lima ſiquidem, 12. gradibus apud auſtrum ſita ſoluerat, & Manillam, totidem verſus aquilonem gradibus conſtitutam, appulerat.

Æquè felicem & expeditam nauigationem Aluaro quoque de Mendanna habebat, cum primum inſulas Salomonis detectum abiens, eaſdem bona fortuna attigiſſet. Nam iugi conſtantique aſſiduò vento vtebatur, vſque dum inſulas illas occupaſſet, quæ à Peru, vnde nauigationis principium erat, ſpatio mille circiter milliarium, ſub eadem verſus auſtrum latitudine aberant. Reditus idem eſt, cum eo, qui ex India in nouam Hiſpaniam patet. Nam vt Vendaualos aſſequantur, qui ex Philippinis aut China verſus Mexico commeant, varias ſortiri altitudines ſueuerunt, donec altitudinem Iapon teneant; qua impetrata terram Califfورniæ facilè inueniunt, & ſecundum maris tractus littorales vſque in portum Açapulco, vnde ſoluerunt, procurrunt. Ex hiſce nauigationibus pro certo compertum eſt, quod intra Tropicos ab Oriente nauigatio facilis ſit, quoniam Euri ibi ferè dominantur. Quod ſi verò à ſolis occaſu verſus eius ortum via relegenda ſit, tum Vendauali ſeu Zephyri extra Tropicos quærendi ſunt, gradibus nimirum altitudinis 27. ſicut id à Luſitanis in Indiam Orientalem nauigantibus re ipſa comprobatur, etſi nauigationis iſtius contraria ferè ratio ſit. Nam ex Luſitania ſi eo nauigetur, curſus laborioſus & difficilis eſt. Reditus verò in Luſitaniam promptus & expeditus. Inde enim ſoluentes ab occaſu verſuſque ortum tendentes, tam diu in altum aſcendunt, donec ventos aſſequantur generales aut communes, à gradu 27. in altitudinem agentes. In reditu inſulas Flaminias prætercurrunt: quæ nauigatio ideò expeditior eſt, quia ab ortu egreſſis Bryſæ aut auſtri auxilio veniunt.

Porrò, vt rem concludamus, nautis mare ſulcantibus ea regula indubitata eſt, quod intra ipſos tropicos venti Orientales dominẽtur, vnde in occaſum curſus facilis ſit. Extra verò tropicos, nunc Bryſæ, nunc Vendauali ſpirant. Ab occaſu ergò verſus ortum nauigaturo ſedulo ea opera danda eſt, vt extra tropicos euagetur, & altitudinem 27. graduum omnino attingat. Hac arte inſtructi adiutique nautæ, nauigationes in diſtantiſſimas terras iſtiuſmodi confecerunt, de qualibus, prioribus ſeculis ne quidem vnquam quicquam auditum fuerat.

Cap.

Cap. V.

De differentiis Bryſarum, Vendaualorum, & ventorum nonnullorum aliorum.

CVM ergò, quæ hactenus commemorata fuſius ſunt, re ipſa verè ſe ita habeant: ſi iam porrò tantorum arcanorum cauſas, cur in torrida nimirum Zona tanta facilitate ab ortu verſus occaſum, nec econtrà nauigationes cõficiantur, rimari ſatagamus, operã pol nec infructuoſam nec inamabilem nos facturos arbitrabimur. Idem enim erit, ac ſi quis rogitet, cur illic loci Bryſæ potius, quam Vendauali. Nam cum id ſecundum Philoſophorum dicendi leges, perpetuum, vniuerſale, adeoque, vt loquuntur, per ſe ſit, fiatq; tum eius quoque cauſam talem eſſe debere, omnino vero conſentaneum eſt.

Sed antequam quæſtionem hanc, notabilem certè & arduam, vt nobis quidem videtur, excutiamus: nominũ iſtorum, Bryſæ & Vendauali, quid ſignificent, explicationem præmittendam eſſe, omnino neceſſarium ducimus. Illud enim tam ad propoſitam materiam, quam ad illud negotium, quo de ventis & nauigationibus tractaturi ſumus, ſummè conferet.

Qui rerum ſatagentes Oceanum ſulcant, ventos diſtinctos 32. numerare ſolent. Quod ſi enim quem fors portum incurſuri ſint, tum ventorum differentias accuratè attendere coguntur. Nam ſi negligentia quapiam aut incuria vel tantillum in latus dextrum læuúmque deflexerint, tum in longitudine à præſumpto ſcopo quam longiſſimè illicò aberrant. Ideo verò 32. tantum venti numerantur, quod iſti ad nauigationes feliciter obeundas ſufficere videntur. Et licet nonnulli his plures quæritent, ad dictorum tamen rationem omnes conferendi erunt, vt qui ex illis educantur. Sic à 32. ad 64. à 64. ad 128. & ab 128. ad 256. continuata duplicatione, vſque in infinitum aſcendi poſſet. Locus enim, quo nauis capitur, non ſecus ac centrum quoddam eſt, ab vniuerſo Hemiſphærio circumferentia ſeu ambitu ſuo vndiquaq; circumdatum: vt nemini ambiguum eſſe debeat, quin in illud cẽtrum ex omnibus Hemiſphærii angulis infiniti venti impingere poſſint: ſicut cuilibet iſta ita imaginari, & apud ſe cogitare liberrimum eſt.

Nonnullis autẽ, cum quibus & ſacra Scriptura facit, quatuor ſtatuere ventos viſum eſt, qui nimirum quatuor mundi angulos conſtituant, binis ductis lineis decuſſatim ſeſe interſecantes: quarum vna ab vno polo ad alterum: altera ab æquinoctialis vna parte itidem ad alteram ducatur. Venti autem hi ſunt: Aquilo ſeu Boreas, & huic oppoſitus Auſter: Oriens ſeu Eurus ad ortum ſolis, & Ponente ſeu Zephyrus ad eiuſdem decubitum ſitus. Sacra tamen pagina adhuc

plurimum meminit, & inter reliquos vnum Euroaquilonem nominat, quem magni Oceani accolæ Nordoſt, maris verò mediterranei habitatores Gregalem vocant. Huius & in nauigatione diui Pauli mentio fit. Venti ergo Cardinales, omni mundo iam noti, & ſacrarum quoque literarum monumentis celebrati, ſunt, vt dictum eſt, Septentrio, Auſter, Eurus, Zephyrus: quorum hic alias Ponente, alter Oriente vocari ſolet. Dum verò ortus, tres notabiles differentiæ ſint: quarum duæ à ſolis Declinationibus maximis, tertia verò in harum medio deſcribuntur: propter hanc cauſam duo adhuc peculiares venti Euro annotantur, Oriens nimirum æſtiualis, & Oriens hyemalis: & in horum oppoſito rurſus duo alii ſtatuuntur, Ponente ſeu occaſus æſtiualis, & occaſus hyemalis. Sic ergò ex octo cæli punctis diuerſis, nimirum duobus polaribus, duobus æquinoctialibus, duobus ſolſtitialibus, & duobus aliis in circulo ſibi originaliter oppoſitis, venti octo diſcreti diſtinctique primùm educuntur, qui pro diuerſis tum terræ tum maris regionibus, diuerſa quoque nomina ſortiuntur. Qui propius ad Oceanum conſederunt, ventum à polo ſpirantem, eodem cum ipſo polo nomine Nord, inſigniunt. Huic verò proximum, ab Oriente æſtiuali flantem, Nordoſt: ex ipſo autem ortu & æquinoctio procedentem Oſt: at ex Oriente hyemali egredientem Zuydoſt: tandemque à meridie exeuntem Zuydpolum ſeu Antarcticum Zuyd: ab Occaſu hyemali emergentem Sudvveſt: ab ipſo æquinoctio ſurgentem VVeſt: ab occaſu æſtiuali enatum Nordvveſt, appellitauerunt. Reliqui autem intra hos collocantur, & appellationem ſuam ab iis mutuantur, quibus propinqui ſunt, quales exiſtunt: Nord, Nordvveſt, Nord Nordoſt, Oſtnordoſt, Zuydoſt, Zuyd, Zuydvveſt, Zuyd, Zuydoſt, VVeſt Zuydvveſt, VVeſt, Nordvveſt. Hoc modo ſuis appellationibus venti ſuas naturas proprietateſque produnt, ſicut etiam loca, ex quibus orti ſunt. Iuxta mare mediterraneum, etſi quidem hunc ipſum numerandi quoque modum ſectentur, ventis tamen longè alias appellationes indunt. Boream enim Tranſmontanum (ſeu per montes tranſpirantem) Auſtrum verò huic aduerſum Mezoiorno ſiue meridianum: Eurum, Leuantem, id eſt, Orientem: Zephyrum, Ponentem, id eſt, Occidentem indigetãt. Intra hos medios locant interſeruntq; Auſtroeurum, quem Xiroque ſeu Xaloque vocant. Huic oppoſitus aquilozephyrus, ipſis Maeſtral dicitur: Aquiloeurus, Greco vel Gregal; huic aduerſus auſtrozephyrus, Leueche, Latinis Libycus vel Africus nuncupatur. Primarii hi venti apud Latinos puriores hęc nomina inuenerunt: Septentrio, Auſter, Subſolanus & Fauonius: quorum laterales ſunt, Aquilo, Vulturnus, Africus & Corus. Pro ſententia Plinii Vulturnus ſeu Eurus eſt is, quem nos Zuydoſt ſiue Xaloque nominamus. Fauonius, qui ab Occidente ſiue Ponente flat. Aquilo & Boreas, qui nobis Nord, Nordoſt ſiue Gregal, Tranſmontanus. Africus & Libycus, qui ab me-

ab meridie & Occidente ſeu Leueche flat, Auſter & Notus. Qui ab auſtro ſeu meridie oritur Corus & Zephyrus. Aquilozephyrus, Mæſtral. Aquiloeurus, Gregalis. Nec aliter quam Phœnicias vocant. Sed & ventorum horum apud alios alia denominatio eſt.

Cum verò noſtri iam inſtituti non ſit, Latina vētorum cum Græcis vocabula conferre: hoc loco de iis ſaltem ventis, quos nautæ noſtrates per magnum Oceanum in Indiam nauigantes, Bryſas & Vendaualos nuncupare ſolent, quantum ad rem faciet, tractabimus. Quod ergò ipſam nominum rationem attinet, in illorum appellationibus nos diu multumq; primū obhæſimus, quod iſta nomina longè diuerſiſſima ratione vſurpari intelligeremus: dum tandem rata quadam obſeruatione cognoſceremus, iſthæc communia potius quam ſingularia aut propria cæli regionum aut ventorum nomina exiſtere, earum comprimis, qui in Indiam nauigaturis ſecundiores ſpirant. Nam ſub Bryſis dictis complectuntur vniuerſos eos, qui ab Oriente ſpirant, cum omnibus ſibi iſto genere cognatis, aut ex iſtis ceu primariis exortis. Quibus verò in reditu ſuo commodis vtuntur, hos Vendaualos nominant. Et iſti à meridie verſus ponentem æſtiualem hoc fere modo perflant, vt ceu binis ordinibus ſegregati, quique ſuo quaſi priuato impetu ſeorſim ferantur. Et horum qui corporales ſeu primarii ſunt, ex vno latere aquilozephyrum ſiue Gregalem, ex altero vero Auſtrozephyrum ſiue Leuechen iunctum habent. Porrò autem & id ſcitu operæpretium eſt, quod ex octo iam enumeratis partibus ſeu ventis, tantum quinque nauigationibus faciendis vtiles ſint. Terni enim ſuperſtites ex cauſa nullum commodum præſtant: hoc eſt, ſi nauis quæpiam per mare fertur, tum quinque ventis ſpirantibus, propoſitam ſibi metam attingere poteſt: etſi quini iſti venti non promiſcuè vniuerſi æquè conducibiles ſint. Externis autem cæteris ſi quis perſpirauerit, nauis, quò inſtituit, appellere minimè poteſt. Et ſicut aquilone incitata aut inflata nauis verſus auſtrum feliciter decurrit; ſic illius laterales venti ad ſimiliter oppoſitum latus impellunt. Contrà, Auſtro perſpirante, nauis meridiem attingere non poteſt, cum curſui inſtituto ventus omnino aduerſus ſit. Eadem & auſtri collateralium ventorum qualis eſt Auſtroeurus & auſtronotus, ratio eſt. Sed hæc ſunt nautis ita certa & comperta, vt hoc loco commemoratione non indigerent, niſi demonſtrari opus fuiſſet, ipſum Orientalem ventum cum lateralibus ſociis eos eſſe, qui in torrida perpetuo flantes, Bryſæ dicantur. Ventorum eorum autem, qui ex meridie verſus occidentem, & ab occidente verſus ortum nauigaturis commodi ſint, in Zona torrida pauciſſimi & rariſſimi inueniuntur. Solent itaque nautæ extra tropicos excurrentes, eos inquirere: quos maritimi Indi plerumque Vendaualos nominare ſolent.

Cap. VI.

Quæ cauſa ſit, quod nauigaturis aſſiduò venti Orientales præſto ſint.

IAm verò deinceps ad ſuperius quæſtionem propoſitam redeamus, cauſaſq; veras expediamus, cur intra torridã ab Oriente verſus occaſum facilimus tranſitus ſit, ab occaſu autem in Orientem reditus difficilimus. Principio autẽ hîc duo immota & indubitata axiomata ceu fundamenta nobis præſtituenda ſunt. Primum eſt, motionem ſeu conuerſionem cælorum, à primo mobili cauſatam, & raptam ceu diurnam vocatam, non ætherias ſaltem regiones ſibi ſubditas ſecum ciere & conuertere, ſicuti quotidiè id in Sole Lunaq; & cæteris aſtris perſpicuè videmus: ſed reuolutionem illam ipſa quoq; Elementa attingere, modò ab aliis cauſis id non impediatur. Nam terra quidẽ, cum cæteris Elemẽtis raptum primi mobilis ideò communem non habet, quod & pondus nimis graue motioniq; ineptũ ſortita, & à primi mobilis loco, diſtantia admodum longa remota ſit. Sed & ipſa aqua, terræ proximum elementum, diurnum illam conuerſionem mobilis primi non ſequitur, quia terræ quaſi limitibus quibuſdam incluſa, cũ eadem iunctim vnam ſphæram conficit. Quin nec terræ ſitus aut ratio patitur, vt in orbem cieri aqua poſſit.

Cætera verò reliqua Elementa, vt ignem & aërem quod attinet, cum & naturæ ſubtiliores, & ſitus ad globos cæleſtes vicinioris ſint, ideo primi mobilis conuerſionem facilius participant, & cæleſtium corporum more in orbem verſantur. Atque de igne quidem, quod ſphæram perfectam habeat, dubitandi nemo cauſam habet; cum præter alia, ipſe Ariſtoteles cum infinitis aliis illud affirmatè teſtentur. Aër verò, de quo hoc loco nobis tractatio inſtituta eſt, quotidiè ab Oriente verſus occaſum voluitur aut rotatur. Cuius rei documentum firmiſſimum à Cometis nobis offertur, quos expreſſiſſimè ab Oriente verſus occaſum, tum oriendo, tum aſcendendo, tum occidendo, moueri verſarique, ac circa Hemiſphærium noſtrum, non ſecus ac omnia reliqua aſtra ad firmamenti ipſius morem agitari videmus. Cum verò Cometæ in regione ſeu ſphæra aëria, vt in qua etiam generantur, tum appareant; tum diſpareant; ideo aliquibus fors videri poſſet impoſſibile, eos in orbem cieri aut reuolui, ſi aëris regio conuerſionem ſuperiorem non ſequeretur. Aëris enim ſphæra ſtante, tum & ipſam Cometæ in aëre accenſi molem ſtare neceſſe foret: niſi fors angelos aliquos aut cæleſtes intelligentias, Cometarum per aëra motores & rotatores phantaſtico modo introducere velimus.

Anno ſalutis noſtræ partæ 1577. illuſtris & admirabilis Cometes

tes quidam fulſit, facie pennæ pauoniȩ ab ipſo Horizonte dimidiam ferè cæli conſpicui partem occupans. Hic à Calendis Nouembris vſque ad diem octauum Decembris micuerat. Dum autem Calendas Nouembris, tempus primæ eiuſdẽ apparitionis pono: de nobis, hoc loco degentibus, id intelligi volo. Nam Hiſpanis ille vix dum nono Nouembris die conſpectus eſt, ſicut id ex hiſtoriarum fide patet: quem tamẽ nos, hic in Peru, octo integris diebus citius, per omnem finitimam oram lucentem animaduertimus. Cuius quidem diuerſitatis cauſam nos aliis, enodandam relinquimus. Quadraginta verò illis diebus, quib. Cometa fulſit, tam ab Europæis, quàm hic à nobis in India ille integer conſpectus eſt: cuius reuolutio non ſecus ac Lunæ cæterorumque aſtrorum ab Oriente in Occidentem fiebat. Ex quibus ſanè liquet, ſedem ſeu locum Cometæ, ſphæram omnino aëream fuiſſe: & hoc ipſum Elementum quoq; ſuperiorum corporum impetum raptumq; ſequi.

Sed accuratioribus obſeruationibus factis, multis nobiſcum innotuit, quod prȩter communem hanc motionem, peculiarem quoque alium motum, quo cum Planetis ab occaſu in ortum renitere- tur, haberet. Singulis enim noctibus ortui plus appropinquabat, ſicut idem & Soli & Lunæ, Verierique ac aliis quoque ſtellis errantibus accidit. Similiter & tertium quendam alium illius motum obſeruauimus, vt ſecundum Zodiacum nonnihil verſus ſeptentrionem declinaret. Antequam enim deflagraſſet omnino, poſtremis noctibus ſignis ſeptentrionalibus longè propior concurrere viſus eſt, quam cum primum oriretur. Cuius rei hæc fors cauſa fuit, quod ingens iſte Cometa omnium primò iis apparuit, qui auſtro viciniores, vt Peruenſes, habitabant. Nam poſteà demum Europæ quoque viſus eſt, cum iam ad ſeptentrionem acceſſiſſet propius. In genere tamen diuerſitatis huius cauſa patere poſſet omnibus, ſi cogitaremus, cæleſtium corporum diuerſas motiones ad ipſam vſque aëris ſphæram virtutibus ſuis extendi. Nec enim vllum dubium ſupereſt quin credamus, aërem ipſum ad conuerſionem cæli ab Oriente verſus occaſum omnino moueri. Et hoc propoſitionis noſtræ primum fundamentum ſit.

Alterum iiſdem per omnia veritatis fulcris nititur. Aëris enim ſub linea æquinoctiali aut circa illam ſiti conuerſio, definitos planè ſuos reſpectus habet. Quantò enim aër lineæ vicinius ſubeſt, tantò rapidius mouetur: quantóque à linea ille verſus polum diſtantius abeſt, tantò ſegnius & tardius agitur. Id quod extra omne dubiũ eſt. Nam ſi iſthæc vera & genuina efficiens cauſa eſt: tum omnino neceſſe eſt, cæleſtium corporum motum eo loco rapidiſſimum eſſe & incitatiſſimum, quo loco eadem velociſſimè conuertuntur. Iam verò Zonam in cælo torridam omnium velociſſimè rotari, & ſuper lineam cæteris omnibus cæli partibus concitatius reuolui, id ex eo manife-

ſtè liquet, quod in rota extremæ partes, axi propioribus, longè celerius verſentur; quodque ſpatioſiores eius ambitus nihilo ſegnius circumagantur breuioribus. Qui ergo in Oceano ab Oriente verſus auſtrum commeant, hi, ſi nonnihil altius aſcenderint, perpetuò ventos ſecundos adipiſcuntur. Et quò æquatori fiunt viciniores, eo ſecuriores ventos accipiunt. Contrà verò ab occaſu verſus ortum nauigaturi ventos perpetuo aduerſos habẽt; ſiquidem æquatoris rapida conuerſio Elementum aëris ſecum vnà rapit. Sic ergò aër ſemper cęli diurnam conuerſionem ſequitur, ab ortu nimirum verſus occaſum, mutatione nulla interueniente. Aëris viciſſim velox & incitata conuerſio aut vis, fumos ſeu exhalationes, è mari ſurgentes, ſecum pariter impetu quodam abripit; qua de cauſa fit vt Bryſæ, venti Orientales, per illam regionem aſſiduo ſpirent.

Eiuſdem nobiſcum religionis conſors fraterque Alonſo Sanches, vir experientiæ multifariæ, qui diu in India tam Occidentali quàm Orientali egit, multoties mihi narrare ſolitus eſt, quod infra lineam æquinoctialem, & in eius confinio aſſidui venti ſpirent aduerſi & periculoſi: adeo, vt ſententiam conceptam ſibi dicturo, omnino videretur, eos veros & natiuos ventos, ei loco familiares, neutiquam eſſe, ſed eſſe meram conuerſionem aëris, à diurno cæli motu factam. In cuius rei confirmationem idem hoc afferebat quoque, quod in Golffo de Las Damas ſeu virginis, vt & in aliis fretis pluribus, quibus ſub torrida nauigatur, tum temporis tum tempeſtatis perpetua æqualitas ſit. Qua de cauſa quoque vela ibi non pro conſuetudine aliorum ſuſpendi aut attolli dicebat, quia iis ferè per omnem curſum mutatis opus eſſet. Vnde porrò concludebat, niſi is ventus, mera aura ſeu aër, à cæli conuerſione ſuſcitatus, eſſet, tum ſanè futurum aliquando, vt aut is aliquando minueretur deficeretque, aut nonnunquam tempeſtates & turbines ſurgerent.

Etſi verò hæc opinio, aut ſententia admodum proba & idonea ſit: negari tamen nullo modo debet, eoſdem quoque ventos eſſe certos & veros, cum & exhalationes ibi ex Oceano aſcendere videantur, & Bryſæ nonnunquam impetuoſiores, interdum remiſſiores ſpirare ſueuerint. Tanto enim illæ perſæpè impetu flare ſentiuntur, vt ne vela vlla vim illorum ſuſtineant. Sed & id ſimul concedendum eſt aut expendendum, quod agitatus aër, elatos vapores ſuo ſecum impetu quoquo verſum pertrahat & diripiat. Illorum enim violentia tanta eſt, vt contra eam nihil ſufficiat. Optabiliores itaque Bryſæ ſimplices ſunt, qui tum infrà tum circa lineam ſpirãt; vt & circa omnem Zonam torridam, quæ illa eſt via ſeu regio, in qua Sol, duobus tropicis Cancri & Capricorni incluſus, curſum ſuum conficit.

Cap.

Cap. VII.

Qua de cauſa Vendauali plerunque extra torridam in altitudine ſuprema inueniantur.

IAm porrò, ſi quis, quæ hactenus in medium allata ſunt, probè aſſequitur: is pari ratione quoque excurſum ſeu euagationem ab occaſu verſus auſtrum, extra tropicos in maximam altitudinem factam, commodè intelliget: vnaque operâ, Vendaualorum eandem rationem omnino eſſe percipiet. Cum enim æquinoctialis reuolutio tam velox ſit: aërem quoque ſibi ſubditum impetu iſto vnà incitat, ſecúmque volutat, & eodem ab ortu verſus occaſum raptu illum rotat. Tum & vapores ſeu halitus, confertim ex vaſto Oceano ſurgentes, eodem ſecum motu abripit. His halitibus, ſi ex aduerſo exhalationes in parte æquatoris torrida eleuatæ, & repercuſſionis vi vibratæ, potentia quadam contraria occurrãt, tum Vendaualos ſeu auſtronotos ventos, illic loci admodum frequentes, & validos, ſuſcitant. Vnde videre perſæpè licet, fluctus alios, ab aliis contrariis, adeoque potentioribus concuſſos, aduerſa quaſi ſemita declinare, & potentiorum impetu in diuerſum locum abſcedere. Pari quoque modo fumi ſeu halitus, ventis occurrẽtibus vel huc vel illuc diſpulſi, veluti ſeipſis fortiores redduntur, & denouo quaſi exuſcitantur. Vendauali autem hi magna ex parte ſub altitudine media, ſub gradu videlicet 27. aut 37. dominari ſueuerunt: etſi eorum non tam certa & comprehenſa regula ſit, quæ eſt Bryſarum in altitudine minore. Nec enim Vendauali, ab æquè rata & cõſtanti cæli conuerſione iuxta lineam æquinoctialẽ gignuntur, ac Bryſæ. His tamen plerumq; frequentiores, adeoq; perſæpè quoque importuniores exiſtunt. Quod ſi per altitudinem 40. graduum nauigetur, tum nec terra nec mari tutos ſecuroſque amplius expectare ventos liceat. cum nonnunquam Bryſæ, interdum verò Vendauali conuerſis vicibus ſpirent. Et hac de cauſa, ex illis locis nauigationes factæ, difficiliores & periculoſiores ferè euadunt.

Cap. VIII.

De nonnullis exceptionibus ſuperiorum Regularum: vt & de ventis & malacia, illic tum in Oceano, tum in terra notandis.

QVæ de ventis hactenus, tum intra tum extra torridam ordinariè ſpirantibus, à nobis dicta ſunt, ea de aperto Oceano & fretis inſignioribus ſaltem intelligenda ſunt. Nam terræ longè alia ratio eſt, vt quæ diuerſis plerumque ventis perflatur, propter maximam

mam illius inæqualitatem, conſideratam tum ſecundum montes diuerſos, tum valles profundiores, tum fluenta, & lacus paludeſque frequentes, ex quibus plerumque peculiares craſſiq; aut denſi vapores eleuantur, qui pro varia ortus ſui ratione naturaque vel in hanc vel illam partem diſpulſi, variorum diuerſorumque ventorum cauſa & principium fiunt. Taceo hoc, quod aëris à cæli rapida conuerſione incitati vis, iugi tractione eoſdem ſecum quoquo verſum abripere queat.

Diuerſos autem tantopere ventos non ſolum in terreſtri regione, verum & in ipſius Oceani tractu ſub torrida, tum eodem modo, tum ex iiſdem cauſis flantes obſeruare licet. Illic enim tum è terra ſpirantes venti ſunt: & ſunt, qui è medio mari enati, ordinariè in Oceano dominantur. Et è mari quidem geniti, ſuaues ſalubreſque ſunt: è terra verò ſuſcitati plerumque inſuaues & inſalubres. Maritimorum tamen ventorum, ſua pro littorum diuerſitate differentia eſt. Terreni magna ex parte à ſeptentrione flant, vſque dum Sol in vertice ſit. Maritimi verò tum maximè ſpirant, cum ſol ardentiſſimus flagrat, vſque dum occidat. Cuius rei hæc quidem cauſa eſſe poſſit, quod terræ moles denſiſſima tum demum omnium copioſiſſimè effumet, ſi Sol, vnde incaluit, iterum abſceſſit. Sicut id æquè in lignis adhuc viridibus obſeruatur: quæ vberiorem fumum emittunt, cum flamma non admodum lucida ardenteue aduruntur. Mare verò, quod corpus ſubtilius & tenuius eſt, niſi alicunde incaleſcat, nec vaporem nec fumum vllum emittit. Eademque huius rei ratio eſt, quæ & fœni ſtraminiſve non probè reſiccati: quod igne ſubdito ſuccenſum, fumum fundit quoquo verſum copioſiſſimum. Flamma verò deficiente, tum & fumus ceſſat. Et hanc huius veram genuinamque cauſam eſſe, inde nobis confirmari poteſt, quod terreni venti de nocte potiſſimum: maritimi verò de die ſpirare ſoleant. In maris littoralibus nonnunquam aduerſi, nonnunquam impetuoſi venti per vices flant: interdum & ſumma aëris tranquillitas eſt, adeò vt ne leuiſſimæ auræ ſpiramen ſentiatur. Per ſummum verò Oceanum nauigantibus ſub linea æquinoctiali, adeò nulla malacia obtingit, vt à gnariſſimis equidem nautis acceperim, quod vniuerſo ætatis ſuæ decurſu tranquillitatem omnimodam illic nunquam experti ſint. Vnde paucis quoque illuc curſus eſt, propter aërem, qui rapidiſſima cæli conuerſione tam violenter ibi torquetur, vt naues in aduerſum eius minimè propelli poſſint.

Inter cætera etiam hoc meminimus ſuperius, nauem quandam à Lima vſq; in Manillam, ſpacio 2700. milliarium perpetuo ſub linea decurriſſe, ita vt ab illa vltra 10. aut 12. gradibus nunquam deflexerit. Id autem mēſibus Februario & Martio, quibus Sol rectà in Zenith illis eſt, factum eſt. Hoc vniuerſo in ſpatio nullam vnquā tranquillitatem, ſed perpetuas frigidiuſculas auras nacti, duorum menſium

decurſu

decurſu citius, tam longinquam nauigationem confecerunt. Supra terram verò, aut iuxta littora, aut vbi vapores inſulas terrámve firmam attingere poſſunt, tum intra tum extra ipſam torridam malacia frequenter longiſſima & durabiliſſima perſentitur. Similiter autem derepentè copioſi imbres, aliæq; horrendæ tempeſtates in aëre ſuſcitantur, quæ plerunque iuxta littora potius, & ea loca, in quæ vapores ferri ſolent, deſæuiunt, quàm in amplo vaſtoque Oceano. Sed hæc de torrida ſaltem vera ſunt. Nam extra illam haud leuior perſæpè tranquillitas eſt, quàm in ipſomet Oceano. Nihilominus tamen & interdum ſub linea intra ipſam torridam tam repentini, præcipites, effuſiq; imbres ruunt, vt magnam quoq; Oceani partem omnino peruagentur. Cui aëris affectioni introducendæ vni vapores, ex mari confertim erumpentes, & in altũ euolantes ſufficiunt: cum ex iiſdem & fulgura, & tonitrua, & procelloſæ tempeſtates plerumque gignãtur. Quæ tamen omnia ſupra terram potius, quam in Oceano contingere, notum eſt.

Nos, cum aliquando ex Peru in Hiſpaniam vela facientes, iuxta littora maris alicubi decurreremus, toto illo tẽpore aërem ſerenum, placidum, & coruſcum habuimus: cuius cauſa ventus auſtralis erat, qui ibi iugiter ſpirare ſolet. Hoc eodem vento ex noua Hiſpania in veterem tranſmitti ſolitum eſt. Poſtquam verò obliqua declinatione verſus Oceanum altum, vltra lineam æquinoctialem tranſcendiſſemus, aura frigidiore & nobis ſecũdiore vſi ſumus. Hinc porrò in Nicaraguæ finitima deuecti, cum iuxta littora iterum decurreremus, ventos aduerſiſſimos, denſis nebulis, frequentibuſq; pluuiis & tempeſtatibus crebris permixtos nacti ſumus. Et nihilominus tamẽ noſter iſte decurſus intra torridam iugis & perpetuus erat: niſi quod ab auſtro 12. gradibus, qua altitudine ciuitas Lima ſita eſt, declinantes, ad 17. gradum, quò ſitu Guatulco nouæ Hiſpaniæ portus eſt, contenderemus. Nec dubito, quin, ſi meta à nobis ſub torrida decurſa, accuratiore ſupputatione numeretur, graduum dictorum is numerus præciſe proditurus ſit.

Et hæc, de ventis in Zona torrida, & in ipſo Oceano dominantibus hactenus in genere percenſita, nobis ſufficiant.

Cap. IX.

De miris quibuſdam operationibus ventorum, in India editis & notatis.

QVi vniuerſos, adeoque memorabiles & prodigioſos illos omnes effectus, quos in India diuerſis diſcretiſque locis venti edere ſolent, digna tractatione explicare vellet, hunc ſublimi quodam atque ferè diuino mentis intellectu præditum eſſe, neceſſe foret. Sunt enim inter alios venti, qui aquam marinam in

aliam naturam mutantes, eam ſub viridi colore tingunt. Eandem alii viciſſim ita eluunt, clarificantq́;, vt ſpeculi læuorem habeat. Ventus alius corpus expedit recreatque: alius idem obturbat & ſuffocat. Qui ſerici cauſa bombyces alunt, hi Vendaualis flantibus, feneſtras exquiſitè occludũt eorum conclauium, in quibus ſeruantur. His verò contrariis ventis ſpirantibus, eaſdem prouidè reſerant: cũ indubitata longi temporis experientia didicerint, ventorũ alios inſectis iſtis damnoſos & noxios, alios verò iiſdem admodum ſalubres eſſe, & eorum multiplicationem procurare. Quod ipſum vel à noſtrum quouis priuata experientia facta comprobari poteſt. Venti enim diuerſi, omnino diuerſas corporibus animantium diſpoſitiones inducũt, iis comprimis, quæ naturæ aut partium ſunt teneriorũ aut molliorum. Hę enim quò infirmiores, eo alterationibus magis obnoxiæ ſunt. Sacra Scriptura quidẽ ventos alios vrentes & tabefacientes vocat: alios è ſuaui rore ſpirantes. Nec mirum eſt, tantam à ventis mutationem, tum herbis, tum animalibus ac hominibus ipſis impendere: cũ ſimilia metallorũ quoq; ſolidiori generi, vtpote ferro, accidere cõpertum ſit. Nam in diſcretis Indiæ locis crates ferreas, feneſtris prætẽdi ſolitas, ventorum vi penitus obtritas, & quaſi eliquatas multoties vidimus. Quarum quidem fragmentum, cum aliquando tentandi cauſa digitis preſſis obtereremus, nõ ſecus, ac fœnum ſtramenve aridiſſimum in tenuem puluerem fatiſcebat, ita intimã omnem eius ſubſtantiam penetrantiſſima venti vis exederat. Contra quam etiam illius iniuriam nullum vſquam indigenis iſtis remedium proſtat.

Exod. 10. 14.
Iob. 17.
Ion. 4.
Ezech. 13.
Dan. 3.

Sed ex maximis & comprimis admirandis ventorũ energiis, duas ſaltem hìc virtutes illorum commemorabo. Vna eſt, quod, etſi venti nonnulli ipſa morte acerbius torqueant, homini tamẽ vim non admodum magnam inferant. Altera, quod ſine ſenſu & dolore omni homines vita exuũt. Et quidem homines, qui primo per mare nauigaturi ſunt, illicò ægreſcere, id vt notiſſimũ, ſic nulli damnoſum eſt. Quod ni ſic neceſſario fieri compertum haberẽt homines, nullo dubio, ſe morbo lethali occupatos eſſe, perſuaſum haberent. Namq; ea ægritudine omnis ventriculi ſubſtãtia tam iugi & infeſta roſione, & diuulſione diſtorquetur, vt dolor ipſa morte acerbior perſæpè ſit. Hinc immaniſſimi capitis dolores: & tandem ſymptomata infinita conſequuntur alia: quæ omnia, ceu iam notiſſima mala, ab vno nouo & inſueto maris aëre, hominum corporibus ingeruntur. Et licet incitatior nauis commotio, eiuſdemq́; crebra quaſi ſuccuſſio, ſentineq́; praua & moleſta expiratio ad iſtiuſmodi morbum gignendum momenti haud parum conferant: aëris tamen marini halitus ex omnibus iſtis cauſa princeps eſt, quæ inaſſuetorum hominum ventriculos tantoperè infeſtet & rodat. Nam, vt accuratius de his diſſeramus, notum omnibus eſt, aërem vitæ noſtræ pabulum eſſe. Eo inſpirato, cordis natiuũ feruorem quaſi attemperamus & reficimus. Nec

quic-

quicquam eſt, quod hominis corpus aut promptius aut violentius mutare poſſit ipſo aëre: ſicut id in conſtitutionibus anni peſtiferis clarè cernitur. Marini verò aëris hauſtum inſolitæ illius perturbationis vim maximam habere, id lõga omnium obſeruatione liquidius eſt, quam vt ſcrupuloſius enodandũ ſit. Nam & id à diligentioribus perſæpè obſeruatum eſt, quod aura è mari expirans, hominibus vel in ipſa terra habitantibus, ſimilem ventriculi peruerſionem incuſſerit: ex quorum número vel ipſum me profiteri liberè audeo. Hi, quò mari deinde fiunt propiores, eo ægriores euadunt. Id nobis contigit in illis notare hominibus, qui, iuxta mare in fluminum oſtiis nauigantes, cũ aura marina afflarentur, illicò nauſeam ſimilem paſſi ſunt. Idem eorum quoq; nonnulli experiuntur, qui aut bigis, aut curribus iter iuxta mare confecerunt, prout illorum natura aut complexio affectui iſti affinior fuit.

Sed vtcumq; iſthæc ſe habeant, certè ratũ, & extra omne dubium nobis id eſſe debet, ab aura marina illos omnino ægreſcere, qui mare primum tentant. Quæ omnia hunc ſaltem in finem à nobis prolata ſunt, vt intelligerẽt rerum abditarum cupidi, Indorum multos, imò partem maximam à vicinia ſaltem maris aura grauius affligi, quam ſi ipſum mare tererent aut ſulcarent.

Sed ſunt, qui iſtiuſmodi pro nugis & fabulis habent. Alii, nos rem paruã & humilẽ, nimiopere exagitare: aut exaggerare clamitant. Sed iſtos, & eorũ ſimiles quis admodũ curet? Quin potius, quod res eſt, & quod ipſiſmet nobis experiri licuit, contra ipſos proferimus? In Peru prouincia mons quidã inſignis altitudinis eſt, Periacacca dictus. Huius cum ab aliquibus miram efficaciam deprædicari audiſſemus, viſendi & adeundi eius nobis libido ſuccreuit. Pro eorum ergo, quos Vaſquianos ſeu Peritos nominant, inſtitutione, nos rebus omnibus, ad hoc iter & periculum ſuſtinendum, neceſſariis, abundè inſtruximus. Probè ergò rebus omnibus muniti, cũ aſcendendo Scalam (ita locum montis editiorem appellant) attigiſſemus, tantus derepentè tamq; acerbus nos horror inuaſit, vt omnino de equis deſultãdum, in humumq; decumbendum eſſe, nobis videretur. Et licet noſtrum numerus haud exiguus eſſet: quiſque tamen pro ſe ſociis non attentis, quantum poterat, per locum iſtum perrumpebat, vt pauorem illum panicum velociter exuperaret. Ego verò, qui cum nonnullis aliis rem iſtã exactius experiri deſiderabam, poſtquã cum Indo quodam ductore ſoli ibidẽ reſtitaremus: illum vt caſurũ me de equo ſuffulciret, amanter obſecraui. Quo facto, vix tantilla mora elapſa vſq; adeò me nauſea ſollicitauit, illicò, vt quicquid vel cibi vel pituitæ in ventriculo & inteſtinis eſſet, vomitione vniuerſum redderetur, dum tandem violentiore exagitatione prolectus quoq; cruor emanaret. Quæ ventris irritatio ſi diutius cõtinuata fuiſſet, nullo dubio ipſi vitæ certum periculum attuliſſet. Vix quatuor à principio elapſis horis,

Periacacca montis vis mira.

tandem auram temperatiorem nacti, ſocios noſtros pleroſq; admodũ cõſternatos & perculſos, numero 14. vel 15. offendimus collectos. Nonnullos etiã iſtiuſmodi laboribus penitus expiraſſe intelleximus. Alios eorum videbamus per ſolum porrectos, præ immani dolore, ex montis Pariacacca halitu concepto, terram horrendo aſpectu radere: alios verò conuolutis gyris ſe quoquo verſum verſare. Plerumque tamen accidentia aſcenſuris grauiora nulla obtingunt, quam quod vomitione eorum ventriculi quatiantur, & dolores ventris acutiores lacerent.

Huiuſmodi verò effectus aut mala, non in ipſo ſaltem aſcenſionis tramite peregrinantes obruunt; verum eadem vis montanis vniuerſis illis, longitudine ſua ad 500. milliaria excurrentibus congenita eſt: ad quæ quam primum appropinquaueris, huiuſmodi peregrinam & intolerandam temperiẽ illico ſenſeris. Quæ tamen malignitas aliis ac aliis locis vel intẽſior vel remiſſior exiſtit. Sed & his malis ij promptius affliguntur, qui à maritimis profecti aſcendunt, quàm, qui ex montanis deſcenſuri planam terram petunt. Nos quidem etiam extra Pariacaccæ montana per Lucanas & Soras, & alio item loco per Collaguas, & rurſus alio per Cauanas peregrinati fuimus, adeoque tum aſcendendo, tum deſcendendo loca varia & diuerſiſſima tranſiuimus: & tamen in omnibus locis huiuſmodi noxas perpeſſi ſumus: etſi in dicto primo tranſitu ſymptomata omnium truculentiſſima ſuſtinuerimus. Idem eodem modo & cæteri experti ſunt, ſenſeruntque, ventos ſeu aërem, illis locis vernaculum inconſuetæ & admirandæ huiuſmodi alterationis, omnino autorem exiſtere. Sed contra huiuſmodi corporis ſubuerſiones truculentas, quod excogitari potuit remedium omnium optimum eſt, vt tum nares tum aures exquiſite, quantum licet, obturentur, & veſtibus idoneis vniuerſum corpus, comprimis verò vẽtriculus, probè muniatur: Cùm ea illic vigeſcentis aëris tenuitas & ſubtilitas ſit, vt eſſentia eius ad intima vſque penetralia viſcerum promptiſſimè peruadat & penetret. Superius autem commemoratis accidentariis malis non homines ſolum, ſed ipſa quoque pecora tentantur & corripiuntur, quæ vſqueadeo doloribus obrigeſcunt, vt nec calcibus incuſſis, nec ferulis adactis quoquam modo compelli poſſint, vt pedem vel vnum è loco proferant.

Regio iſta, de qua hactenus talia percenſuimus, locus videtur non ſaltem eius confinis, verùm & vniuerſi orbis omnium editiſſimus & altiſſimus. Tanta etenim illius ſublimitas eſt & eminentia conſcendenda, vt cùm loco illo, niuibus profundiſſimis vndiquaq; obſepto, ſi vel Pirenæi montes in Hiſpania, vel Alpes in Italia conferantur, comparationem aliam non habere videantur, quam quæ vulgarium domorum eſt, cum præaltis turribus collatorum. Quà de cauſa quoque, vt mihi quidem videtur, aër ita ſubtilis & penetrantis naturæ

turæ ſit, vt nulla cum hominibus aut pecoribus, craſſiore & tẽperatiore nimirum aura indigentibus proportione conueniat. Quæ ipſa quoque noſtra ſententia vnica & proxima cauſa exiſtit, cur ab illo aëre vis & robur ventriculi tantopere affligatur, & proteratur.

Europæ quidem alpes, quas videre mihi contigit, etſi propter auræ frigiditatẽ vehemẽtem quidem faciant, vt cumulatis & multiplicatis veſtibus admodum opus ſit: gelu tamen iſtorum locorum animalium appetitum adeò non deſtruit aut euertit, vt potius ciborum deſiderium maius conciliet & inducat. Præterea nec nauſeam aut anorexiam, nec vllum alium ventriculo affectum vnquam impertit, præterquam quod in manibus pedibuſque doloris aliquantum concieat. Et vt ſummatim dicam, Alpium Europæ quas dant, noxæ, partium ſaltem externarum ſunt. Indicarum verò iniuriæ, nec manus, nec pedes, nec partes vllas exteriores, ſed ſola viſcera interna & penitiora attingunt. Quà ſanè in re & id comprimis admirabile ſtupendumque videtur, quod etſi quidem in iſtis regionibus, tum ſumma amœnitas, tum lucidi ſolis radii nonnunquam micent, aëremq; calefaciant, nihilominus tamen peregrinantibus iſtiuſmodi dolores infligantur. Vt vel fixa & immota nobis ſtet ſententia, prædictas ægritudines à ſola aëris inſpiratione hauſti attractique, qualitate & proprietate corporibus introduci. Vſque adeò enim eſſentiæ tenuis & penetrantis eſt, vt nec confertim irruens, vlla ſenſus acrimonia percipi queat.

Cæterùm, quod montana Pariacacca porrò concernit, magna ex parte illa inculta deſertaque adeoq; ſterilia ſunt, vt vix vſquam Tambos ſeu Caſam, ibidem pernoctaturis commodam, reperire liceat. Sed nec vllum ibidem animal, prauúmve bonúmve inuenitur, præter Vicunnas, quarum nimis mira natura aut proprietas eſt, ſicut à nobis ſuo loco fuſius explicabitur. Herbæ & gramina aëris vi exuſta & nigricantia apparent. Deſerta illius loci alicubi viginti, nonnullibi etiam triginta in latitudine: in longitudine verò vltra 500. milliaria occupant, ſicut ſuprà nos dixiſſe meminimus. Sed ibidem & alia inculta inhabitataque loca ſunt, quæ Peruani Punas nominant.

Sed iam ad prænarratum alterum miraculum explicandum diuertamus, quo qualitas viſque aëris, citra omnem ſenſum humanum corpus peruadit & permeat, & ipſum tamen ſuffocat aut perimit. Elapſis aliquam multis annis Hiſpani ex Peru prouincia in regnum Chilæ migraturi, viam terreſtri itinere per mõtana ſibi moliebantur. Nunc autem nauibus paratis eò plerunque contenditur, curſu ferè per littorum longitudinem inſtituto, etſi hæc via tum laboris tum periculi pleniſſima ſit. Et tamen terreſtri itinere naualis tutior & ſecurior eſt. Nam montana tranſeuntibus multæ ſubinde planities occurrunt, in quibus cadauera, aëris violenta incurſione ſuffocata ſpectantur. Nam per illa meaturorum alii bona fortuna

peruadunt:alii verò membris reſoluti & apoplexia concuſſi, ibidem expirant. Illic leuis quædam & tenuis aurula ſpirare ſentitur, quę tanta vi penetrat, vt priuſquam homines aliquam eius vim perſentiſcãt, iam exanimes in terram prouoluantur. His nonnunquam è manibus, illis frequenter ex pedibus digiti truncati decidunt. Quæ, etſi quidem commẽti aut fabulæ ſpeciem habere ignaris videri queant; tamen ipſa veritate omnia veriora ſunt. Hieronymo Coſtilla, veterano in Cuſco ciue, viro approbo, valdè ſemper humaniter & familiariter vſi ſumus. Hic tribus aut quatuor in pedibus digitis carebat, quos frigus, per deſertum in Chilam olim contendenti ipſi ademerat. Hic cum digitos iſtos ſuos auræ immanitate acerrimè afflatos & conciſos ſpectare vellet; eos frigore rigidiſſimos & iam emortuos, non ſecus ac matura è malis poma, non citra acerrimum dolorem, decuſſit. Prænominatus Capitaneus mihi quoque commemorare ſolebat, multos militum greges, primo anno per deſertũ hoc in prædictum Chilæ regnum, ab Almagro ipſis monſtratũ, pergentes, maxima ex parte ibi occubuiſſe, quorum numeroſa cadauera ſeipſum adhuc vidiſſe deierabat, addebatque, nihil quicquam fœtoris illa expiraſſe, aut quamcumuis aliam corruptionẽ putredinemve ſubiiſſe.

Sed quod inter cætera admodum notabile videbatur, hoc erat, quod affirmaret, ex gregibus iſtis ſe ſuperſtitem adhuc puerũ quendam vidiſſe viuentem ſpirantemque: quem, cum rogaſſet, quónam præcipuè præſidio is ſe ſolus tamdiu ſeruaſſet, reſpondiſſe illum referebat, quod ſe interea in tabernaculo quodam ſeu caſula fortuitò inuenta ſuſtentaſſet, ex qua quotidiè excurſum feciſſet, & de cornice mortua adacto cultro particulam quandam, quæ ipſi hactenus pro alimento ſatis fuerit, auulſiſſe. Sociorum verò ſuorum neminem vſpiam ſuperſtitem relictum eſſe, ſed hunc, hodiè, cras alium, animi defectione enectum, miſera ſtrage occubuiſſe, vitamque expiraſſe. Nunc verò & ſibimet poſt alios moriendi vnum votum ſupereſſe, vt qui iam nihil amplius appetitus vel cibi vel potus, quibus reficeretur, reliquum haberet. Quam rem ita in veritate geſtam eſſe, ab aliis quoque nobis ſanctè affirmatum eſt. Qui caſus ſanè, ſi penitius expendatur, meritò miraculi inſtar eſt, frigus quidem hominem interimere, ſed tamen eius corpus ab omni corruptione & putrefactione immune tueri. Hoc ipſum nobis poſt alios æqua narratione quidam Presbyter, Dominicanorũ ordini addictus, etiam percenſuit: qui ſuis oculis iſthæc omnia vidit, cum per deſertum iter feciſſet. Is commemorabat, quod nocte quadam in dicto deſerto pernoctare coactus fuerit. Et cum præſidii nihil haberet, quod ſpiranti illi tam penetranter auræ obuerteret: tum ſe cadauerum, ſparſim illic per humum fuſorum diſiectorumque ingentem ſtruem comportaſſe, & poſt eam veluti poſt murum in latibulis iacuiſſe iurato atteſtabatur.

Auru-

Aurulam hanc quidam haud inſipidi ſtatuunt frigoris quoddam genus eſſe, virtutis aut qualitatis vſque adeò permeabilis & penetrantis, vt calorem corporum natiuum & genialem, vel in imis partium medullis ſuffocet & extinguat. Quæ cum iunctim ſummæ quoque ſiccitatis ſit; quò minus cadauera putredine tabeſcant & diffluant, prohibet. Nam omnis putredinis principium à calore eſt & humore.

Tandem verò, quod illud genus auræ, ſub terra fluctuantis & perſtrepentis, adeoque eius ſuccuſſionem & tremorem facientis (cuiuſmodi in India longè frequentius, quam locis aliis eueniunt) attinet. De eo illo ſigillatim loco tractaturi ſumus, vbi ex profeſſo de terræ Indicę qualitatibus examen ſuſcipiemus. Hîc ergò iam ventis & aëre miſſis, ad huic finitimum aliud elementum, nimirum aquam diuertamus deinceps, & quid in ea ſcitu memorabile ſit, propius intueamur.

Cap. X.

De Oceano, ipſam Indiam circumcirca ambiente: vt & de boreali auſtraliq; Oceano, nonnulla.

DE aquis tractationem ſuſcepturis, ante omnia id incumbit curandum, vt primò de Oceano ſeu magno mari, vniuerſam Indiam cum cæteris promiſcuè omnibus terris, ſuccingēte aut ambiente, ſermonem inſtituat. Omnes enim in vniuerſum terræ, ſiue illæ inſulæ, ſiue continentes ſint, ab Oceano omnino diſſeparantur, ideò quia in nouo orbe mediterranea adhuc nulla maria reperta ſunt, ſicut eadem in Europa, Aſia, & Africa inueniuntur, in quas mundi nimirum partes bracchia quædam ex magno Oceano ſeſe efferunt, & maria illic diſtincta conſtituunt, quæ poſtmodum diuerſas appellationes ab iis prouinciis ſeu regionibus, quas aut alluunt, aut ſtatione ſua attingunt, ſortiuntur. Mediterranea autem iſta omnia & ſingula maria propè conueniunt, & cum Oceano iunguntur vniunturque iuxta fretum Gibraltâr, quod veteres Herculis columnas vocatum voluerunt. Mare verò rubrum, à mediterraneis ſeiunctum, in Oceanum Indicum ſe exonerat. Caſpium mare nulli quidem alii permiſcetur & confunditur. Sed in India tamen, vt dictum eſt, mare aliud non eſt præter ipſum Oceanum, qui in duas partes ita dirimitur, vt alia Oceanus auſtralis, alia borealis vulgatè dicatur. Indiæ porro Occidentalis terra, nuper reperta, cum illa, quæ verſus Hiſpaniam Oceano finitima eſt, omnis in parte mundi Boreali ſita eſt: & per hanc alterius quoque partis detectus eſt Oceanus, Auſtralis hodiè appellatus, ideò, quoniam, dum nautæ eum ſulcantes deorſum vltra lineam æquinoctialem portenderent, polum Arcticum ex conſpectu ſuo amiſerunt, & pro illo polum Antarcticum, aliàs

aliàs auſtralem, nacti ſunt. Vnde factum eſt, vt mare in altero latere, nimirum in India Occidentali detectum, auſtrale vocaretur, etſi illud magna ex parte in latus boreale excurreret, ſicut eſt omnis Coſte ſeu tractus in noua Hiſpania, Nicaragua, Guatimala, & Panama.

Multorum hæc ſententia eſt, quod Vaſco Nunnes de Valboa auſtralem Oceanum, omnium primus inuenerit, per illam nimirum terram, quæ hodiè Firma nuncupatur, quo illa loco anguſtiſſima & contractiſſima fuiſſet. Bini etenim iſti Oceani tam vicinis limitibus ſibi iunguntur, vt interuallum vtriuſque non plus ſeptem milliaribus euagetur. Et quamuis plerique à Nombre de Dios, vſque in Panamam 18. milliaria completa numerent: id tamen hanc ſolum ob cauſam fit, quia tot ambagibus & circuitibus obeundis opus eſt. Quod ſi verò illud interſtitium ad exquiſitam latitudinis amuſſim reuocetur, plures ſeptem dictis milliaribus nunquam ſupputabuntur. Conſilium id verò nonnullorum fuit, vt interiecta hæc ſeptem milliarium terra penitus perfoderetur, curareturque, vt tantillo ſpatio interſepta maria ſibi inuicem coirent. Quæ certè ratio commodiſſimam in Peru nauigationem præſtaret. Nam quæ merces octodecim illis milliaribus per terram traiiciendæ ſunt, ſumptus longè grandiores requirunt, quam ſi nauibus ad milliaria 1300. proferrentur. His verò ex aduerſo nonnulli reſpondent, ſi id fieret, tum nullo dubio vniuerſam illam regionem aquis ſubmerſum iri. Cum vnus Oceanus altero multo preſſior & humilior decumbat. Et ex hiſtoriis intelligitur, quod propter dictam vnicam hanc cauſam tempore Seſtoris Regis, & poſtea ſub Ottomannico imperio Nili in mare rubrum deductio intermiſſa fuerit. Nos verò etſi id, quod iam dictum eſt, quò minus terra perfoderetur, minimè obſtaculo aut impedimento eſſet, laborem iſtum omnem non ſaltem fruſtraneum, ſed nullis omnino humanis viribus euincibilem audacter ſtatuimus. Quis enim obſecrò compagem illam ſaxoſam, tot rupibus & ſolidiſſimis cautibus, firmiſſimiſque montium eminentiſſimorum vinculis, mirabili diuinæ potentiæ artificio quaſi ferruminatam, &, vt æſtuoſiſſimis frementis maris furoribus quaſi aheneus murus reſiſteret, in medium coniectam, carneis ſuis manibus diffringere, & ſolo æquare poſſet? Et licet id quidem humana induſtria facilè confectum dari poſſet, ab auſu tamen tam arduæ & periculoſæ rei meritò, tum pietas honeſtaſque, tum impendentis pœnæ metus nos auocare debebat: vt quibus probroſum omnino & piaculare futurum ſit, ſi, quæ opera Deus inexhauſta ſua ſapientia & infinita prouidentia in creando mundo ita condita & conſtituta voluit, eadem nos temerario & nefando molimine deſtruere, euertere, & in creatoris contumeliam emendare ſatageremus. Taceo hoc loco ipſam rei leuitatem: ideo nimirum perrumpendam & ſuffodiendam terram eſſe, vt vnus Oceanus alteri quacunque ex cauſa

con-

coniungi queat. Et licet vna quidem plaga altera tutior ſecuriorque ſit: valdè tamen metuendũ & formidandũ eſt, vtrũ duæ hæ abyſſi in vno eodemque orbis loco commodè colligi & conuenire valeant.

Per hanc viam olim primus tranſiuit Ferdinandus Magellanes Eques Luſitanicus, qui tũ propter ſummũ ingenii acumen, tũ miram animi conſtãtiam ampliſſima laude digniſſimus eſt. Is multa abdita & hominibus incognita mira ſagacitate inuenit: inter quæ & anguſtia ſeu fretum Magellanes, ab autore ſuo, primoq; inuentore ita appellatum, numerari debet. Eius non miraculum leuius eſt, quam vllius in vniuerſo orbe partis. Exiſtimant nonnulli, fretum illud, quod verſus auſtrale cęlum à Magellane detectũ eſt, aut nihil omnino eſſe, aut quod grãdior quædã & porrectior in Oceano obturatio aut obſtructio ſit: ſicut talia Don Alonſo d' Arcilla in ſua Araucana tradidit. Quin & noſtro hoc ſeculo fuerunt, q audacter profiteri auſi ſunt, fretum illud nuſquam vnquã extitiſſe, ſed id meras fuiſſe inſulas, continẽtemq; illic ſuos terminos habuiſſe: cuius reliquiæ ſeu extremitates omnes in inſulas, in hoc aut illo mari quoquo verſum diſperſas degenerârint: aut quod cõmodius dictu eſt, illud vniuerſum mare extitiſſe. Sed longè certiſſimũ eſt, reuera ibi tum anguſtias ſeu fretũ, tũ terras, ſecundum longitudinẽ ab vno latere in aliud excurrentes, exiſtere: etſi, quouſq; terra in latere auſtrali ſecundum fretũ illud exporrigatur, nemini adhuc cõpertum ſit, per fretũ hoc Magellanes, Epiſcopus Placentinus Don Gutierre Caruaial naue perrupit: cuius malus, vt fama eſt, vel dum hodie in Lima ciuitate ante palatii introitũ ſuffixus aut aſſeruatus cernitur. Porrò & claſſis quæpiam, à Don Garcia de Mendoça, tum tẽporis in Chila Gubernatore, inſtructa & emiſſa eſt, ad partẽ illam Auſtralem certius perueſtigandam. Quæ omnia ſic reuera ſe habere, à Capitaneo Ladrillero, cuius Relationem nobis legere contigit, cõperta ſunt. Qui tamẽ ſuis cõmentariis hoc quoq; inſeruit, quod nunquã auſus fuerit, per freti aduerſa ſurſum nauigare: verum quamprimũ Oceanũ borealẽ interſtinxiſſet, quod ventorum fluctuumq; graſſantibus procellis retropulſus ſit, cũ iam dũ hyems in illis locis vigeret, fluctuſq; maris aquilonaris violẽto impetu inſultarẽt, tantoq; fremitu & agitatione ſubigerentur, vt quoquo verſum vnda concuſſionis furore ſpumeſceret. Noſtris tẽporibus idẽ quoq; fretum Frãciſcus Draco, Anglus: & poſt hunc Capitaneus Sarmiento, qui ſecũdũ partem auſtralem decurrit, pernauigauerunt. Et anno à partu virginis 1587. has ipſas anguſtias nonnulli quoq; alii Angli, à dicto Draco edocti & inſtructi, tranſmiſerunt: qui iam ſecundum Peruenſia littora habitare creduntur.

Cum verò commemoratio iſta, quam nobis ſummus noſter Gubernator de hac re fecit, memorabilis admodum & fructuoſa videatur; eam huic loco inſerere placuit: ideò comprimis, quod is ipſemet quoq; iuxta latus auſtrale fretum illud permenſus fuerit.

Cap. XI.

De freto Magellanes, & quomodo per id in latere auſtrali tranſitum & pernauigatum ſit.

ANNO ſalutis humanæ Franciſcus Draco per fretum Magellanes tranſmiſſurus, ſecundum littorum Chilæ & Peru longitudinem decurrit, nauemque S. Ioan d' Antona, tabulis ſeu orbibus ex puro argento fuſis oneratã prædatus eſt. Tum & Prorex Don Franciſco de Tolleto, ad eundem ſinũ patefaciendũ duas grandes naues expediuerat: quarũ præfectus Pedro de Sarmiento, Oceani peritiſſimus ſimul, & Aſtronomiæ gnariſſimus conſtituebatur. Is ex Collao de Lima in initio menſis Octobris ſoluens, cum iuxta littora ventis impeteretur aduerſis, ibi ab auſtro aſſiduò ſpirare ſolitis: verſus altum Oceanum aſcendens, intra 30. dies feliciter regionem iſtius freti attigit. Quam tamen cum internoſcere difficilimè liceret, vela verſus terram vertentes, tractum quendam oblongum peruaſerunt, dum Arce, Pelagus quoddam (vt vocant) inſularum tenerent. Ratus ergò Sarmiento, ibi neceſſario quæſitum tranſitum ſinúmve ſitum eſſe, laborioſis explorationibus plus integro menſe confecit, varias interim vias & incurſus diuerſos ſibi moliens, & nonnũquam præruptiſſimos quoque montes, ſpectandi cauſa conſcendens. Videns ergò ſibi inueniendi aditus nullam copiam reſtare, tandem collegarum ſollicitationibus victus, ex loco dicto iterum in altum Oceanum ſeceſſit. Eodem adhuc die tempeſtate immani vſque ad ſeram veſperam cõcuſſi & iactati, prætoriæ nauis faces ſuccenſas conſpicati ſunt: quas tamen temporis breue interuallum confeſtim eorum cõſpectui eripuit iterum, ita, vt nauis ne ramẽtum quidem minimum procul diſpectare amplius poſſent. Poſtridiè, durante adhuc nonnihil vento dicto, è nauis ſummitate terram pandi quampiam viderunt. Ideò ad illam rectà nauem impellere, & tutum contra procellarum inſaniam receptum ſibi ibi quærere decreuerunt. Cum ergò iuxta terram illam pergentes curioſis oculis omnia quoquo verſum diſpicerent, eam quàm longiſſimo tractu prorſum exporrigi animaduerterunt. Vnde non immeritò, illud hoc ipſum quæſitum fretum eſſe, ſuſpicati ſunt. Loci ergò altitudine captata 51 $\frac{1}{2}$. gradus numerarunt, quæ ipſa vera iſtius ſinus altitudo erat. Porrò autem, vt rem adhuc certius compertam haberent, celoce expedita emiſſaque ſecundum longitudinem marini huius bracchii multorum milliarium metam permenſi ſunt. Cuius cum nullos terminos aſſequerentur, iam dum inuenti detectique freti ſententiam immotam & ineuariabilem conceperunt. Ergò pro iniuncto munere fretum manifeſtatum pernauigaturi, eo loco crucem ex ligno ſublimem

mem erexerunt, infraque litteras quaſdam exſculpſerunt, venturæ naui alteri, im dudum vi fluctuum diſiectæ, indicaturas, quod hâc ſcilicet metâ perrexerint. Commoda itaque tempeſtate, citra laborem, fretum omne tranſmittentes, cum tandem in Oceanum borealem inuecti eſſent, & ibidem quaſdam inſulas attigiſſent, ex iis pro neceſſariis vſibus porabilem vndam hauſerunt. Quo peracto, porrò iter ſuum verſus Cabo Verde, & hinciterum, ſuaſu impulſuq; gubernatoris primarii per Cartagenam & Panamam in Peru vela direxerunt, reperti freti conditionē omnē Proregi delineantes, & quid in iſta exploratione ſucceſſus habuiſſent explicantes. Quibus exactè cognitis, quod æquum erat, Prorex exploratori ampliſſima munera obtulit. Capitaneus verò Pedro Sarmiento, ea ipſa naui, qua fretum traieciſſet, à Cabo Verde in Seuiliam, & hinc vlterius ad aulam Regiā conceſſit: vbi à maieſtate regia non ſolum honorariis opulentiſſimis illicò donatus eſt: verum pro eius ſollicitatione, valida claſſis inſuper inſtructa, ipſi ac Diego Flores de Valdês tradita & mandata eſt, vt nimirum illâ fretum repertum occuparent, & idoneis munitionibus erectis, locum habitabilem conſtituerent. Quæ tamen claſſis emiſſitia nihil admodum commemoratione dignum præſtitit, etſi varia eademq; grauia in tranſitu illi occurrerint.

Sed iam deinceps de altera naui quoque, quæ ad vice Almirantem ſpectans, prætoriæ ſocia comeſque fuerat, nonnihil dicendum eſt. Eam autem ſuperius commemorauimus, tempeſtatum aduerſitate mirè concuſſam, & à ſocia prætoria diſpulſam fuiſſe. Quo facto, ipſa nihilominus, qua maxima fieri potuit diligentia, pro meta in Oceano recta tenenda, fortiter & animosè anniſa fuit. At verò, poſtquam à latere venti obliqui violentiſſimè irruerent, quin vno quaſi momento nauis funditus mergeretur, vix tantillum aberat. Et iam dum vniuerſi ſeſe morti præſentaneæ præparauerant, ſibi ſua peccata inuicem confitentes, & extremum vale dicentes. Cum vero immanis hęc tempeſtas citra vllam remiſſionem triduo integro fremeret: ſubinde tamen, vt ſolent deſperati, ſpem ſibi faciebant, tandem aliquando fore, vt in littus aut oram aliquam, quam de longinquo proſpiciebant, expellerentur. Sed & hæc illorum ſpes vana erat. Quin imò oram illam ſenſim longius è conſpectu auferri, planè notabant: donec ſub diei tertii exitum ſedata ventorum vi, ſolis altitudinem dimetientes gradus 56. numerarent. Re ergò cognita, quod vſque adeò non in oram diſiecti eſſent, vt ab ea potius quam longiſſimò interuallo diſceſſerint: oppido euentum admirati crediderunt (ita atteſtante nobis Hernando Lamero Gubernatore) terram illam, quæ vltra fretum ſit, ſecundum longitudinem Oceani auſtralis procurrentibus, non eadem vſque ad ipſum fretum meta exporrigi, verùm ad Ortum potius aliquantulum deflecti. Nam ſi ſecus eſſet, tum ſe iſto triduano vento non vſque adeo infeliciter vſuros fuiſ-

ſe,arbitrabantur. Quibus ita conſtitutis,longius pronauigandi conſilium mutare cæperunt. Siquidem, an illic terræ termini eſſent,nec ne, ſcire non poſſent: & inſuper nonnulli affirmarent,terram, iuxta fretum ſitam, meram inſulam eſſe, apud quam vterque Oceanus tum Auſtralis, tum borealis colligeretur aut coiret:aut certè terram illam verſus Orientem ad fines illos exporrigi, in quorum oppoſito Cabo de bona Eſperanca(vt nonnulli autumant) ſita ſit. Sed hæc res nec ad hunc vſque diem certò confirmari, aut explorari potuit;nec quiſquam adhuc inuentus eſt,qui ſecundum illius terræ longitudinem velis procurrerit.

Indiarum Prorex Don Martin Henriques commemorauit nobis, quod famam, quæ publicè fertur, quaſi in vlteriori freti parte inſulæ reperirentur, & vtrumque mare illic conflueret, pro puro putoque Anglicorum pyratarum figmento habeat. Namque (ita referebat) cum Vicerex aliquando in noua Hiſpania fuiſſet,Luſitanicum illum nautā,quem ibi Franciſcus Draco in terrā expoſuerat,de hac re ſeriò & diligenter interrogauit.Qui hoc illi conſtanter reſpondit, ibidem omnino veras anguſtias eſſe, ad quarum vtrumq; latus ſolida & firma terra exiſteret.Reuerſa itaque nauis prætoria,fretum illud,de quo Hernandus Lamerus, cōmemorauerat, exactè internoſcere potuit. Hæc autem propter magnæ cuiuſdam inſulæ, Lacampana à ſimilitudine dictæ, & in introitu obiectæ,altitudinē maiorem, per aliam quæſitam viam in fretum incurrerat. Prænominatus gubernator, vt eum narrantem audiuimus, per fretum iſtud vniuerſum tranſmittendi,fixum conſilium habebat. Sed eius hoc propoſitum à Vicealmirante cæteriſque militibus ſeriò diſſuaſum eſt : cum videretur illis & ſerior annus eſſe, & metus maioris periculi pleriſque haud inauguratus obuerſaretur. Sic ergò in Chilen & porrò in Peru reditum eſt.

Cap. XII.

De freto illo,quod pro ſententia aliquorum ad littora Floridæ ſit.

CVM curioſa nonnullorum exploratione fretum Magellanes in Oceano auſtrali detectum eſſet: ſucceſſus iſte multis animū auſumq; miniſtrauit, alias quoq; anguſtias, verſus aquilonem ſitas, patefaciendi & indagandi.Et quidem quæ in Florida anguſtia ſit, hanc dicunt tanto interuallo exporrectam & productam, vt eius nulli termini ſciantur. Adelantado Petro Melendes, vir præſtantiſſimus & nauta peritiſſimus, affirmauit nobis illic omnino tranſitum aut fretū quoddam eſſe, ad quod certius perueſtigandum à Rege ſibi negotium datum eſſe referebat, Id quod ſumma quidem prom-

promptitudine aditurus eſſet. Ille ſuam de hoc freto conceptam ſentētiam his in medium allatis rationibus ſtabiliebat: quod nimirum in Oceano Boreali nauium, Chinenſibus ſimillimarū quædam fragmenta reperta & viſa aliquando ſint. Quod nulla fieri ratione potuiſſet, niſi ex vno Oceano in alterum via quædam, aut tranſitus certus pateret. Deinde qui in Bay ſeu ſinu quodam ſpatioſo, in Floridæ terram ad 300. milliaria excurrente, certis temporibus, Balænæ appareant: quæ tamen non niſi ex altero Oceano illuc migrare poſſint. His argumenta quoque alia annectabt. Ex quibus tandem omnibus colligebat, quod pro ſumma ſapientiſſimi creatoris Dei ſapientia, aut Naturæ inſtituto laudatiſſimo vtrorumque Oceanorum par vbique & vniformis ratio eſſet. Æquo enim modo, ac Oceanus vterque ſub polo Antarctico coniunguntur: ſic pariter ſub Arctico quoque polo vnum cum altero coire, à Deo ſapienter ordinatum eſſe.

Huius freti notitiam habuiſſe Franciſcum Dracum, nonnulli pro certo affirmant: dicuntque, illum iſta conſignaſſe & obſeruaſſe, cum aliquando ſecundum littora rectà per Oceanum auſtralem in nouam Hiſpaniam commeaſſet. Præter id & rumor eſt, eandem quoque metam naues quaſdam Anglorum triuiſſe quondam, qui anno 1587. nauem aliam, grandi auri & gemmarum vi oneratam, & à Philippinis profectam, adorti ſpoliarunt. Quam quidem opulentam prædam apud terram Californias, vbi naues, ex Philippinis & China rurſus in Hiſpaniam nouam traiecturæ, ſemper in conſpectu verſantur, adepti ſunt. Cum ergò hominum res nouas explorandi, opeſque cumulandi inſatiata libido ſit: hac de cauſa ſpem nobis facimus certiſſimam fore, vt intra paucos annos, iſta hactenus obſcura adhuc, planius in lucem ventura ſint. Et de hominibus id quidem admirandum eſt, quod cum rerū nouarum quid odorati ſunt, formicarum more inquieti non ceſſent prius, quam id, cuius deſiderio tenentur, certius aſſecuti ſint. Quo quidem naturali inſtinctu in hominibus Deus quoque ad Euangelii ſui lucem accendendam vtitur, vt eos nimirum hoc pacto illuminet & illuſtret, qui in tenebris & cæcitate adhuc verſantur.

Porrò autem etſi de freto iſto ſub aquilonari polo ſito, nondum exquiſitè omnia conſtituta ſint: nihilominus tamen nos operæ facturos pretium arbitramur, ſi naturam, rationem & proprietatem freti polo antarctico ſubditi, quantum quidem ab illis, qui ipſi eius primi inuentores, aut ſaltem proximi ſpectatores fuerunt, accepimus, explicemus.

Cap. XIII.

De natura & ratione freti Magellanes.

FRETVM id, de quo nobis iam ſermo inſtituitur, gradibus 52. iuxta auſtrum ſitum, in longitudine 90. aut 100. in latitudine autem, quâ anguſtiſſimum eſt, vnum ad minimũ milliare habet. Regi Hiſpanorum nonnulli id conſilii dederunt, vt eo loco arcem ſeu caſtellum quoddam munitum extrueret, ad tranſitum illum occupandum quod ſufficeret. Ipſum alioquin fretum nonnullis locis tantæ profunditatis eſt, vt nullus captari fundus queat. Alibi contrà tantum 18. nonnullibi rurſus 15. ſolum orgiarum profunditas eſt.

Ex centenis illis milliaribus, ab Oceano vno ad alterum interiectis, e xpreſſis indiciis triginta ad mare auſtrale pertinere elucet. Nam quouſque id mare porrigatur, id ex ſinubus abundè ſatis ſpectari poteſt. Reliqua milliaria 70. ſuis ſinubus & ipſa deſignata, ad mare aquilonare ſpectant. Huius verò diſcriminis hæc ratio eſt, quod dicta 30. milliaria ab auſtro per præruptos & aſperrimos ſcopulos excurrant, quorum cacumina ſeu extremitates niuibus veſtitæ propter immenſam altitudinem non aliter comparent, ac ſi firmiter cohærerent & iunctæ eſſent. Qua etiam de cauſa Oceani auſtralis fretum tam difficulter internoſci poteſt.

Triginta dictorum milliarium mira profunditas eſt, adeò, vt illic diuertere haud facile ſit. Cæterum 70. alia milliaria, quæ in Oceanum borealem ſunt, fundũ præbent idoneum. Ad freti verò vtrumque latus campi ſeu plagæ ſpatioſiſſimæ patent. Quin & in hoc fretum flumina quamplurima, magna ſimul & limpidiſſima ſe exonerant: iuxta quę mirabiles quædam arbores, nobis hiſce in terris ignotæ, quarum ligna fragrantia valdè ſunt, enaſcuntur. Qui ex Peruanis illic pertranſierunt, illarum genus vnum ſecum ad nos attulerunt. Verſus terram, vt diximus, campi magni & amœni patent. Sed in freto medio multæ inſulæ conſpicuæ ſunt. Indi verò, qui verſus partem auſtralem habitant, numero pauci, ſtatura breuiores aut humiliores, at animo mali & crudeles ſunt. Contrà verò, qui in parte boreali conſederunt, hi ſtaturæ maioris & robuſtioris exiſtunt: quorum aliquot captos ſecum in Hiſpaniam auexerũt. Eodem loco faſciculi aliquot panni Veneto colore imbuti reperti ſunt: ex quibus euidenter colligi potuit, illâc aliquando populos Europæos pertranſiiſſe.

Indi aduenientes noſtrates nomine Ieſus ſalutabant. Sagittarii expeditiſſimi ſunt, & pellibus ferinis veſtiuntur, quarum ibi mira copia. Tractus quidam, tum à boreali, tum auſtrali Oceano, inſigniter quidem deflectere videntur, illis comprimis locis, vbi vterque, ſicut diximus,

diximus, terminatur. Quæ res inſigni periculo non carere videtur. Sed tamen tuta eſt. Nam cum Almirans Sarmiento illuc tranſiret, non ſolum nullo periculo tentatus eſt, verum etiam nauigationem multò faciliorem & tutiorem habuit, quàm fieri poſſe crediſſet. Nam pręterquam quod tempeſtate admodum commoda vteretur, fluctus etiam ex aquilonari Oceano inundare ſoliti, admodum refracti per 70. vniuerſa milliaria impulerant. Et quod Oceanum auſtralem attinet, cum fretalis vndæ mira profunditas eſſet, ideò & iſtic omne periculum procul erat.

Verum quidem eſt, fretum hoc hyberno tempore minimè nauigabile eſſe. Nam propter inuſitatam turbinum ſæuitiam fluctuúmque violentum impulſum, aliquot naues perierunt, quæ in freto iſto ſaluum latibulum quæritabant. In latere auſtrali vnica ſaltem nauis fretum peruaſit, quæ Almiranti aſcripta fuerat: à cuius gubernatore Hernando Alonſo multò certius & exploratius de omnibus rebus inſtituti ſumus, quam à quoquam alio vnquam factum ſit. Is, quæ hactenus percenſuimus, omnia nobis explicitè ita enumerauit, & freti inſuper certam delineationem ſeu deſcriptionem nobis oſtendit, quam ſe confeciſſe aiebat, dum rectà per illud decurriſſet. Et eiuſdem deſcriptionis exemplar Regi quoque Hiſpaniarum, vt & eius in Peru vices agenti, oblatum ſcimus.

Cap. XIIII.

De æſtibus, ſeu acceſſu & receſſu Oceani Indici.

EX admirandis naturæ arcanis id non minimum eſt, quod ſtatis temporibus Oceanus tum increſcat, tum minuatur: non hanc ſolum ob cauſam, quia res plerisque incognita ea eſt: nec ob illam quia ipſe incrementi modus inuſitatus exiſtit: ſed vel pręcipuè ideò, quia talia in diuerſis tum maribus tum littoribus ſibi conſtanter eueniunt. Maria ſiquidem ſunt aliqua, quæ non quotidiè acceſſum & receſſum patiuntur, ſicut in mediterraneo mari, quâ parte humillimum eſt, fieri compertum eſt: cuius pars ſuperior, nempe Mare Venetum, quotidiè tum augeſcit, tum minuitur: quæ ſanè res admiratione omnimodò digna eſt. Nam cum mare vtrumque mediterraneum ſit, nec Venetum altero vaſtius: Venetum tamen ordinarios ſuos tum acceſſus tum receſſus omnino habet: quibus cæterum Italicum mare deſtituitur. Mediterraneorum marium quædam inſignia & incrementa & decrementa ſuſtinent: quædam eadem ſingulis menſibus patiuntur: nonnulla nunquam. Alia, quale eſt Hiſpanicum, quotidianos ſuos acceſſus receſſúſque habent: & præter hos duos inſuper alios peculiares, ſingulis menſibus ſecundũ Lunæ vel ſilentium vel facem plenã accidentes. Hos ſubſultorios

vocant.

vocant. Ex claſſe autem illorum marium, quæ quotidianos ſuos non menſtruos (quid id rei ſit, propter miram diuerſitatem intercidentem, equidem ambigo) motus habent, vnum præ cæteris in India celebre eſt, in quo multa admiratu digna eueniunt. Illic etenim loca quædam ſunt, quibus vnda marina quotidiè duorum milliarium ſpatio ſaltem defluit: ſicut id in Panama fieri videmus. Quod ſi verò motus ſubſultorii ſint, tum id frequentius contingit. Quin & fines nonnulli ſunt, quibus acceſſus receſſuſque vndarum tam exigui fiunt, vt ægrè percipi queant. Omnium verò communiſſimum eſt id, quod Oceanus ſeu mare magnum, tum quotidianos, tum menſtruos ſuos motus patiatur, idque in die naturali pro rato ordine bis, ita tamen, vt pro Lunæ latione ſingulis diebus tres horæ vnius quadrantes ſucceſſiuè minuantur. Fuerunt huius nonnulli ſententiæ, motum hunc eius generis eſſe, quo marina vnda ita à loco altero defluat, vt quod defluxit, in altero inundet: ſicut id in Cacaborum ebullitionibus fieri videmus: quorum aqua feruens, ſi alicubi attollitur, alia parte omnino deficit. Contra hos nonnulli diuerſum ſtatuunt, aſſerentes, maris incrementa vbiuis locorum æqualia eſſe, & his ſua decrementa ex aduerſo æquo modo reſpondere, ſicut in ollis feruida aqua per omnes partes ſe ſimul diffundit, & feruore ceſſante æquabiliter ſubſidit. Quæ poſtrema ſententia, ceu verior, ab omnibus me iudice acceptanda eſt, non propter eas tantum cauſas, quas Philoſophi ſuis Meteoris aſſignant: ſed propter certam & infallibilem experientiam, qua hæc omnia ipſo euentu & opere talia deprehenduntur.

Nos ergo vt ad huius dubii diſſolutionem certum & axiomaticum quidpiam edere poſſemus, ex gubernatore prænominato diligenter percontati ſumus, quæ eius æſtus, in freto accidere ſueti, ratio moduſque eſſet: an tum demum auſtralis Oceanus ſuum incrementum haberet, cum borealis minueretur, & vice verſa. Nam ſi iſthæc tali modo euenirent, iam porrò facile cuiuis planum fore, vndarum in loco vno affluxum, alterius loci exundantis omnino cauſam eſſe: quo pacto primorum ſententia per omnia rata ſtaret. Sed is mihi reſponderat, huius rei veritatem longè aliam eſſe, Oceanumque tum Borealem tum auſtralem ſimul & vno tempore inſigniter augeſcere, vſque dum in medio iungantur, à quo tunc æquabiliter deficiant, vno quolibet in ſuum locum ſeparatim refluente: & acceſſus ſeu incrementi, quam receſſus aut decrementi nullum vſquam diſcrimen eſſe: quam rem ſingulorum dierum propior fides ſtabilire poſſit. Idem his addebat, occurſum geminorum Oceanorum ſeu fluctuum à mari boreali 70. ab auſtrali verò 30. milliaribus accidere. Ex quo ipſo quoque haud inefficaciter elici poſſit, acceſſum aut receſſum iſtum localem motũ neutiquam eſſe, ſed potius alterationem quandam & ebullitionem, qua extra dubium ſimul omnia maria vno

vno eodemque tempore augeſcant, fluantque, & deinde ſuo modo iterum deficiant aut minuantur: ſicut ebullitio in olla facta, pro huius rei exemplo præſtituta eſt. Quam quidem rem tam acri & induſtria exploratione nulli certam facere licuiſſet, niſi in ipſo freto, in quo vterq; Oceanus maior coit, viua & indubitata obſeruatio facta fuiſſet. Nam vt à ſtantibus in vtroque littore hominibus huius rei documentum captetur, id ob hanc cauſam comprimis impoſſibile eſt, quia nec ipſi conſpectum ſuum ad tam immenſum locorum interuallum proferre poſſunt: nec ſi poſſent quidem, incitatiſſimam iſtam fluctuationis pernicitatem, quæ ſex horis conficitur, internoſcere vlla induſtria valerent.

Cap. XV.

De diuerſis generibus & formis piſcium, in India naſcentium.

OCEANVS immenſam piſcium copiam alit. Quorum tum genera, tum naturæ à ſolo illorum conditore perfectè explicari poſſint. Plurimi tum generis tum generationis eiuſdem ſunt, cum illis, quos maria Europæa ferunt, vt ſunt accipenſeres, quos Elſte vocant, ex mari in flumina aſcendentes: Dorades, quod nomen inauratum ſignificat: Sardinii, & his ſimiles alii. Sed & alij ibidem piſces inueniuntur, qui in noſtris, quod ſciam, regionibus, omnino noti non ſunt. Ex quorum claſſe numerantur Cabrillæ, quæ Truytis dictis quadamtenus ſimiles ſunt, aut iis etiam, quos in noua Hiſpania Bobos nominant, qui ex Oceano per aduerſa flumina aſcendunt. Beſugas ſeu Praſemos, vt & Truytos nos hîc quidem ipſi non vidimus: quos tamen in Chile frequentes eſſe, comperimus. In littore Peruano Atuni, etiam, ſed pauci reperiuntur, creditumque eſt, eos ſtatis temporibus aſcendere, vt ſemen ſeu oua in freto Magellanico excludant, ſicut ijdem in freto Gibraltâr Hiſpanico congredi ſueuerunt. Vnde eorum quoque copia maxima in Chilæ littoralibus captari ſolet. Quanquam qui ex his locis efferuntur, illis, quos Hiſpania fouet, non admodũ ſimiles ſint. In inſulis, Laudatis dictis, ceu ſunt Cuba, Eſpannola, Puerto Rico, & Iamaica piſces Manatii dicti, inueniuntur, quod genus piſcium admodum infrequens eſt, modò hoc nomine dignum ſit. Hoc nimirum animal eſt, viuos fœtus edens, quos tum cibis tum lacte nutrit. Idem camporum gramina depaſcitur: ſed ætatis tamen partem maximam in aquis degit: vnde quoq; pro piſce & habetur & editur. Carnis eius ſapor colorq; vitulinam apprimè æmulatur. Piſcis huius diſſecti oſſa, vaccinis non valdè diſſimilia ſunt.

Hayen verò ſeu Tiburonum admirandorum ſatietas nos nunquam capere potuit: quorum vnum in portu capi vidimus, in cuius capite lanionis culter, cum magno ferreo hamo, & grandi capitis bouini ſuo cornu adhuc ſtipati, portione, reperta fuerunt. Spectaculum quoddam iucundum viſuri per otium, quartam occiſę gruis partem ſupra lacum proximum, in mare effluentem, ſuffixam appendebamus. Quo facto, dicto citius odoris vi illectus Tiburon aliquis adnatauit. Ergò vt ſpectaculi ex diuturnitate gratia maior eſſet, curatum erat, vt eſca altius attolleretur. Nihilominus tamen Tiburon, vno momento illico prædam nactus erat, in ſublime ſe tanta facilitate ſurrigens, vt propè aduolitaſſe videretur. Prædam arreptam minutim illico diſcerpſerat: vt qui dẽtibus acutiſſimis & fortiſſimis donatus ſit. Circa Tiburones aſſiduè piſciculi minuti frequẽtes, Romeri vocati, obnatant, quos Tiburones à ſe arcere non ſatis queunt. Hi ex prædarum detrimentis, quæ Tiburones amittunt, victum ſibi parant. Boladores piſces volitantes ſunt, quos intra tropicos reperire licet. His infeſta inſectatione Dorades inſidiantur. Quos dum illi effugere ſtudent, perſæpè longius extra vndam in aëra ſe attollunt aut euolant. Vnde à volatu volatores (indigenæ Boladores corruptè appellant) nominantur. Alas etenim habent inſtar lintei craſſi aut pergameni, bracchiis ſubtenſas, quarum ope ſe aliquandiu per aërem librare & promouere poſſunt: ſicut piſcium horum vnum, in noſtram nauem illapſum intentis oculis contemplati ſumus.

De Lagartis autem vel Caymanis, vt ibi vocantur, multa quidem in hiſtoria Indica tradita leguntur: quod certè animalis nullum genus aliud eſt, quam à Plinio & antiquioribus vocatus Crocodilus. Hi in littoribus & fluminibus calidis, ſtabulantur. Nam in gelidioribus iſtiuſmodi locis, illorum nulla veſtigia reperiuntur. Vnde in omni quoque Peruano littore vſque in Pariam nulli offendũtur: ſed in paulò calidioribus fluminibus frequentes ſunt. Eſt autem Crocodilus animal rigidum, & admodum inagile, iuxta tamen robuſtiſſimum & crudeliſſimum. Prædatum illi ituri, in campos aut ripas ſeſe efferunt. Quod arripuerunt, in flumen ſecum abripiunt, & ſuffocant. Nec tamen illius quicquam infra vndam deguſtant, ſed voraturi in terram omnino egrediuntur: cum eam faucium conſtitutionem à natura habeant, vt in aquis rictum aperturis, vnda confertim irruens ſuffocationis periculum facilè ciere poſſit.

Cum Caymanis his fatali odio tigres immaniter ſæpè præliantur. Noſtrorum enim ſociorum quidam commemorare nobis ſolebat, quod Caymanum cum tigre auida vtrinque inſultatione facta hoc pacto depugnantem aliquando conſpexiſſet: Caymanum nempe violento caudæ verbere ſeu vibratione, tigrem in vndam præcipitare voluiſſe. Tigrem contrà violentis vnguibus obluctatum, hoſtem ſuum in terram extrahere ſtuduiſſe: dum tandem velitatione

acrius aucta, aſpiranteque tigridi caſu, Crocodilus dilaceratus, victori ſuo fortitudinis præmium dependiſſet. Quam tamen dilacerationem à ventre initium ſumpſiſſe neceſſe fuit, quæ ſola pars in hoc animali mollis & domabilis eſt. Nam dorſum tam cruſtoſum, rigidum & firmum habet, vt ne haſtæ cuſpidi, aut ſclopeti glandi penetrabile ſit.

Cum ſimili Crocodilo alia quoque Indici viri pugna certata memorabilis eſt. Ea ita cæpta dicitur. Crocodilus quiſpiam puellum, fortè in littore conſidentem, corripuit, & infra vndas ſecum abripuit. Id Indus, qui in vicinia erat, animaduertens, illicò quaſi furiis percitus in Crocodilum irruit, cultrumq; quem manibus geſtabat, tam violento iactu in eius abdomen extorquet, vt propter vulneris grauitatem Crocodilus in littus enatare coactus, infantem, etſi iam dum ſuffocatum, rurſus dimitteret.

Sed cum de Indis pugnacibus hìc mentio inciderit, non abs re futurum arbitror, ſi alia quoq; exempla illorũ fortitudinis in medium adducam. Inter cætera autem ea pugna admiratione digniſſima eſt, quam Indi cum Balænis aggrediuntur. Et ſi verum fateri fas eſt, mira pol ea bonorum apud Deum diſpenſatio eſt, quod Indis, genti tam inermi & imbelli, tantum tum ingenii tum roboris largitus ſit, vt cum immaniſſimis & truculentiſſimis quibuſuis beſtiis pugnam non ſaltem ordiri auſint, ſed de iis quoq; miris modis triumphare poſſint. Quam quidem rem quoties his oculis noſtris propius contuiti fuimus, toties Regii Pſaltis egregium illud dictum, Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei, nobis in mentem rediit. Nam quod vſpiam ſpectaculum ridiculoſius eſſe queat, quam ſi videas, vnicum, eundemq; puſillum virum Indum Balænam, montis inſtar vaſtam, leui quodam funiculo religatam, ceu cum triumpho captiuam adducere? Sed quo piſcationis genere in captandis Balænis, quas Florida numeroſas exhibet, Indi vtuntur, hoc ferè ſe modo habet. Canoam ſeu ſcapham inſcendunt, & eam vſq; ad dorſum conſpectæ Balænæ impellunt. Poſt Indus è naui ſuper piſcis ceruicem exiliens, & illic aliquandiu ceu in equo ſeſſitans opportunum tempus venatur, quo acuminatum palum, ſecum in hunc vſum allatum, in eius narium vnam profundius defigere poſſit. Nares autem hoc loco vocamus ea foramina, per quæ tum aërem beſtia introſpirat, tum conceptam aquam copioſius eructat. Succedente ergò primo auſu, arreptis fuſtibus aut ſudibus eam vndiquaq; alacriter contundit Indus. Quibus irritatior balæna reddita plagis, immani habitu ceu furere incipit, & nunc huc, nũc illuc per vaſtum mare ſeſe iactat, ingentiq; fremitu magnam aquarum molem in montes excutit: nonnunquam magna ſuccuſſatione in profundam maris abyſſum ſe demittit: paulò poſt iterum in altum ſeu aëra erumpit, & motus præ inſania miros & aſpectu horrendos edit. Interim nihilo-

minus Indus ceu expeditiſſimus eques in equo ſuo immotus conſidet,& vt dolorem ferocienti beſtię ingeminet,aut acerbiorem reddat, palum ſecundum quoq; in nares alteras piſci abſtrudit,tamdiu repetitis ictibus incuſſum, vſque dum omnes trahendi aëris meatus ei præcluſerit.Ita probè confecta re, piſce relicto in ſuam rurſus inſilit Canoam, quam ſecum interim aſſiduô pertraxerat redalligatam. Ea ergò paulò longius à piſce ſecedit, funemq;, quo illum ligauit, aliquantò extenſius remittit, ſenſim tamen poſt ſe piſcem nonnihil attrahens. Ita piſcis,quamdiu ſatis profundas aquas habet,mirè furit, ſuum ductorem lentè inſequendo. At in humiliorem locum maris excuſſus, propter corporis inexpediti vaſtam molem illicò immobilis iacet, nec ſe prorſum vorſúmve mouere poteſt.Hoc viſo, Indorum magnus numerus prædæ ſpe dicto citius approperans, balænam conficit:cuius poſteà diſſectæ carnes viritim ex æquo partiuntur:ex quibus reſiccatis deinde probam farinam, & ex hac tandem panes,longo tempore durabiles,pinſunt. Sic ergò,quod in alio Pſalmo de Balæna dictum eſt,Dediſti eam eſcam populis Æthiopum, id hoc pacto apprimè completum videtur.

De hoc piſcationis genere Adelantado Petro Melendes nobis frequenter admodum iocundè fabulatus eſt. Illiuſdem quoq; meminit Modardes. Sed Indis alius quoq; in mari piſcandi ritus ſolennis eſt. De quo etſi dicere æquo prolixius videri queat:meo tamen iudicio non erit inconueniens, cum de piſcatione ſemel dici cæptum ſit, ſi curſum inſtitutum paulò longius vrgeamus. Faſciculũ ex iuncis, quos Balſas vocant, firmiter colligant aut connectũt.Huic in vndas iniecto, ceu equo equites, inſident, & vtraq; manu feſtucas agitantes,ad duo milliaria verſus Oceanum altiorem ſe promouent. Ibi retia ſua, eodem faſciculo aduecta, iactant, piſcanturq; tum interdiu tum noctu,dum piſcium numero petito capto, læti domum remigent. Piſcatores huiuſmodi in Collao de Lima iucundo ſpectaculo aliquando ſpectauimus: quorum cum plurimi ſimul piſcarentur, mirum erat,quanto ſtudio alter alterum anteuertere ſatageret. Nam in Balſillis ſeu faſciculis ſuis ceu agglutinati ſedentes, etiam ingentes fluctus tranſmittebant: vt piſcatores hi meri Neptuni & Tritones putari potuerint. Ab opere ſi terram rurſus attigerunt, rates iunceas ex vnda extrahunt, humeriſq; ad loca deſtinata proferunt:quas tandem reſolutas in littore,vt ſiccentur,diſpergunt. Cæteri verò Indi, qui in vallibus Yca habitant, pellibus lupinis folliũ inſtar exufflatis, ne mergantur, piſcationes ſuas obeunt.

In valle Cannette, olim Guarco dicta, piſcatorum ingens multitudo habitauerat. Quam terram,cum poſt Inga occupaſſet,fœdus, ſed ſimulatum & inſidioſum,credulis viris obtulit. Illius ergò in honorem Indi quid moliturí, memorabilem piſcationem decreuerũt & inſtituerunt, ita, vt ſimul vnà aliquot virorum millia piſcatum,

ſuis

ſuis Balſis in altum maris excurrerent. Sed à piſcatu reuerſos, militibus inductis Inga eos vniuerſos trucidari curauit, vt quæ aliàs admodum culta fuiſſet, terra, poſteà ſterilis & inhabitata tota relinqueretur.

Sed & alium piſcationis modum ſpectauimus, cui nos Don Franciſco de Toledo Vicerex adhibuerat. Is non in mari, ſed flumine quodam, quod El Rio grande, id eſt, fluuiū grandem vocant, fiebat. Fluuius autem iſte in prouincia Charcas ſitus eſt: cuius incolæ, Chiriguani, aquis ſe mergentes, admiranda velocitate piſces inſectantur. Manu dextra aculeos ferreos geſtabant. Siniſtra ad natandum vtebantur. His armis, hac arte in venatu piſces medios transfigunt, & correptos in aëra efferunt. Sed hi homines è piſcium potius quam hominum genere orti videantur.

Cæterum cum hactenus de Oceano dictum ſit: iam deinceps etiam de fluminibus & aliis aquis nonnihil percenſeamus.

Cap. XVI.

De Lacubus & paludibus Indicis.

LOCO marium mediterraneorum, quæ veteris orbis regna habent, prouidus rerum omnium creator nouum hūc orbem quamplurimis ſtagnantibus aquis dotauit. Quarum nonnullæ tam diffuſæ ſunt, vt bono iure Lacus vocari poſſint. Aqua enim, quæ in Palæſtina eſt, in ſacra ſcriptura lacus appellatur. Lacus omnium maximus Titicacca eſt, in Peruana prouincia Collao ſitus, de quo ſuperius diximus. Huius ambitus 80. ferè milliarium eſt: in quem flumina magna duodecim feruntur. Hîc an ſcaphis tranſmitti poſſet, aliquando tentatum eſt. Sed prima illicò ſcapha fluctuum colliſionibus obtrita periit. Illius aqua non perinde vt marina acris eſt: craſſior tamen & turbidior illâ, nec ipſa potabilis exiſtit. Duo piſcium genera alit, quorū vtrumq; multis gregibus producit. Vnum Suches dicitur: qui piſces graciles, & inſalubres, palato tamen admodum ſapidi guſtantur. Alterum Bogas vocatur. Hi minores & ſpinoſiores, prioribus ſalubriores ſunt. Hoc in lacu, tum anſerum, tum anatum innumera copia viſitur. Quod ſi fors Indi alicuipiam, ex Chucuito aut Oſmaſvio venienti, honorarium ſpectaculum exhibituri ſunt: tum quamplurimis Balſis coactis collectiſq;, circulum formant, in quem anates aut anſeres ita concludunt, vt vel manibus, quot volunt, leui negotio præhendant. Hoc venationis genus Chaco indigetant. In lacus huius vtriuſq; latere, vici totius Peru omnium amœniſſimi iacent. Idem lacus, etiam alterius magni pater & quaſi genitor eſt: cuius nomen Paria. Illîc numeroſæ pecudes alūtur, comprimis verò porcunno (genus aprorum eſt) qui ibi ſaginan tr & ad-

modum pingueſcunt eſitata Totora: quod pabulum ex lacu pro iſtis animalibus valdè commodum enaſcitur.

Ex montanis plurimi limpidiſſimi riui & fluuii ſcatent. Ab Arequipa verſus Collao tendentibus, ſuperiore in loco duo lacus limpidiſſimi in tranſitu viſuntur, qui medio intercurrente tramite ſeparati ſunt. Vnus eorum fluuium parturit, in mare auſtrale decurrentem. De altero verò affirmant nonnulli, quod illuſtris fluuius Aporima ſuos in ipſo fontes accipiat: vt alios hoc loco, qui ex eodemmet profluunt, ſilentio obuoluam. Ex iiſdem montanis etiam magni nominis fluuius, de Las Amazonas, aliàs Marannon dictus, ſcaturit. Nos quidem impendio perſæpè admirati fuimus, quî ex montanis iſtis tot lacus emergere poſſent; cùm tamen incurrentibus aliunde fluminibus illi non augerentur, ſed ex ipſis numeroſi fluuii etiam inſuper pernaſcerentur: maximè cum nulla anni parte vel tantillum ipſi minui viderentur. Et licet nonnulli reſpondere ſoleant, quod ex niuibus in montium præcipitiis ſolutis, & in decliuiora defluentibus iſti lacus augeantur: iſtorum tamen ratio non per omnia accuratioribus indagatoribus ſatisfacit. Nam aliquammulti montium nec niues aut pluuias fundunt: & tamen ſubiecti illis lacus nihilominuuntur. Ex quo concludi par eſt, illos ex viuis & inſignibus ſcatebris potius generari, ali, foueríque, quæ in illorum meditullio à natura ipſa productæ ſint. Nec tamen interim inficias imus, pluuiarum aut niuium frequentia ipſos iunctim quoq; magis augeſcere.

Lacus huiuſmodi in ſummis quoq; & præruptiſſimis montium faſtigiis, tam frequentes & numeroſi ſunt, vt paucos, qui inſignes ſint, fluuios deruere videas, qui ex lacubus non profundantur & erumpant. Ipſa aliàs vnda lacuſtris admodum limpida & pelluſtris, paucis habitata piſcibus eſt. Et qui in illis capiuntur pauciſſimi propter intenſum frigus præcipitiis iſtiuſmodi familiare, omnes minuti ſunt.

Viciſſim autem prodigioſum quippiam videtur, lacus quoque nonnullos admodum calidos reperiri. In conuallium Tarapay extremitatibus iuxta Potoſi, lacus viſitur, ita rotundus exquiſitè quaſi ea forma circino deſcriptus eſſet. Et licet terra illa, vnde aqua naſcitur, conſtitutionis frigidæ ſit: aqua tamen ipſa nihilominus feruidiſſima ſentitur. Ad ipſas lacus ripas quidem lauari homines queunt: penitiore autem loco, aqua propter ſummum feruorem intolerabilis omnino eſt. In medio lacu aqua ſpatio 20. pedum ebullit & altè attollitur: quo loco eius ſcaturigo eſt. Et licet iſtâ quidem ſcatebrâ vndarum vis maxima eructetur, nemo quiſquam tamen illius lacum tumidiorem factum vnquam animaduertit: vt credibile ſit, quantum illius eructatur, tantum abditis cuniculis illicò iterum defluere. Sed nec vnquam minui viſus lacus eſt: etſi ex eodem prolectus riuus ſit in molam, metallario opificio neceſſariam. Quo riuo cum

cum lacui aquæ copia maxima detrahatur, vt tandem minuatur, omnino neceſſarium videri poſſit.

Cæterum Peruana prouincia iam relicta, ad nouam Hiſpaniam commeemus. Cuius lacus, vt in hac quoq; hiſtoria celebrentur deſcribanturq;, Peruanis non minus digni ſunt: Ex illis autem primarius eſt lacus apud Mexico, qui ex duplici aquæ genere conſtat: Salſa nimirum, qualis marina: & dulci, quę à fluminibus, in illum incumbentibus, generatur. In lacus medio rupes amœniſſima proſpicit, ſupra quam balnea calentis aquæ, ſponte ſua profluentis, & ſanitatis cauſa bibitæ celebrantur. In rupis ambitu ſeu radicibus agri ſeu plagæ circumductæ ſunt, quæ ſeminibus diuerſis conſeri ſolent. Quod non conſpicatis impoſſibile videri poſſit. Hoc ipſo in lacu ciuitas Mexico fundata eſt, etſi Hiſpani omnem eius ambitum, iniecta terra expleuerint, & vix pauculos fluuios ciuitatem tum ambientes, tum peruadentes reliquerint. Horum fluuiorum beneficio, quicquid opus eſt, ad vſus quotidianos, ceu ſunt ligna, herbæ, lapides, frumenta, & ſimilia, in ciuitatem infertur. Ferdinandus Corteſius cum hanc ciuitatem occuparet, duabus Bergantinis (nauium paruarum genus eſt) in lacu fabrefactis vſus erat. Quarum tamen poſteà vſum iterum abrogauit. Hodiè Canoas, eaſque maximo numero habent. Admodum piſculentus eſt hic lacus: ſed piſces omnes viles, minutiq;. Hinc qui reditus fiunt, non vltra 300000. ducatos æſtimantur. Ab hoc lacu alii multi non admodum longè diſtant: ex quibus piſcium quantum opus, in Mexico inuehitur. Regio ideò Mechoacon nominatur, quia admodum piſcoſa eſt. Nam in ea lacus infiniti ſunt, piſcium optimorum maximorumq; promi largiſſimi. Regio aliàs ex ſe frigidiuſcula & ſalubris exiſtit: cuius lacus vniuerſi propter multitudinem immenſam ſinguli deſcribi non poſſunt. Et hoc comprimis notabile eſt, quod ſub ipſa torrida plures lacus reperiantur, quam in vlla vniuerſi orbis plaga.

Cap. XVII.

De diuerſis Indiæ fontibus, & riuulis.

SICVT in aliis plerunq; locis, ita in India quoq; magni perenneſque riui, & fontes, aquæque paſſim reperiuntur: quorum ſua cuique proprietas, mirabileſque operationes competunt. In Peruana Guancauelica, vbi mineræ hydrargyri ſunt, fons quidam feruidam aquam euomit: quæ in auram eiecta, lapideam duritiem ſubit, aut, vt verius dicam, verè lapideſcit. Ex quo lapidum genere vniuerſa propè, modò dicti pagi, domicilia extructa ſunt. Lapis ipſe ferro, non ſecus ac lignum domatur, & in quamuis formam ſcinditur. Et licet portatu facilis ſit: diuturnę tamen admodum

longin-

longinquitatis exiſtit. De hac aqua ſi vel homines vel bruta obbiberint, breui intereunt. Vnda enim, ceu in aura, ſic in ventre vniuerſa lapideſcit: id quod ex equis aliquibus, potu eius enectis, comperiri licuit. Eiuſdē ergò naturæ vi, qua aqua in auram protruſa, lapideam ſubſtantiam induit, eadem ſibi effluxus oſtium ſeu fauces perſæpè obſtruit: vt nouis cuniculis aut ſcaturiginibus ſubinde perruptis omnino opus ſit.

In S. Helenæ ſinu fons viuus eſt, perpetuò bitumen (in Peru Copey dictum) eructans aut euomens; cuius generis extra dubium illi quoq; fuerunt, de quibus S. Scriptura mentionem facit: dum deſertum quoddam, bitumen fundens nominat. Qui in mari verſantur, huius bituminis certiſſimos vſus norunt. Illo enim tum vela tum rudentes nauium oblinunt: quod ipſo effectu pice Hiſpanica non eſt inferius. Cum aliquando à Peruana prouincia ſecundum porrecta littora in nouam Hiſpaniam traiiceremus: gubernator nauis mihi inſulam quandam, à lupis cognominatam oſtendit, in qua ipſa vel dum fons huiuſmodi Copey ſeu bitumen, quo Camelos illinant, profundat. Quin & picis promus ibidem alius fons viſitur. Idem Gubernator referebat iuxta, quod cum olim longius extra metam euagatus, neſciuiſſet, quo loco eſſet, vnius bituminiferi fontis elato fumo conſpecto, vbi moraretur, edoctus fuerit. Nam eructationem Copey fumum denſum ſemper conſequi.

Prope thermas de Inga dictas, Canalis quidam perpetuas feruentes aquas fundit: in cuius propinquiſſima vicinia aqua, ipſa niuali gelidior, erumpit. Statio ergò vtriuſque effluxum ſuſcipiens, omnino temperata ſit oportet: id quod comprimis memorabile eſt, res duas, tam aduerſæ & diſſidentis naturæ tam propè iunctas perennare. Similium aquarum infinitas adhuc recenſere nobis procliue ſit: vt inter cæteras in prouincia Las Charcas, aqua tantæ diſtemperantiæ eſt, vt in ea ferri manus, nec breuiſſimo interuallo poſſint: ſicut depoſito pignore à noſtrum aliquibus de ea re decertatum eſt. In Cuſco aqua ſalſuginoſa quæpiam, ad primum quidem effluxus oſtium in ſalem admodum candidum probumque abit. Qui fons, ſi in locis aliis haberetur, magni certè Theſauri inſtar eſſet: qui tamen hoc loco propter miram ſalis abundantiam nihili æſtimatur.

Fluenta Guayaquil, in Peru ſub linea æquinoctiali ſitæ, contra venereæ luis, & affectuum contagioſorum aliorum quoq; malignitatem, indubitatum remedium præſtant. Qua de cauſa infiniti homines è locis quoq; diſtantiſſimis eo migrare ſueuerunt. Medicatæ verò huius aquæ hanc cauſam afferunt, quod vniuerſa illa regio, quam dicta fluenta pererrant, radicis Sarſaparillæ, cuius virtus, contra dictam luem notiſſima eſt, feraciſſima ſit.

Bilçanora locus montanus eſt, pro vulgi opinione in omni Peru eminentiſſimus, cuius editiora ſpatia niue conſtrata alibi ſunt, alibi carbo-

carbone atriora comparent. Ex huius diuerſis principijs duo diuerſi fluuij emittuntur, qui aliquo vſque progreſſi, grandiores fiunt: adhuc paulo longius euagati, in flumina abeunt maxima. Eorum vnus in Collao, & hinc in lacũ inſignem Titiacacca: alter verò in d' Andes, Yucay dictum profluit: vbi hic cum fluminibus alijs confuſus fluctuum magna exagitatione in mare boreale ſe effundit. Quo loco fluuius hic primum ex rupibus & ſcopulis Bilcanora elabitur, eius aqua lixiuij colore aut cineris tincta, quoquo verſum fumũ ſeu halitum combuſtæ rei cuiuſdam expirat, vſq; dum fluminum imbibitorum qualitate, fuligo, ipſi natiua, mitigetur & ſopiatur. In Hiſpania noua aquas nobis videre contigit, atramento fuſo ſimiles, ſed ad cæruleum moderatè declinantes. Et in Peru fluuius eſt totus ſanguinolentus: vnde fluuius quoq; ruber aut ſanguineus dicitur.

Cap. XVIII.

De Fluminibus.

INTER omnia, cum vniuerſæ Indiæ, tum vniuerſi orbis flumina nullum celebrius Marannono aut Amazonio, de quo in lib. I. nonnihil pertractauimus, reperitur. In hoc diuerſis temporibus Hiſpani nouas terras quæſituri nauigarunt, quas etiam opulentiſſimas attigerunt: qualis inter cæteras & regio El Dorado, id eſt, aurea, aliàs Payititi dicta extitit. In hos fines Adelantado Iuan de Salinas illuſtres quidem exercitus eduxit: ſed memorabile admodum nihil præſtitit. Fluuius hic vt præter omnem fidem vaſtiſſimus eſt: ita, quod fretum habet, omnium in vniuerſo orbe periculoſiſſimum & funeſtiſſimum eſt. Situs eius intra duos elatiſſimos ſeu præruptiſſimos ſcopulos eſt: & vnda deſuper ceu ex ipſo cælo in profundiſſimam abyſſum tam horrendo præcipitio, & fremitu immaniſſimo deuoluitur, vt rapidiſſimo illo ſpumeſcentis aquæ vortice naues tranſituras vniuerſim & ſimpliciter abſorptum iri nulli non videri poſſit. Nihilominus tamen inſatiata hominum cupido, ſpretis & contemptis omnibus periculis, hoc fretum peruadere auſa eſt. Nam celeberrimam illam terram Dorado adeundi ſtudium, hæc omnia viliora mortalium animis præſtituit. Itaque veriti non ſunt per hoc præcipitium fluminis raptu ſe demittere, ita vt mordicus arreptis & præhenſis ſuis Canois, velut agglutinati adhæreſcerent. Et licet in ſtupendo iſto præcipitio funditus quidem demergerentur: nihilominus tamen tum vi, tum miro ingenio eluctari, & in auram ſe proferre meditati ſunt. Et vt verbo dicam, ex traiecto per hoc fretum vniuerſo exercitu, vix pauci merſi perierunt: quod ſtupenda admiratione nunquam non eſt digniſſimum. Sed & hoc admiratione multò dignius eſſe videtur, quod poſt per

idem præcipitium aſcendentes, nihil quicquam vel commeatus, vel pulueris pyrii, quæ ſecum rapuerant, perdiderunt. Nam laboribus infandis, & periculis funeſtis per rupis ſublime non alio modo ſubrepere poterant, quam, vt pugionibus ſuis, in cautis poros defixis, innixi conſcenderent.

Præfectus Pedro de Orſua ſecundum exercitum huic flumini impoſuit. At vbi intereà fatis conceſſiſſet, ſeditione inter milites & cæteros capitaneos ſuſcitata, per bracchium quoddam huius fluminis in mare boreale ſeceſſum & declinatum eſt. Cui nauigationi, poſt aliquod tempus quidam Ieſuita, cum laicus eſſet, ſe interfuiſſe, mi hi iuratò affirmabat. Percenſebat idem, huius fluuij tractum ad centena vſque milliaria extendi. Nam quo loco in mare exturbatur, aut ſub ipſa linea, aut ab ea non procul eſſe, teſtabatur. Os verò eiuſdem ſeptuaginta milliarium eſſe. Quod fieri nullo modo poſſe videbitur: niſi latitudo eius ipſum mare mediterraneum exuperare ſtatuatur. Contrà alij, fauces eius non vltra 25. aut 30. milliaria latas eſſe profitentur.

A fluuio hoc ſecundus eſt El Rio de la Plata, id eſt, argenteus ſeu Paraguay vulgatè nuncupatus. Hic è montanis Peruenſibus in mare illabitur, ſub gradu auſtrali 35. Idem, vt fama eſt, Nili more ſua incrementa habet, quamuis vberiora. Nam quoties exundat, ex campis, quos tribus integris menſibus obducit, meros lacus aut maria efficit. Quo tempore elapſo, intra alueum ſe recipit. Iſte nauigia quoque grandia ſuſtinet. Sed & alii ibidem fluuij memorabiles ſunt: qui etſi non vſque adeò magni ſint, Europæis tamen non cedunt, & nonnullibi maiores illis habentur, vt qui Madalena apud S. Martham, Rio grande, Aluarodo in noua Hiſpania nominari ſolēt. In parte auſtrali iuxta montana Peruenſia fluuij plerumque non magni ſunt: nec ſui curſus tam metam amplam habent. Attamen, quia de montibus deruunt, præcipites ſunt, & euidenti periculo nauigantibus ſubmerſionis facilitatem ſpondent. Æſtuante nimium aëre, fluctuationibus increſcunt. Nos aliquando in huius fluuij littoribus 27. milliaribus denauigantes, traiectum ſecurum nuſquam impetrare potuimus. Indis autē huius tranſmittendi multæ artes ſunt. Nonnullis in locis funes per flumen traijciunt, quos vtroque in littore deligant aut firmant. Extenſo fune corbem ſuſpendunt, in quem traiecturus conſidens, à ſtantibus in littore attrahitur. Alibi verò Indus Balſæ iuncæ inequitans, eum qui tranſuehi vult, poſt ſe collocat, & feſtuca vndam frangens, vnum hoc pacto poſt alterum traijcit. Nonnullibi ſtruem quandam ex aridis cucurbitis concinnant, quibus tranſiturum peruehunt. Eodem vehiculo & bona ſeu merces traijciunt. finita opera Balſas cucurbitinas humeris imponunt, & flumen ipſi membrorum incitatione tranant: id quod frequenter in flumine Peruano Santa fieri vidimus. Per flumen

men nouæ Hiſpaniæ Aluarado, aſſeribus impoſiti tranſuecti ſumus. Illos deinde Indi humeris imponentes per flumen pedant. Solo deficiente, reliquum natando exuperant. Qui huiuſmodi nauigandi artem non vidit antè, is haud parum horreſcit. Indi tamen ſuæ artis peritiſſimi ſunt. Nec pontem vllum alium quōdam, quam ex iuncis ſartum, nouerant. Nunc verò Gubernatorum nonnulli paſſim pontes extruxerunt, multò tamen pauciores, quam vſus poſcat. Nam ob defectum horum ſubinde multi homines in vndis ſubmerguntur: cum tamen ipſiſſima hæc terra tam grandem auri vim miniſtret, vt ea non in Hiſpania ſola, ſed paſſim in alijs quamplurimis prouincijs integra palatia extrui poſſint. Ex fluminibus, è montanis deciduis, Indi frequentes & ſatis magnos riuos deriuant, ad campeſtrium & conuallium ariditatem irrigandam, quos tanta dexteritate & induſtria producunt, vt nec in Murcia aut Milano melior ratio ſciatur. Et hæ diuitiæ ſunt omnium maximæ, quas Peruanæ planities, & cætera Indiæ loca ſimilia habent.

Cap. XIX.

De terræ Indicæ natura proprietateque in genere.

NATVRA ipſius terræ Indicæ (quoniam hoc tertium & vltimum Elementum eſt, de quo nobis tractationem ſuperius impoſuimus) magna ex parte illorum repetitione, quę ſuperius de Zona torrida dicta ſunt, planius intelligi poterit: quoniā maxima pars Indiæ ſub dicta plaga ſita eſt. Quę, vt expreſſius intelligātur, ſciendum eſt, nos tres diuerſas regiones terráſve, per quas profecti ſumus, deſignaſſe. Alia enim humilis: alia edita: tertia, his interiecta, bona feraxque eſt. Humilior tota ſecundum littora Indica exporrigitur, plerumque humida & feruida, ob id admodum inſalubris, & inculta, etſi quondam inſignia oppida ibidem floruiſſe Annales Peruani & Nouæ Hiſpaniæ atteſtentur. Nam in eodem ſolo tum nati, tum educati, quondam illic percommodè agere poterant, piſcationibus maritimis, & agrorum cultura victum quærentes. Hi inopia pluuiarum diutius continuante, ex fluminibus riuulos campis inſinuabant. Nam iuxta littora pluuiæ rariſſimæ ſunt: alicubi omnino nullæ. Humilioris huius terræ fines quidem ampli & porrecti ſunt, ſed propter arenam tamen, vbiuis cumulatiſſimè congeſtam, inculti & ſteriles. Nam ex ſabulo integri illic montes viſuntur. Sed & loca econtrà quamplurima nimiopere lacuſtria & vliginoſa exiſtunt: cum è cælo delapſa aqua, nonnullibi peruadere omnino nequeat, ſed intra ſe ipſam collecta & coacta, neceſſariò ſtagna faciat. Cui quidem malo nullo remedio

obuiam iri poteſt, cum littorum Indicorum pars maxima ita ſe habeat, cum primis verò illa, quæ ſunt ad mare auſtrale.

Noſtra ætate humilium littoralium locorum incolæ tanta ruina decreuêre, vt ex triginta vix vnus reliquus manſerit. Et qui in viuis reliqui ſunt, hi certò ſibi perſuaſum habent, vniuerſos illos terminos breui temporis decurſu deſolatum iri. Et huius præſagii cauſæ quoq; à nonnullis adducuntur. Alii enim interitus cauſam illis imputant, qui iugo aſſiduè nouo & intolerabili Indos conficiũt. Nonnulli ciborum potuumque, quibus ab Hiſpanorum ritibus & moribus acceptatis vtuntur, commutationem accuſant. Quidam crebræ ebrietati eorum, & patratis exceſſibus, momentum imputant: qua in ſententia & nos perſtamus, inordinatam nimirum & intempeſtiuam viuendi rationem cauſæ illius vim magnam præſtare. In humiliore iſto tractu, vniuerſim inſalubri, & ad habitandum inidoneo, loca ſunt quidem nonnulla temperata & fertilia, comprimis autem in planis Peru campis, vbi valles paſſim frigidiuſculæ & feraces inueniuntur. Littoralium verò locorum habitatores maxima ex parte victum quærunt, opera mercenaria nauigando in Hiſpaniam. Is enim vitæ illorũ ſtatus præcipuus eſt. Quæ in littoralibus populoſiores vrbes ſint, hæ ferè numerantur: In Peru eſt Lima, Truxillo, Panama & Carthagena. In terra firma eſt Santo Domingo, Puerto Rico, & Hauana inſularis. Sed & vici nonnulli celebriores ſunt, vt Vera Crux in noua Hiſpania, Yca, Arica, & alij in Peru plures, quibus plerumque portus vicini ſunt.

Altera verò terra admodum alta & edita, plerumque frigida & ſicca eſt, ſicut montana ſolent. Hæc nec amœnitate nec fertilitate laudata eſt. Sola aëris ſalubritate priore melior, homines ad ſedes ibi firmandas allicit. Tum pecorum tum paſcuorum proma largiſſima eſt: quibus incolæ potiſſimum victum parant. Nam pecoribus magna commercia inſtituunt verſus maritima. Sed & diuites metallorum fodinæ præcipuè in cauſa ſunt, quod hæc pars præ altera habitatior ſit: quandoquidem notum eſt auro argentóve omnia allici, omnia retineri. Sunt nõnulla oppida, quæ propter fodinas has tũ ab Hiſpanis, tum Indis promiſcuè habitãtur, vt ſunt Potoſi & Guantauelica in Peru, ac Cacatecas in noua Hiſpania. Ipſi alias Indi ſparſim in montanis habitant. Fodinis autem plurimi frequenter homines conficiuntur: tum & morbis Epidemicis quamplurimi occumbunt, velut inter reliquos Cocoliſtæ in noua Hiſpania. In hac admodum frigida ſiccaque regione, Dei munera duo inſigniora ſunt, paſcua & aurifodinæ. Vnde hæc terra, ſi ex reditibus ſuis exactè æſtimetur, duabuſque cæteris maritimis terris, vt quarum vna negotiationem in mari inſtitutam, altera vberrimum vini, cuius nullibi tanta copia eſt, ac in his calidis regionibus, prouentum habet, conferatur: tum nullo dubio hæc vnica duarum cæterarum pretium, aut ali-

aliquanto exuperabit, aut ad minimum omnino æquabit.

Porrò intra dictas duas terras, præ cæteris celebres, tertia quædam interiacet, quaſi media tū loci ſitu, tum aëris tēperie. Humilior enim eſt illa editiſſima: elatior autem humiliore. Hæc plurimū tritici, hordeiq; ac Maijs (quæ fruges in altiore terra non prouenīūt) profert. Eadem & paſcuis & pecoribus ditiſſima eſt. Quin & arborū, fructuúmque viridium varij generis copia eſt: & ipſa inſuper regio habitatu tam amœna, quàm ſalubris eſt. Locorum omniū maximè excultorum, communis ferè illa ratio eſt, qualis in noua Hiſpania, quæ extra cōtrouerſiam terrarū omniū, quas Sol colluſtrat, optima eſt, viſitur. Per eam profecturi, ab humilioribus ſedibus, ſemper altius aſcendūt. Et licet alicubi quoq; deſcendatur, meta tamen perexigua eſt, tetraq; littore ſemper elatior eſt. Ea ſitus ratio eſt, omnium Mexico finitimorum, vſque ad montem igniuomum, quæ terrarum Indicarum optima eſt. Eodē modo & prouinciæ Arequipa, Guamanga, & Cuſco habēt, etſi aliæ aliis meliores ſint. Imò, omnis terra edita & montoſa eſt, ſubiectis vallibus inæqualis. Eadem dicta etiam de Quinto & Santafè intelligantur.

Vt verò corollarium quoddam addamus, ſumma ſapientiſſimi conditoris hæc prouidentia fuit, quod huius terræ partē maximam editam & ſublimem poſitam voluit, vt eo nimirum temperatior & tolerabilior foret. Nam ſi omnino humilis, preſſa planaque, fuiſſet, propter Zonam torridam, cui ſubeſt, non potuiſſet non eſſe vrentiſſima & flagrantiſſima, maximè, qua parte à mari longius abeſſet. Sæpiſſimè quidem nobis locum quēdam offerri optaueramus, ex quo vniuerſum Horizontem proſpectare, cælumque & terræ planitiem interſtinguere poſſemus, ſicut id in Hiſpaniæ millenis locis facile fieri poteſt. Sed in omni tamen India id impetrare nullibi licuit, ſiue de inſulis loquar, ſiue de terra firma, etſi per illius longitudinem 700. milliaria peregrinati ſimus. Sed, vt comprehendimus, admodum neceſſe eſt, præaltos montes & colles editos ibi poni, ad ſolis immoderatum feruorem attemperandum tantoperè idoneos.

Quo ergò iam modò dictum eſt, vniuerſa habitabilis India ſe habet. De quà vt in genere dicamus aliquid, ad ſupra dictorum confirmationem, firmiter tenendum eſt, eam eſſe terram, admodum viridem & graminoſam, paſcuis abundantiſſimam, & frugiferis arboribus paſſim conſertiſſimam. Quæ omnia, contra Ariſtotelis & veterum aliorum ſententiam pugnant euidentiſſimè. Nam ex Europa in Indiam qui commeant, hi admirari ſatis nequeunt, terram illam tam amœnam, ſalubrem, viridem & herboſam exiſtere. Quamuis & hæc ipſa regula ſuas alicubi exceptiones patiatur: ſicut de Peruana prouincia, cuius alia ratio eſt, deinceps percepturi ſumus.

Cap. XX.

De natura & conditione terræ Peru.

DE Peru ſi loquamur, non vniuerſam quidem illam terram, quam Americam vocant, & in qua Braſilia, regnum Chile & Granada comprehenduntur, intelligendam volumus, cum eorum nullum vera Peru ſit; ſed Peru pars ea Indiæ eſt, quæ verſus auſtrum ſita, à regno Quito incipit, quod recta ſub linea ſitũ, longitudine ſua ipſum tropicum attingit, quod ſpatium in longitudine 600. milliarium cenſetur: latitudo verò eius non maior eſt, quam ad Andes quę excurrit, quod interuallum 50. circiter milliarium eſſe putatur. Quanquam hæc latitudo in aliis plagis, vt in Cachapoyas eſt, aliquanto maior exiſtat. Iſthæc ergò mundi pars, quæ propriè Peru appellatur, vt ante cæteras diligenter æſtimetur & magni fiat, omninò digniſſima eſt: idque propter ſingulares quaſdam dotes & proprietates, quas præ cæteris Indiæ locis omnibus ſibi peculiares vendicat. Primò enim, omnes dictæ terræ plagæ vnum ſaltem ventum agnoſcunt, ſub torrida neutiquam ſpirantem, ſed illius planè aduerſarium, nempe auſtrum & auſtroeurum. Qui quidem ventus, etſi aliàs omnium inſaluberrimus, grauiſſimus & importuniſſimus ſit; idem ipſe tamen nihilominus, quaſi omni natiua proprietate exutus, in Peruana prouincia, ſuauis, familiaris, ſalubris, mulcebriſque tanta lenitate perſpirat, vt huic vni acceptum ferendum ſit, quod illa regio ab hominibus excolatur & habitetur. Aliàs enim ea feruidiſſima, & moleſtiſſima, humanæ ſocietatis omninò inops eſſet. Secundò, in huius tractus littoralibus nec pluit, nec tonat, nec grãdinat, nec ningit, vllo vnquam tempore. Id quod prodigij ſimile videri queat. Tertiò, paulò à littoribus remotius, tum imbres violentiſſimi, tum niues copioſiſsimæ decidunt. Quartò, etſi duo montium ſeries ſibi inuicem ſimiles ſint, & ſub eadem poli conſtitutione verſentur: nihilominus tamẽ ex illis vnica ſaltem ſeries, arborum multitudine inſignis eſt, & in eadem pluuiæ per omnem ferè annum gliſcunt, aëriſque feruor maximus eſt. Alteri verò ordini omnino contrarium euenit, vt qui aridus, ſterilis, frigidus & deſertus ſit. Et in hoc annus in æſtatem & hyemem, in pluuias & frigora diremptus concernitur.

Vt verò, quæ iam dicta ſunt, intellectui planiora fiant, attendendum diligenter eſt, Omnem Peru, in tres partes, ceu oblõgas & æquales faſcias aut tænias diſtinctam eſſe: nimirum in terram planam & æqualem; in montes, & in Andes. Terrarum planæ ſecundum littora excurrunt. Montes autem ſunt conſpicuæ eminẽtiæ & colles, ſuis ſubiectis vallibus notabiles. Andes verò ſunt loca montana editiſsima & præcipitatiſsima. Planities latitudine milliarium vt maximè decem

decem determinatur: etſi alias pauciorum, aliàs, plurium. Montium latitudo plerumque viginti milliarium eſt: vt & Andium. Longitudo earum ab aquilone in auſtrum pertendit: latitudo verò ab oriente verſus occaſum. Non poteſt non admirationem hominum mentibus inſtillare huius rei commemoratio, quod in tam leui diſtantia, vt eſt 50. milliarium, duo loca, tum ſub linea, tum à polo æquis gradibus ſita & abſita tam contrariæ aduerſæque conſtitutionis ſint, vt vnus perpetuis pluuiis & imbribus horridus ſit: alter verò nullis vnquam pluuiis rigetur: & tertius, aliquando perpluatur, aliquando minus. In plana terra expreſsè nunquam pluit, niſi quod aliquando vdor, ſeu vapor aliquis decidat, quem Garua vocant. Idem in Caſtilia Mollinam, id eſt, humidum vaporem, aut nebulã, in guttas aliquando degenerantem & deruentem, nominant. Hoc in tractu nullis tectis ex lateribus aut aliis lapidibus opus eſt. Nam nulla vnquam tam denſa nebula cadit, vt penetrare poſſit. Ideoq; ſtoreas ſaltem aliquot ſuperiori ædium contignationi iniiciunt, quas tenuiter terra quaſi obiter ſaltem inſpergunt: ſub quo munimento abundè ſatis tuti latent. In Andibus totius ferè anni decurſu pluuiæ cadunt, quamuis ibidem plerunque aër lucidior ſit, quam in locis aliis. At verò montes, his interiecti, pluuias cum Hiſpanis eaſdem habent, nempe à Septembri in Aprilem ſtillantes. Cæteri menſes limpidiores & ſereniores ferè ſunt, quibus Sol remotior iis eſt. Huic autem omnino contrarium euenit, ſicut in priori libro demonſtrauimus.

Regio montoſa, Andes dicta, vt & altera Collina, nihil aliud, quã ductus aut ordines duo ſeparati montium ſunt, ad quos conſtituendos, montes colleſque vltra 1000. concurrunt, ita ſiti poſitique, vt ex vno ſemper alij proſpici queant. In montanis iſtis innumeri greges Vicunnarum degunt, animalia damis aut capreis ſimilia. Ibidem & Guanacos ſiue Pacos dicta animalia oberrant, quæ ſunt illæ oues, quas oneribus ferendis & tranſportãdis præficiunt: de quib. ſuo ſeorſim loco tractabimus. In Andibus ſimij quoque & Cercopitheci valdè formoſi ſunt: vt & frequentes Pſittaci. Iiſdem in locis herba quoque Coca dicta prouenit, quam Indi propter admirandas operationes maximi æſtimant. Infra montes nonnullibi campi patentes ſubiacent: cuiuſmodi loca habitatu in Peru omnium ſunt commodiſſima. Ex horum claſſe ſunt Xauxa, Andaguayalas, & Yucay. In hiſce Maiis cum aliis frugibus vbertim prouenit, quanquã in aliis magis minúſve. Vltra Cuſco, vbi hoc ante tempus ſedes Regia fuerat, duo illi montium ordines aut protractus, de quibus hactenus diximus, aliquanto longius ab ſe inuicem abſcedunt, & in ſui medio campũ planum, latè extenſum pandunt, quæ prouincia Collao dicitur. In plano hoc flumina plurima celebria ſunt, vt & ipſe lacus Titiacacca, ſed & pratis hortiſque locus admodum amœnus eſt.

Iam verò etſi terra hæc plana ſit, cum montanis tamen eandem altitu-

altitudinem obtinet,& cum illis æquè intemperata eſt. Nec frugiferas arbores, nec alia ligna producit. Panis loco radicibus vtuntur, ſeri ibi aut plantari ſolitis. Eas Papas indigetant, panem verò inde confectum, Chunno vocant. Quo ſolo in hac regione vtuntur. In cibum verò alias quoque radices & herbas aſſumunt, quas quotannis magna ſobole ferere ſueuerunt. Terra hæc admodum ſalubris, & exculta, adeoq; per omnem Indiam opulentiſſima eſt, propter multos pecorum greges, ibidem valde pingueſcentium. Nec verò propter ſolas vaccas, oues, capraſque, quas numeroſas illic alunt, ſed propter alias quoque pecudes, quas ea terra priuatim producit, vt ſunt Guanacos & Pacos, quarum paulò ante meminimus, habitatu eadem commodiſſima eſt. Terra eadem numeroſas quoque perdices promit. Vltrà Collao, charcas inueniuntur, qui campi admodum calidi & fœcundi ſunt. Ibidem deſerta quoque & inculta montana ſunt, in quibus aurifodinæ tam nobiles ſunt, vt meliores in vniuerſo terrarum orbe reperiri nequeant.

Cap. XXI.

De cauſis, facientibus, vt in planis regionibus non pluat.

IAM à nobis aliquoties in præcedentibus affirmatum eſt, in locis quibuſdam, cum primis verò planis & æquatis nec pluere, nec tonare. Itaque haud immerito iſtorum euentuũ efficientes cauſæ inquiruntur. Nonnulli, qui profundius rem & ex intimis cauſarum penetralibus meditati ſunt, affirmant, ideò illic nõ pluere, quia materia huius meteori abſit. Nam ex littoribus nullos humores aut craſſos vapores eleuari aut ſuſcitari aiunt, qui faciendis pluuiis idonei ſint: ſed tenues nimis halitus eſſe, qui ſolùm nebulas ſeu (vt loquuntur) Garua cauſari poſſint: ſicut in Europa quoque videmus ſæpè copioſas exhalationes aſcendere, qui tamen non in pluuias, ſed meras nebulas abeant. Hoc vt in Europa aliquoties fit: ſic in Peru accidit perpetuo. Cuius hanc cauſam arbitrantur eſſe, quoniam Europæa regio admodum ſicca, humores craſſiores emittat. Siccam autem eſſe, ex terra ſabuloſa, cuiuſmodi tractus plerique ſunt, colligi, tum & ex eo patere certius, quod illic nulli fontes ſint, niſi profundius orgiarum 15. aut plurium ſpatio eruantur. Hoc porro ad proximum quendam fluuium fieri oportere aiunt, vt ex eo fontium ſcaturigo alatur. Id quod ipſo quoque euentu declaratum ſit, cum aliquãdo ex canali ſuo flumina alio deriuata ſint: Tum enim illico ſcatebras eius exaruiſſe, nec ſibi redditas eſſe prius, quam in canalem priſtinum fluuius reductus ſit. Quod non pluat, dicunt id à defectu materiæ eſſe. Efficientiam vero, vt ita dicam, montium altitudini adſignant, quod rectà ſub rectitudinem littorum decurrãt, illi & cam-

porum

porum planities à ventis ita tutentur, vt niſi, à mari, nulli ibi perſpirare poſſint. Qui, cum contrarium non habeant, vapores ibi elatos, ſoli in altum promouere non poſſunt, ſed eoſdem in inferiore ſtatione relictos, tantum in nebulas diſponunt.

Hanc noſtram ſententiam autem porrò exemplis confirmemus. In nonnullis tum montibus tū collibus littoralibus, vt & in montanis Arica & Arequipa ideò pluit, quia illa loca nudiora ab editiſſimis montibus nihil tutelæ accipiunt. Tum & flantibus Aquilonibus aut Bryſis ibidem aliquoties pluit: Sicut id anno à partu virgineo 1578. in planis campis Truxillo accidit, vbi copioſiſſimæ pluuiæ deciderunt: quod ab incolis antè nunquam viſum erat. Adde, quod in illis quoque locis plerunque pluat, quæ à Bryſis aut aquilonibus attinguntur, ſicut in Quayaquil, & illis cōfinibus, in quibus terra altius attollitur, ita vt à montibus ſatis tutelę non poſſit habere, ſicut vltra Aricam fit. Hæ ergò, vt nonnulli autumant, veræ cauſæ ſunt, cur in planis non pluat. At verò certiſſimum eſt, quod à mōtanis in planos campos deſcendētibus, res ita appareat, quaſi nempe duo colles eſſent, quorum vnus in faſtigio clarus & illuſtris, alter verò preſſior, obſcurus, & latè extenſo cinereo flammeo, quod vniuerſum littus obduxiſſet, ſimilis ſit. Et licet non pluat, nebula tamē illa apprimè vtilis eſt. Nam & gramini incrementum præſtat, & fruges producit. Etſi verò vniuerſa huius terræ loca, vndarum, ex fluminibus eductarū, magnam copiam habeant: ros tamen & natiua cæli humiditas plus efficaciæ poſſidet præſtatq;: ſicut id indubitato ſigno colligi poteſt, quoties garuæ ſeu nebulæ defectus ſit. Tum enim agricolarum res laborioſa. Eo enim rore, ſola arenoſa, admodum aliàs arida & ſterilia, non ſolùm ſplendidè vireſcunt, ſed pabulum etiam vberrimum nanciſcuntur, quo pecora promptè & facilè pingueſcūt. Cuius rei ſingulare documentum ex illo monte captare licet, qui arenoſus nuncupatus, ciuitati de los Reyes, id eſt, Regum, proximè adiacet.

Cap. XXII.

De nouæ Hiſpaniæ proprietatibus, vt & de conditione Inſularum eius, terrarumq; ſingularium.

PALMAM noua Hiſpania vniuerſis reliquis terris facilè præripit. Ditiſſima enim eſt tum ab equis, tum vaccis, ouibusque, & fructibus, agriſq;: adeò vt regionibus aliis Indiæ longè præferatur: niſi quod Peru à vini copia felicior ſit, quòd ibi & promptè & vberrimè prouenit: cùm & ibi campeſtria admodū calida ſint, & ſecundum vineas plerunq; ſcrobes aquâ oppletæ exiſtant: ex quib. vites iugiter irrigari ſueuerunt. Etſi verò vuarum prouentus in Hiſpania noua quoque ſit: nunquam tamen illæ integrè ita matureſcunt,

ex illis vt vinum fieri queat. Huius rei cauſa eſt, quia menſibus Iulio & Auguſto illic perpetuæ pluuiæ gliſcunt, quo alias tempore vuæ omnium maximè excoqui, & ad maturitatem produci ſolent. Pluuia verò, vt vniuerſis notum eſt, hanc naturæ operationē omninò intercipit. Et ſi omnino ex vuis vinum in noua Hiſpania fieret, Lombardico id omnino ſimile futurum eſſet, quod vſque adeò acidi & aſtringentis ſaporis eſt, vt, an ex vuis expreſſum ſit, iure dubitari poſſit.

Laudabiles dictæ inſulæ, vt ſunt la Eſpannola, Cuba, Puerto Rico, & his finitimæ aliæ, admodum ſunt virides, & tum pratis tum pecoribus cumulatiſſimè abundant. In illis innumeræ vaccæque porciq; oberrant, quæ ex manſuetis feræ factæ ſunt. Harum regionum incolæ maſſis ſaccharinis & coriis bouinis commercia agitando ſibi victum parant. Apud illos quoq; magna copia Canna fiſtula ſeu Caſſia prouenit: & non rariore vbertate quoq; Zinziber. Quas merces, niſi quis ipſemet ſuis oculis nauibus imponi videret; tanta ibidem copia proueniſſe nunquam crederet: vt hoc taceamus, quod omnis Europa rebus illis hinc inſtruatur. Ex iiſdem locis ligna quoque præſtantiſſima & pulcherrima efferuntur, cuiuſmodi inter cætera, eſt Ebenum, ad ædificia paranda admodū nobile: Item lignum ſanctum, lui venereę extirpandæ apprimè efficax. Quæcunq; aut in illis finibus ſitæ ſunt inſulæ (earum autem numerus frequentiſſimus eſt) ad aſpectum omnes ſunt amœniſſimæ: Nā viridantibus vndiquaq; graminibus ac arboribus pratiſq; variè depictis, toto anno rident, vt in iſtis locis, quænā hyems ſit, internoſci minimè poſſit. Quæ propter quotidianos rores, caloremq; ſuauem, à Torrida productos, ita eueniūt.

Porrò etſi hæc terra quidem ampliſſima & cōmodiſſima ſit: à raris tamen hominibus inhabitatur, quia ſyluis denſiſſimis & vaſtiſsimis, ſponte ſua prodeuntibus (eas Arcabuci vocant) rigidiſsima eſt & aſperrima. In planis autem, tum multi lacus, tum cœnoſa paſsim terra viget. Cauſa verò præcipua, cur terra hæc admodum inculta ſit, hæc eſt: quod paucißimi nimirum homines euaſerunt, cū primò illa ab Hiſpanis occupata fuiſſet. Incolæ operis ſuis plerunq; nigros Æthiopas adhibent: quorum diurna merces quidem grandis ſtatuta eſt: ſed ipſi tamen agriculturæ non admodū idonei ſunt. Inſulæ nec frumēti nec vini feraces ſunt. Magna enim pinguitudo ſeu luxuries terræ facit, vt frumentum non in ſpicas abeat, ſed in meram herbam fatiſcat, & admodum inæqualiter erumpat. Sed nec frugiferas oleas habent. Etſi enim hæ tum folia tum fructus proferant, iſti tamen nullo tempore mature ſcunt. Panem, quo vtuntur, Cacauij indigetant, de quo ſuo loco agemus. Fluuius, qui inſulam permeat, arenas aureas habet: quas nōnulli extrahunt, ſed copia minore, cum præparationis periti artifices deſint. Si quæ vſpiā in India terra eſt, quæ Hiſpaniæ aut aliis Europæ regionibus faciem ſimilē habeat: ipſum certè Chile regnum illa eſt, quòd ſeriem cæterarū regionum quaſi de induſtria egreditur,

& Torridæ ac Tropico Capricorni ſeſe inſinuat. Id natiua dote fertile eſt & frigidiuſculum: tum & frugibus omnifariis fœcundum eſt, ſicut ipſa Hiſpania.

Vini frumentique, vt & paſcuorum largiſſimorum, pecorumque numeroſiſſimorũ feraciſſima eſt. Ipſum eius clima ſalubre, & in calore frigoreque temperatum, æſtate hyemeq; naturali interſtinguitur. Aurum in eo quoque purum effoditur. Et nihilominus tamen à cultoribus ea terra paupercula eſt, quod propter aſsidua & funeſta bella accidit, quæ cum Auraucanis & eorum confœderatis continenter gerunt. Hi autem bellicoſiſsimi, validi, præfractiq; populi ac libertatis ſuæ tenaciſsimi propugnatores ſunt.

Cap. XXIII.

De terra adhuc incognita, & de diei integri diſcrimine, quod eſt inter eos, qui ſunt ad ortum, & illos, qui ad occaſum verſantur.

HAVD leues & irritæ nonnullorum coniecturæ ſunt, quod in tẽperata zona verſus polum Arcticum, magnæ fœcundæque regiones aliquæ lateant, quæ nec dum hodiè repertæ ſint. Nam in eadem zona præter regnum Chile, & fragmẽtum quoddam ad Cabo de Bona Eſperanca exporrectũ, nulla adhuc regio nota eſt: Sicut de his in libro primo differuimus. Quin nec certò cõſtat, an cæteræ duæ zonæ polorum geminorum ab hominibus habitentur, nec ne. Tum & id abſconditum adhuc eſt, an terra illa, quæ eſt vltra viam ſeu fretum Magellanes, vſq; ſub polum Arcticum excurrat, an minus. Nam ſumma eius altitudo, de qua conſtat, graduum fuit 56. ſicut ſuperius teſtati ſumus. Nec ſciri id præcisè poteſt, quo vſque terra, quæ à Cabo de Mendocino & Californiis abſcedit, ſub polũ Antarcticum extendatur. Porrò nec termini ſeu fines Floridæ noti ſunt, quouſque verſus occaſum euagentur. Haud longum eſt, quod terra noua quædam, quam nouam Mexico appellauerunt, recens inuenta ſit, hominum multitudine conſertiſsima, qui eadem cum cæteris Mexicanis lingua vtuntur. Rerum nonnulli gnariſsimi, Philippinas vnà cum aliis Inſulis pluribus ad milliaria 900. exporrigi profitentur, Chinam verò Cauchinchinamque ac Sian cum ſimilibus aliis regionibus quod attinet, eæ Indiæ Orientali annumerantur: quarum deſcriptio ideò nihil ad nos hîc ſpectat, quia de India ſaltẽ occidentali tradere, inſtituimus. In America illa, cuius fines iã omnib. noti ſunt, multorum locorum ſua adhuc deeſt cognitio, ſicut eodẽ modo ora quoq;, intra Peru & Braſiliã ſita, nondũ explorata eſt. De ea enim varia, eademq; diuerſa narrantur. Aliis perſuaſum eſt, terram eam ſubmerſam eſſe, paludũ & cœni pleniſsimã. Nonnulli contrà affirmant,

Regina ibi opulentiſſima & præclariſſima reperiri: vt in quibus Paytiti, de Dorado & Ceſares ſint. Mira etiam alia ibidem reperiri narrāt. Ex ſocietate noſtra quidam haud infimi ordinis, & fidei indubitatæ vir, aliquoties nobis recenſuit, quod ibidem magna quædam oppida hominibus habitata inuenerit, vt & vias aliquas patentes & inſignes, ceu eſt via de Salamanca verſus Valladolid. Id verò eo tempore factum aiebat, cum Pedro de Orſua & alij in grandi fluuio Amazones aut Marannon nauigaſſent. Dorado verò, quæ adhuc altius abſita erat, cum eam adituri tanto adhuc interuallo diſtare intellexiſſent, reliquerunt. Vt in genere hoc hîc dicam, nondum præciſe compertum eſſe, quæ in America loca hominibus vel exculta vel ſterilia ſint, ſi duas eius extremas partes excipias, Peru & Braſiliam, & quo loco regio contractior ſit, quod eſt apud fluuium Rio de La plata, & quod ab hoc verſus Tucuman excurrit, quod exquiſito ambitu Chilen & Charcam concingit.

Haud ita pridem ex ſcripto quodam, quod noſtratium ſociorum quiſpiam in S. Crucis montanis exarauit, intellectum eſt, intra Peru & Braſiliam magna oppida, viris habitatoribus excultiſſima reperta eſſe. Vnde nobis certum factum eſt, homines quotidiè plures terras tum exploraturos, tum nullo dubio inuenturos eſſe. Æquo enim modo, ac quod iam repertum conſtat, reperiri aut detegi potuit: ita & alia porrò hominum induſtria explorari poterunt, vt nimirum hoc pacto ſancti Euangelij vox per vniuerſos mundi angulos ſonare poſſit. Nam tum Oriens tum Occidens iam ſeſe mutuò amplectuntur, & rotundo ambitu vniuerſum orbis globum præhendunt: ſiquidem tum Luſitania, tum Caſtilia, tam diu trāſitum & acceſſum mutuô ſibi molitæ ſunt, dum tandem, quod mirum videtur, illum repererunt. Altera illarum ab ortu in Chinam & Iaponiam: altera autem ab occaſu ad Philippinas porrigitur. Intra Luzon enim inſulam, (quæ Philippinarum primaria eſt, & in qua ciuitas quoque Manilla ſita eſt) & Macao (inſula apud Canton eſt) maris interuallum 80. aut 100. milliarium interiacet.

Admiratione verò comprimis dignum eſt, cum duo hęc loca tantillo interſtitio diſtent, quod in vnius diei integri ſupputatione tantoperè diſcordent. Qui enim in Macao dies Solis, is in Manilla dies Saturni eſt, & ſic conſequenter per totam hebdomadam: vt qui in Macao & China habitant, perpetuò vno die priores ſint: vt contra Philippinenſes eodem poſteriores. Frater Alonſo Sanches, de quo ſupra quoque mentionem fecimus, commemorauit nobis, quod pro ſua ſupputatione die Maij ſecundo in Macao venerit, & ibidem ſuas S. Athanaſio horas recitare voluerit. Tunc verò incolas feſtum repertæ S. Crucis celebraſſe, quod ſua ſupputatione diem Maij tertium iam agerent. Et ſibi redeunti denuo ita accidiſſe. Hanc ergo dierum diuerſitatem quamplurimi admirati, eiuſq; alij hanc, alij aliam cau-

ſam

ſam commenti ſunt. Nos tamen hanc ſupputationem, rectam, veramque & legitimam eſſe cenſemus. Pro diuerſis enim duorum inſtitutis itineribus, neceſſario conſequitur, vt diuerſum diem eo in loco nanciſcantur, in quo conueniunt. Nam vt hoc planius declaremus, notum eſt, quod ij, qui ab occaſu verſus ortum vela faciunt, de die ſubinde aliquid lucrentur, cum illis quotidiè Sol maturius oriatur. His verò, qui ab ortu in occaſum pertendunt, de die in dies aliquid minuitur & decedit, quoniam Solem quotidiè ſerius orientem habent. Quò enim longius vel ad ortum vel occaſum nauigatur, eo vel maturius vel ſerius dies oriri cernitur. In Peru, quæ Hiſpaniam ſpectat, plus ſex horis integris deperdunt, ita, vt quando in Hiſpania meridies eſt, in Peru dies primum oriatur: & ſi in Hiſpania dieſcit, in Peru iam meridies ſit. Huius rei veritatem in Solis & Lunæ eclipſi certiorem experti ſumus. Luſitani quidem ab occaſu verſus ortum, Hiſpani contrà ab ortu verſus occaſum pertendentes, quo ſibi loco inuicem occurrerunt, quod in Philippinis & Macao factum eſt, duodecim integras horas ſuperfluas habuerunt: Cum totidem cæteri deperdidiſſent. Quæ omnia vno & eodem tempore fiunt. Ita ergò diſcrimen 24. integrarum horarum intercidit, quæ diem integrum conſtituunt.

Ex his iam liquidò conſequi apparet, cauſam, cur, ſi quando hi diem Maij tertium numerent, illi vix dum ſecundum habeant. Pars vnà in vigilia paſchatos ieiunium agit, altera carnes manducat, & feſtum celebrat. Et licet quidem ita inſtituerint rationes ſuas, vt porrò contendentes, nauibus ſuis orbem adhuc ſemel obirent, dierúmque exactiſſimam obſeruationem facerent; tamen in ſupputando tandem dies binos integros prodijſſe animaduerterunt. Sicut enim ſuperius dictum eſt, ij, qui verſus Solis ortum commeant, diem ſubinde nonnihil maturiorem habent. Contrà, qui in occaſum nauigant, diem aliquantò ſeriorem accipiunt, quod Sol tardius ſubinde oriatur. Et vt rem cōcludamus, meridianorum differentia hanc dierũ inæqualitatem omnino efficit. Et prout vel verſus ortum vel verſus occaſum iter inſtituatur, ita Meridiani continuo mutantur, vt res tam promptè minimè ſentiatur: cũ in ea ſupputatione, quæ diei egreſſu inſtituitur, perpetuò maneatur. Adeo, vt neceſſario ſequatur, ſi totus orbis nauigatione obitus ſit, diem vnum deficere.

Cap. XXIV.

De vulcanis, hiatibus igniuomis, & montibus ſulphuriuomis.

QVANQVAM in multis paſſim locis montes igniuomi & hiatus ſulphuriferi quoque reperiantur, ſicut mons Æthna in Sicilia, & Veſuuius in Italia, iam mons in Soma dictus, noti ſunt: nihilominus tamē, quæ Indicarum regionum & illarum Vulcanorum ſingularia ſunt, diligenter nobis attendenda & cenſenda veniunt. Vulcani itaque plerumque ſunt montes, editiſſimi, & præ cæteris eminentiores: in quorum faſtigijs planities ſunt, quarum in medio os grande, faucium inſtar, hiat, cuius abyſſus ad imum vſque fundum pertenditur; ſpectaculo, vt inſolito, ita horrendiſſimo. Ex hoc ore atra fuligo ructatur: ſicut in India in monte Arequipa cernitur: cuius altitudo ſanè ſtupenda, omniſque ambitus ſale copioſo perſperſus viſitur. Ad hunc conſcendendum, bidui itinere opus eſt. Quod verò de hoc memorabile eſt, is igne magno non admodum conſpicuus fit. Indi autem, cum vocem Euangelij nondum acceptaſſent, in eo ſua ſacrificia fecerunt, & ignes latè ſplendentes ſuccenderunt. Apud pagum, de Los Angelos, id eſt, ad Angelos mons alius quoque, præeminentiſſimus eſt, cuius ambitus milliarium 30. prædicatur. In hoc nihil admodū ſingulare eſt, quàm quod nonnullis temporibus, aut ſingulis interdum diebus, fumus quiſpiam teli facie euolet, qui deinde pennæ more dilatatus vaneſcere videtur, dum tandem in atram nubem conuerſus abeat. Fumus autem iſte tum temporis potiſſimum eiaculatur, quoties Sol oritur, & iterum occidit. Sed & nonnullis aliis temporum articulis apparet. Cum fumo illo verò plerumque magna cinerum copia efflatur. Ignis tamen expreſſus egredi ad hunc vſque diem nondum viſus eſt. Incolarum tamen magna trepidatio eſt, metuentium fore, vt aliquando violentus quoque ignis ſubſequatur, qui terram vniuerſam, eius regni omnium optimam partem crematurus incendio ſit. Nonnullis affirmatiſſimum eſt, huius Vulcani cum Tlaxealano, longius diſtante, quandam certam cognationem & familiaritatem exiſtere, qua tonitrubus, fulguribus, flammarum exſplendentijs & aëris accenſionibus ſibi propemodum reſpondeant. Hunc montem nonnulli Hiſpanorum aſcendentes, ſulphureos lapides ſecum attulerūt, quibus tritis pro puluere pyrio deinde vſi ſunt. Recenſuit nobis Cortees, quod laboris ſibi plurimū ſumpſerit ad explorandum, ſi quæ ibi notatu digna eueniant.

Vulcani verò ad Guatimalam adhuc celebriores ſunt, non tantum propter miram magnitudinem, qua ab in Oceano auſtrali quoque

que nauigantibus è longinquo conſpicitur: verum etiam propter vim & impetum ſtupendum, quo ignis plurimum eructat. Anno 1586. die Nouembr. 23. ciuitas Guatimala, terræ motu validiore concuſſa, propè vniuerſa decubuit, hominum quamplurimis extinctis. Is ſex integris menſibus, tam interdiu quam noctu ignes confertim eructabat, qui in caſu ſuo ad radices montium in excißos lapides & cineres vertebantur. Nec dici credique poteſt, quantum materiæ ex hoc hiatu his ſex menſibus eructatum ſit. Ante id tempus, mons hic ſolum fumos quoſdam efflabat, eoſque non aſſiduos. Et interdum flamma quoque exigua quædam promicabat. Hanc verò hiſtoriam Secretarius quiſpiam Audientiæ (vt vocant) in Guatimala ſcriptam nobis communicauit, cum in Mexico verſaremur, quo tempore illius efflammatio adhuc conſpicua erat.

Cum in de Los Reyes, id eſt, ciuitate regia ageremus, mons ei vicinus, tantum cinerum cumulum excuſſit, vt per aliquammulta milliaria meri cineres depluerent, adeo vt toto die tenebræ eſſent, nec ſatis commoda luce per plateas incedere liceret. Viſi etiam alibi Vulcani ſunt, qui nec fumos, nec flammas, nec cineres eructarint: quorum tamen fundus perpetuis & inceſſantibus ardoribus conſpicuus erat. Accidit aliquando, vt ſacrificulus quidam auarus, ad horum Vulcanorum vnum approximaret. Videns ergò eos ignes aſſiduis ardoribus non abſumi, ſed conſtantes perdurare, ratus merum id aurum exiſtere, quod tot annis flagrans nunquam deflagret: ideo ſibi cacabos, aliquot parari curauit: quos catenis religatos demittens, aurum illis extracturus erat. Cacabi tamen prius, quàm ignem proximè attingerent, iam dum cremati erant. Etſi verò hoc molimen ſacrificulo non ſucceſſerit: de ſua tamen ſententia vſque adeò dimoueri non potuit, quin ſemper auferendi auri cupiditatem in animo ſuperſtitem aleret.

Cap. XXV.

Quæ cauſa ſit, quod ignes fumiq; in his Vulcanis tamdiu durent.

NVLLA neceſſitas poſcit, vt de pluribus Vulcanis hoc loco dicamus: cum ex hactenus dictis cæterorum quoq; natura & conditio facilè intelligi queat. Cauſarum verò, cur tùm fumus, tum ignis in illis tanta diuturnitate perennent, inquiſitio, omnino neceſſaria videtur. Nec enim humana capere ratio poteſt, vndénam tam copioſa materia fomeſque illis ſuppeditetur, vt eructatio illa tam iugis eſſe queat. Sunt, qui arbitrentur, Vulcanos eam materiam abſumere, quam à natura per proprietatẽ ſuam intimam & congenitam habeant; perſuaſumq; omnino habent, eos aliquando

do deflagraturos, omninoq; ſuos fines habituros. Pro cuius rei confirmatione montes nonnullos adducunt, ex quibus lapis leuis eruatur, ædibus extruendis idoneus, qualis eſt Mexicanus: cuius montana olim ignes aluiſſe apparet. qui tamen ideò nunc deflagrarint, quia materia, qua viuerent, defuerit. Lapides autem iſtiuſmodi ignis integros & inconfractos reliquit.

Sed hîc nobis commodè in mentem venit, quod nulla vſpiam ratione fieri poſſit, vt omne illud, quod Vulcani eructarunt, in ipſorum interaneis concluſum eſſe potuerit. Præterea, montes nonnulli igniuomi ſunt, quorum eructatio non centum ſaltem, verum mille annis & vltra, iugi perpetuoque vigore durauit, qui vel dum hodiè tum fumos, tum flammas, tum cineres confertim eructant. Plinius, naturalis hiſtoriæ ſcriptor diligentiſſimus, vbi tempore quodam attētiſſimè & intimè ſpeculari ſategiſſet, qui fieret, vt huiuſmodi montes aſſiduo arderent: hiatui ſe nimium propinquè offerens, fumorum halituumque immani violentia confectus occubuit: ſicut id Plinius ſecundus, illius patruelis ſcriptis mandatum reliquit. Nos verò contrà illos ita ſtatuimus, quod, ſicut ſub terra loca quædam ſunt, quæ halitus etiam diſtantes ad ſe alliciunt, eoſque in aquam conuertunt, vnde iugis fontium ſcatebra naſcitur: pari quoque ratione locorum nonnullorum ea proprietas viſque ſit, vt calidos aridoſque fumos prolectent, quos deinde in ignes commutent, à quibus tandem generatus cinis & res ſimiles foras excutiantur.

Hæc verò ſe ita habere, ex eo colligi poteſt, quia montes iſtiuſmodi non aſſiduò, ſed interdum, aut fumos aut ignes euomunt, cum ad eos elidendos non perpetuo fomitem ſufficientem habeant. Simile quoque in fontibus euenire videmus, qui per hyemem magnam vndarum copiam, per æſtatem vero pauciorem fundunt: quique nunc cumulatius, nunc parcius profluunt. Sic montes quoque nonnunquam ignem quamplurimum, interdum pauciſſimum aut omnino nullum eructant. Sunt alij, qui prætēdunt, ignem hunc ex ipſo inferni barathro aſcendere, noſtroque in conſpectu ideo efflagrare, vt eo perterrefacti à peccatis, ignem æternum euitare ſtudeamus. Cum vero inferni, vt Theologi tradunt, ſedes intimum terræ centrum ſit, cuius diameter 2000. milliarium longitudinem habeat: certè concedi nullo modo poteſt, ignem illum ex ipſo centro produci: cum ignis inferni, ſicut S. Baſilius & reliqui Patres docuerunt, ac huius Vulcanij longè diuerſa ratio naturaque ſit: Ille enim non noſtri ignis more lucet, & tamen hoc corporeo multo penetrantius & violentius vrit.

Cap.

Cap. XXVI.

De terræ motibus.

NONNVLLI opinati ſunt, terræ tremorem, à Vulcanis Indicis, qui ibi multi ſint, ſuam originem trahere. Cum verò terræ motus in illis quoque regionibus ſentiantur, vbi Vulcani nulli vſpiam exiſtunt: terræ motus ea ratio vera & genuina concedi minimè poteſt. Attamē ſimilitudinis aliquid & familiaritatis inter ſe habent. Videtur enim calidos vapores, in terræ interaneis concluſos, præcipuam ignis in Vulcanis materiam eſſe, qua craſſior materia, quam ea, quę ignis & halituum ſpecie eructantur, redolent, aduratur. Quod ſi ergò dicti vapores arctius intra terram concluſi, eruptionis nullum locum inueniunt, tum agitationis impetu terram violenter ſuccutiunt, vt quaſi tremat & nutet: quo etiā modo cernimus, puluerem pyrium ſuccenſum in fodinis ſcopulos & cautes ſolidiſſimas findere & perrumpere. Similiter & caſtanea nux cum fragore quodam diſſilit, ſi carbonibus iniecta torretur. Terræ motus autem omnium maximè contingunt in locis littori vicinis, aut alijs aquis finitimis. In alijs verò regionibus, tam Europæis quàm Indicis, ab Oceano & vndis diſtantioribus, huiuſmodi terræ accidentia admodum infrequentia ſunt: portus autem, & littora, & quæ terræ his finitimæ ſunt, hanc affectionem frequentius ſuſtinent. Cuius quidem rei in Peru euidentiſſimum exemplum proſtat. A Chile vſque in Quito, quod ſpatium 500. milliarium eſt, terræ concuſſiones tam crebræ ſunt, vt vna aliam ſubinde excipiat: etſi aliæ alijs quoque violentiores ſint. In Chile littoralibus tempore quodam terræ tam portentoſa ſuccuſſatio accidit, vt ea toti montes euerterentur, fluuiorumque tranſitus ita intercluderentur, vt latius exundantes lacus facerent. Quin & aliquot vrbes pagoſque ſubuertit, & hominum magnum numerum iugulauit, fecitque, vt mare multorum milliarium ſpatio exundaret, naueſque longè à ſtatione ſua in terram compellerentur, quæ omnia aſpectu horrenda erant. Et ſi rectè meminimus, terræ motum hunc ad 300. milliaria ſecundum littora excurriſſe, fama erat.

Poſt paucos interlapſos annos terræ motus in Arequipa inſecutus eſt, quo vniuerſa propè ciuitas ſubuerſa periit. Anno 1586. die 9. Iulij alius terræ tremor apud ciuitatem Los Reyes, id eſt, Regis accidit, qui, vt Viceregis ex litteris patet, ſecundum littorum longitudinem 170. ſecundum latitudinem verò 50. milliaribus portendit vſque ad ipſa montana media. In eo autem ſingularis Dei miſericordia eluxit, qui homines immani progreſſo ſtrepitu & ſonitu de futuro pe-

R riculo

riculo præmonuit, vt ſibi expeditius cauere poſſent. Signis inuaſuræ commotionis acceptis ſolent illi deſertis ædibus in vias publicas, campoſque & hortos, vt ſub aperto dio ſint, ſeſe recipere, adeò, vt tectum nullum verticibus incumbens habeant. De illo terræ motu narrarunt, etſi quidem omnium maxima & præclariſſima ædificia euerſa corruerint, vltra 20. tamen homines non occubuiſſe. Eodem mare quoque exagitatum, iuxta Chilen duorum milliarium ſpatio exundauit, aquis 14. orgiarum altitudine fluctuantibus. Qua quidem inundatione, omnia quoquo verſum ligna è littore abrepta defluxerunt.

Sequente illicò anno alius quoque terræ motus in regno Quito obſeruatus eſt, adeò vt inſignes aliquot concuſſationes ſeſe inuicem exceperint, cuiuſmodi malis omnis illa plaga ſubiecta eſt. Etſi enim plana Peruenſia nec tonitrua nec fulgura ſentiant deſuper: ex ipſa tamen terra noxæ illis imminent, vt hos quaſi iuſtitiæ diuinæ vindices obſeruantes, Deum metuere diſcant, ſicut Pſalmus ait: Fecit hæc, vt timeatur. Sed ad propoſitum noſtrum.

Terræ in Oceani littoralibus ſitæ, concuſſioni omnium maximè obnoxiæ ſunt. Cuius euentus cauſæ, quantum quidem æſtimare licet, hæ ſunt, quia pori & cauernæ terræ, per quas halitus egreſſuri erant, aqua obturantur. Tum & ſuperficiei humiditas in cauſa eſt, quod feruentes vapores humoreſque interius concluſi & quaſi captiuati maneant: qui ſi pòſt nimioperè incaluerunt, latiſſimè diducuntur & quaſi difflantur. Nonnulli obſeruarunt, terræ motus tum potiſſimum excitari, cum ſiccum annum frequentes pluuiæ pòſt inſequuntur: id quod cum ſermone priore conuenit. Diligenti etiam obſeruatione notatum eſt, in illis locis, vbi paludes frequentes ſunt, terræ motus rariores incidere. Sunt, qui affirment, terræ motum in Mexico ex lacu, in quo fundata ciuitas ſit, emergere & ſuſcitari. Verum quidem eſt, in locis nonnullis à mari longius diſtantibus terræ motus quoque nonnunquam fieri, ſicut in India apud ciuitatem Cachapoyas, & in Italia apud Ferraram accidit. Sed qui apud hanc terræ motus fiunt, à flumine quodam non longè à mari Adriatico ſuſcitantur: vnde à nobis meritò illa inter ciuitates maritimas connumeratur.

In Chuquiauo, aliàs Lapâz, ciuitate Peruana res memoranda accidit, anno 1581. quô derepentè magna pars pagi Angoango, in quo Indorum cõiuratorum & ſortilegorum ac Idololatrarum multi habitauerant, corruit, & eorum quamplurimos obtriuit. Quin & terra ipſa non, non ſecus ac vnda aut cera liquata facta, ad ſeſquimilliaris ſpatium procurrit aut profluxit. Eodem terræ motu lacus omnes expleti, & regio vniuerſa, terra iniecta oppleta eſt.

Cap.

Cap. XXVII.

Quo modo terra & mare ſeſe inuicem complectantur.

DE elementis autem dicendi finem facturi, quomodo terra cum aquis vniatur, prius explicabimus. Vtriuſque autem elementi amplexus varij & diuerſiſſimi ſunt. Nonnullis in locis terra ab vndis violentiſſimè ceu ab hoſte alliditur & quatitur: alibi quaſi amico plexu, eadē ab aquis leniter cingitur. Nonnullibi mare magnis tractibus quaſi tentandi cauſa, in penitiorem terram ingreditur. Terra viciſſim alicubi ſuis angulis aut extremitatibus longè in mare extuberat, & eius velut ilia penetrat. Hîc vnum elemētum terminatur, & alteri quaſi ſtationis principium impertit. Illîc, vbi vtraque ſibi inuicem iunguntur, vtriuſque immenſa eſt profunditas: ſicut in mari auſtrali & boreali inſulæ reperiuntur, in quibus fundi demerſio 70. aut 80. orgiarum eſt. Eandem rationem quoque inſularum de Lobos, id eſt, luporum & in littoribus nouæ Hiſpaniæ Cocos dictis, eſſe, à gubernatore edocti ſumus. In magno Oceano nonnullibi ad multa milliaria nulla terra peruiſitur: & tamen duo editiſſima & altiſſimè prominentia faſtigia ſaxea conſpiciuntur, iuxta quę nec vlla terra nec fundus ſentitur.

Quæ autem verè ſit forma aut facies Indiæ, nemini ſatis compertum eſt, quoniam extremi eius fines necdum hodiè cogniti aut explorati ſunt. Quod ſi tamen vtcunque quid fingendum ſit: cordis figuram aliqualiter exprimere videtur. Latiſſima terra Braſilia eſt, vſq; in Peru. Eius terminus ſeu apex fretum eſt Magellanes. Baſis, qua perficitur, eſt terra firma. Hinc paulatim vſque in Floridam expanditur, & ad illa loca, quæ nondum nota ſunt. Quæ de India porrò quis ſcire volet, is eadem ex commentarijs, quæ Hiſpani de ſuis geſtis & inuentis ediderunt, comprimis autem ex peregrinatione, à ſociorum noſtrorum aliquo facta & deſcripta, in qua multa memorabilia leguntur, hauriat. Iam ergò materiam ſeu tractationem de elementis, quibus omnes plagæ & regiones mundi conſtituuntur & ambiuntur, finiamus.

LIBRI TERTII FINIS.

NATVRALIS INDIÆ OCCIDENTALIS HISTORIÆ, LIBER QVRATVS.

Cap. I.

POSTQVAM in antecedente libro de Elementis & corporibus ſimplicibus, vt & eorum affectionibus, per Indiam peculiariter notis, pertractauimus: nunc deinceps in hoc quarto libro de compoſitis & mixtis quoque, quantum inſtituti noſtri ratio expoſcere videbitur, tradendum eſſe exiſtimamus. Porro cum rerum quidem mixtarum multa eaque diuerſa genera ſint: nos in tres ordines vniuerſas partiemur: nimirum in Metalla, in ſtirpes, & in animalia. Metalla autem ſunt quaſi abditæ in terræ viſceribus venæ aut radices, quibus propter variè quoquo verſum diſperſam ſobolem quadamtenus ſimiles ſunt. Nam tum maiores tum minores ſuas propagines ceu ramos & ſurculos ſtirpium inſtar poſſident. Vnde ipſa quoque metalla non ſecus ac herbas vire re, vigere & augeſcere nonnullis perſuaſum eſt: non quod reuera augeſcant, & vitam internam habeant (quod ſolis ſtirpibus contingit.) Sed quod ad horum ſimilitudinẽ ſub ipſa terra generentur, & cum ſolis tum cæterorum Planetarum vi & energia augeantur & quaſi excreſcant. Sicut ergo metallum non niſi planta in terra abdita exiſtit: ſic viciſſim ſtirps vel planta nihil aliud eſt, quàm animal, in loco ſuo fixum & immotum perſiſtens, vitamque ex eo alimento, quod natura ex terræ ſinu ipſi offert, trahens. Animalia tamen plantis nobiliora ſunt. Sicut enim illa tum formam tum ſubſtantiam perfectiorem & præſtantiorem adepta ſunt: ſic alimento quoq; nobiliore & commodiore omnino indigent.

Qua de cauſa Natura ſolers animalibus tum ſenſum tum motum quoque impertiuit, vt ad cibum ſuum quærendum ſe promptius promouere poſſent. Æquo modo, terram quoque ſordidam & ſterilem metallis pro alimento eſſe, nouimus. Terra autem fœcunda, alimentum plantis miniſtrat. Plantæ viciſſim animalibus cibo ſunt: vt animalia hominibus. Et ea ratione ſemper res viliores aut imperfectiores, perfectiorum ſaluti & conſeruationi commodant.

modant. Quod ipſum in ſe perfectum non eſt, perfectiori ſubiacet.

Ex quo diſcurſu iam commodè intelligi queat, aurumque & argentum,& his ſimilia alia (quæ homo turpi auaritia miſerè excæcatus tanti æſtimat) non verum finem, propter quem homo conditus ſit, exiſtere: ſiquidem iſthæc vniuerſa ipſo homine, qui Soli Deo creatori ſuo & architecto ſubiectus eſt, multo inferiora & abiectiora ſunt. Et qui hoc quidem modo res vniuerſas creatas ſecum expendit & trutinat, is vtilitatem inde haud leuem percipiet. At verò qui obiter ſaltem & quaſi per tranſennam eaſdem introſpicit, & quæſtus ſaltem emolumentique cauſa eaſdem rimatur: huic pro Salomonis vaticinio accidet, vt pedes eius laqueis,in quos fatui incurrũt, *Sap.14.* irretiantur. Ideo & nos quoque hunc de rebus Indicis commentarium propter vnicam iſtam cauſam condendum ſumpſimus, vt à creaturis ſuis Deus hoc pacto celebraretur; & non, vt, quæ de metallis, plantis & animalibus ſcitu neceſſaria eſſent, tantummodo operoſa & affectata explanatione traderemus.Ideò,quid de ſingulis iſtorum in India tum ipſi comperimus,tum à fide dignis aliis narrata accepimus, breuiter ſaltem & tenui filo decurremus.

Cap. II.

De Metallorum in India opulentia.

METALLA à ſapientiſſimo creatore Deo, tum ad Medicinam, tum ad tutelam, tum ad ornatum, tum ad inſtrumenta varia condita ſunt. Quæ omnia illuſtribus adductis exemplis confirmari poſſent. Sed poſtremus metallorum finis omnium certiſſimus & præſtantiſſimus eſt. Non enim ſolum homini id impoſitum eſt,vt quam bruta non minus ſuum ſectari alimentum cogatur: ſed pro ea quoq; ingenij ſolertia, qua à Deo Opt.Max.cælitus donatus eſt, operari debet. Porro vt rationis humanæ acumen artes infinitas comminiſcitur: ſic Deus conditor varias etiam materias produxit, quibus homo in diuerſis artibus exercendis, & ſeipſo ceu expoliendo & illuſtrando vti poſſet. Etſi vero idem Creator diuerſas tum ſpecies tum naturas metallis terræ indiderit aut incluſerit: quæ tamen in vitæ & ſanitatis humanæ commodum collatæ ſunt, omnium primæ habendæ veniunt. Sic alia metalla corporum morbos & vitia perſanant: alia arma pro propulſanda vi externa miniſtrant:alia ad ornatum, habitationem commodiorem & cætera faciunt: alia vaſa & inſtrumenta, ab hominibus temporum decurſu inuenta, ſuppeditant.

Inter omnia vero,quæ natura produxit,metalla, nullum humanis vſibus plus ſeruit, ac pecunia, quæ, vt Philoſophus ait, omnium *Ariſt. 5. Ethic.* rerum menſura eſt. Etſi vero pecunia ſeu aurum res in Natura ſim- *c. 1.*

plex ſeu ſingularis exiſtat, virtute tamen & operatione ſua idem eſt omnia. Aurum enim eſt cibus, veſtitus, domus, currus, equus, & quicquid vſpiā homini opus eſt. Ideò, vt ſapiens ait, auro omnia ſubiecta ſunt. Metalla autem, pro medio ſeu arrha rerum vniuerſarum parandarum acquirendarumq; ideo electa & conſtituta ſunt, præ ſubſtantiis aliis, quia illa rerum cæterarum omnium ſolidiſſima, corruptioni & mutationi minus ſubiacent. Sed & inter ipſa metalla aurū principem ex durabilitate locum occupauit: & ab hoc argentum: ſicut id non ſolum apud Hebræos, Aſſyrios, Græcos, Romanos, ac nationes tum Europæ tum Aſiæ cæteras quoque videre licet: ſed populorum quoque remotiſſimorum idem ſenſus eſt, velut Indorum, qui metalla huiuſmodi in templis & palatiis, in Regum, Deorum, & virorum fortium honorem ſuſpenderunt.

Eccleſ.10.

Etſi barbaræ quædam gentes extiterint, quæ nec aurū nec argentum nouerint, ſicut de Floridanis traditur, quod nec ſaccos nec peras, auro confertas, è littore abſtulerint, verum, vt rem nihili vanamque omnino reliquerint. Et de Babitacis Plinius ſcribit, eos aurum tam grandi odio proſectatos fuiſſe, vt vniuerſum humo defoderint, ne id in vſum hominum veniret. Sed iſtorum Floridanorum & Babitacorum hodiè magna penuria eſt: vt contrà eorum, qui aurum & argentum inſanius venentur, copia certiſſima. Id, vt ab iis, qui ex India appulerunt, commonefiamus, operæ pretium eſt. Et quidem Indorum cupiditatem ac auaritiam noſtra multò minorem & parciorem eſſe, nemini non notum eſt. Quin & iidem auri ſatagentia, non tanta ſacrilegia committunt, etſi cultores Idolorum fuerint: quāta noſtrum aliqui, qui Chriſto nomen dedimus, frequenter patrare ſuſtinemus. Ideoque ſapientiſsimi Dei prouidentia probè ita conſtitutum eſſe apparet, vt in locis remotiſsimis, quorum Reſpubl. non admodum bonis legibus fruuntur, fodinæ omnium ditiſsimæ & opulētiſsimæ reperiantur: quibus nimirum homines velut eſca quadam illicerentur ad ea loca accedenda, vt hoc nimirum conſortio gentes, veri Dei cultus ignaræ, vera religione imbuerentur, & ad ſalutem æternam vocarentur. Vt hoc pacto diui Eſaiæ prophetia impleretur, dicentis: Di„ lata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, „ ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida. Ad de„ xtram enim & ad læuam penetrabis: & ſemen tuum gentes hæredi„ tabit, & ciuitates deſertas inhabitabit. Quæ verba, ſicut diuus Hieronymus autor eſt, id ſonant, Euangelium nimirum non ab iis ſolùm, qui ſimplici zelo ex miſericordia id faciunt, prædicatum iri: ſed ab iis quoq; ſpargendum eſſe, qui rebus Politicis & negotiationibus mundanis ſtudeant. Ita reuera conſtat, præ cæteris eas oras quoque Indicas, quæ fodinis præſtātiſsimis & ditiſsimis dotatæ ſunt, in Chriſtiana religione omniū primas inſtitutas fuiſſe. Vnde, Deum ſapientiſsimum pro ſingulari ſuo placito omnia optimè diſponere liquet.

Plin. lib. 6. c. 27.

Eſa. 54.

Et in

Et in hoc caſu ſapientiſſima illa ſapientiſſimi viri ſententia valet, dicentis: Sicut pater, filiam ſuam elocaturus, dotis ei plurimum impertit: Sic Deus adoptandæ in gratiam ſuam huic terræ fodinarum theſauros locupletiſſimos, metallaque copioſiſſima, vt cuprum, ferrum, plumbum, ſtannum, hydrargyrum, aurum & argentum promentes, largiſſimè donauit. Et ex omnibus quidē Indiæ regnis, Peruano nullum opulentius eſt. Tanta enim auri, argentique ac hydrargyri ibi abundantia eſt, vt fodinæ recentes nouæque indies attingātur. Tum & ex conditione ſoli animaduerti poteſt, quod multò frequentiores, iam dum repertis, fodinæ inueniendæ adhuc reſtent. Et vt ſummatim dicam, omne ſolum quaſi metallis conſitum & cumulatiſsimè conſeminatum apparet: Cum nullus in vniuerſo orbe tractus metallorum opulentior, quam is vnicus, promus ſit.

Cap. III.

De qualitate & conditione terræ metalliferæ: & quod in India non omnia metalla parentur: & de horum apud Indos vſu.

CVR India tantis metallorum theſauris ſcateat, à Dei voluntate, qua ſola ſua munera diſpenſat, id eſſe ſuprà diximus. Quod ſi verò de his Philoſophorum more loquamur, veriſsima illa Philonis ſententia eſt, dicentis; aurum, argentum & metalla naturali principio ortus ex ſteriliſsimis & deſertiſsimis terræ locis progredi maximè, vnde non inepta deductione confici poſſet, eas terras, quæ temperatiores, frugum, herbarum fructuumque feraciſſimæ ſint, rarò aut nunquam fodinis iſtiuſmodi abundare. In hiſce etenim locis, quod ſolum fruges fructusque, ad hominum ſuſtentationem neceſſarios proferat, natura eatenus contenta eſt. Id vt re ipſa verum eſſe comperimus: ita contraria ratione viciſsim inferimus, aurum, argentum, hydrargyrum & metalla ſimilia, in aridis, incultis & ſterilibus alias locis, omnium copioſiſsimè prouenire: vt in quibus montes vaſtiores, præruptique ſcopuli, & aër intemperatior gliſcant.

Quæcunque ex India occidentali in Hiſpania hactenus illata Metalla ſunt, omnia ex iſtiuſmodi deſertis locis eruta fuerūt: quæ tamen terræ, aliàs quidem rigidæ, propter ſuauem pecuniæ odorem ab hominibus excultiſsimæ factæ ſunt. In India etſi quidem metallorum vniuerſim omnium venæ abundent; nullorum tamen maior captura aut venatio inſtituitur, quā quæ aurum, argentum, & hydrargyrum fouent. Hydrargyro enim opus, in auri argentique diſgregatione facienda. Ferrum autem eò ex Hiſpania Chinaque inferri ſolet. Olim quidem Indi Cuprum quoq; ſeparare & parare ſolitabant. quod inſtrumentis armiſq; non ferreis ſed cupreis communiter vterentur.

rentur.

rentur. Iam verò ab Hiſpanorum in Indiam ingreſſu, cupri parum eruunt, etſi eius magna paſſim copia proſtet: Sed in pretioſiorib. metallis effodiendis omnem potius operam ſumptumque impendunt.

Ex nullo vſpiam documento ſuſpicio captari poteſt, Indos auro, argentóve ac aliis metallis pecuniæ in permutandis mercibus loco vnquam vſos fuiſſe, ſed eadem decori ſaltem ornatusque gratia adhibuiſſe, & tum templis, tum palatiis ac monumẽtis inſignioribus intuliſſe, in varias tum ex auro tum argento formas, & infiniti generis vaſa confićta. In contractibus vẽditionis & emptionis, pecunia nulla vtebantur, ſed rem re ſimpliciter permutabant. Idem veteres quoque factitaſſe, Plinius & Homerus tradunt. Indis quinimò res quæpiam peculiares erant, quas auro ac pecunia longè pluris extimabant, quibus pecuniæ vice vtebantur: ſicut is mos adhuc hodiè apud nonnullos viget. In prouincia Mexico, loco pecuniæ fructu Cacao vtuntur, quem emptionis & venditionis arrham habent. Huius vicem in Peru Coca ſupplet, quod folium eſt, Indis maximi æſtimatum. In Paraguay, id eſt, Rio de la plata, ferreis orbibus monetæ loco vtuntur. In S. Cruce, iuxta montana, textum goſſypium pro pecunia habent. Et ſic, vt verbo dicam, rem re mercatores Indici permutant. Et licet mercatus ſeu nundinas alicubi celebriores agitẽt, in quas hominum maxima multitudo confluat: pecunia tamen omni vacui veniunt, nec propolas vllos admittunt, cum mercium exquiſite cenſendarum ipſi longè peritiſſimi exiſtant, & ad æquitatis normam ſtipulari dexterrimè poſſint. Hiſpanis autẽ in has terras delatis, tum & ipſi Indi in commerciis auro argentoque, vti cæperunt: quæ tamen metalla in principio cuſa & ſignata non erant. Sed ſecundum pondus eadem appendebant, ſicut à vetuſtioribus quoque Romanis olim factitatum legimus. Tandem in Mexico & Peru ſignari quoque moneta occæpit. In India occidentali nunquam moneta illa mercantur, quæ aliis metallis, vt cupro, aut ære permixta ſit; Sed puro putoque vel auro vel argento commercia cõfirmant. Cum enim illa terra duorum iſtorum metallorum largitrix cumulatiſſima ſit; non ſuſtinent vſitatã monetam ſuam, quam Billioen vocant, aliis metallis confundi aut permiſceri, ſicut id in Italia & prouinciis aliis fieri conſueuit. Nec ab re eſt, quod in aliquibus Indiæ inſulis, vt Santo Domingo & Puerto Rico, moneta quoq; ex cupro fabrefacta vtantur, quæ Hiſpanica exiſtens, in ſolis tamen iſtis inſulis tantum vſitata eſt, in quibus auri argentíve magna penuria viget. Quæ etſi & ipſæ quidem ſuas fodinas meliores habeant, nemini tamen eadem aut eruendi animus, aut parandi dexteritas eſt. At verò, cum Indi ſaltem aurum, argentum, & hydrargyrum ex ſuis fodinis eruere ſoleant: nos quoque de iſtis tribus ſaltem metallis tractationem eligentes, cæterorum conditionem miſſam faciemus.

Plin. libr. 33. c. 3.

Cap.

Cap. IV.

De auro, quod in India colligitur.

AVRVM omni tempore metallis cæteris prælatum, & eorum præſtantiſſimum ab omnibus habitum eſt, quod omniū ſolidiſſimum & corruptioni minimè obnoxium eſſet. Ignis enim, qui vniuerſa depaſcitur & comminuit, huic ſuam perfectionem potius confert. Nam in ignem aurum immiſſum, coloris ſui natiuam probitatem omnino retinet. Tum id & metallorū omnium ſpectatiſſimum pulcherrimumque eſt, quod ob id ſecundum Plinij ſententiam Obryzum nominatur. Auri ſacra quoque pagina perſæpè meminit. Vſus, qui omnia atterit, Plinio atteſtante, de auri pondere & ſubſtantia nihil decidit. Tum id nec rubigine aut vetuſtate exeditur. Et licet externa ſpecie quidem conſiſtens durumque appareat: leui tamen preſſu flectitur, & malleo promptiſſimè dilatatur, vt res creditu mira ſit. Quod qui tundunt, vim eius & naturam hanc compertiſſimam habēt, quod in omnes partes flectatur, nec frangatur facilè. Has auri virtutes qui attentius conſiderat, is ſenſum ſacrarum literarum penitius aſſequetur, quæ aurum amori comparant. Cur verò auri tantum deſiderium, & tam anxia operoſaque conquiſitio ſit, aut admiratio, dicere hoc loco quidem nihil attinet. Nam, qua vi aurum maxima præſtat, eadem omnibus notiſſima eſt: cum rerum omnium, quas mundus cōtinet, optimum & potentiſſimum cenſeatur. Sed ad propoſitum.

Plin. libr. 33. c. 3.

Apoc. 3. & 21. Cant. 3. Pſalm. 67. Thren. 4. 3. Reg. 6.

Auri in India tam cumulatus prouentus eſt, vt, ſicut ex hiſtoriis noſcitur, Ingæ in Peru vaſis vel maioribus vel minoribus aureis, vt trullis, pateris, cyathis, lagenis, vrceis & hydriis grandibus minimè contenti eſſent: Sed & ſellas & vehicula integra ex auro fabricari curarent. In templis eorum imagines ſolidæ ex puro auro ſtabant. Auri ipſa quoque Mexico proma eſt, ſed copia minore. Qui primi has terras occuparūt, auri diuitias infandas & inæſtimabiles adepti ſunt. Sed, quod ex iſtorum conſpectu Indi remouerant & abſcondiderant, longè vberius erat. Primi iſti poſſeſſores tot bonis aucti euaſerunt, vt ferri loco, caballorum ſuorum pedibus ſoleas ex argento puro induerent. Pro vno vini cantharo Indi illis vltra 300. coronatos adnumerauerant, & his ſimilia plurima fecerant. Quæ etſi quidē commenti ſpeciem habere videantur, omnia tamen ſunt quàm veriſſima & atteſtatiſſima.

Aurum illis in locis tribus ferè modis ſeparatur & conficitur: quos tamen omnes non frequenter vidi egomet. Nam aliud granorum ſpecie in puluere & ſcopulis inuenitur. Et hoc, auri palas ſeu fragmenta vocant, quod ſolidum, nullique alij metallo confuſum, ita

legitur. Id nec liquari, nec igne depurari opus habet, ſed eſt ex ſe puriſſimum. Ideò autem auri eæ particulæ grana vocantur, quia plerunque ſeminum melonum aut cucurbitæ molem adæquant. Et hoc
Iob.28. eſt, quod Iobus ait: Glebæ illius aurum. Maſſulæ tamen nonnun-
„ quam grandiores quoque inueniuntur: quales mihi videre contigit, aliquot libras omninò appendentes. Et hæc eſt illa auri perfectio &
Plin.lib.3.c.4. nobilitas, ſicut Plinius ait, quod ſolum ita purum & inadulteratum reperitur. Id quod ſimiliter Metallis aliis non accidit. Omnia etenim cruda ſunt, & ſpumantia, atque vt beneficio ignis depurentur, neceſſe habent. In India argentum vidimus, velut Eſcareham. Fragmenta quoque argenti in India conſpeximus integra, quæ Papas vocant. Granorum horum aureorum pauca reperiuntur, ſi ad aurum cæterum conferantur. Aurum è ſcopulis ſaxiſque dictum, vena ſeu minera eſt, ex ſcopulis ſaxiſque eruta. In fodinis Carumanis iuxta Salinas lapides grandes vidimus, totos auro perfuſos. Eorum nonnulli vna parte aurum, altera ſaxum erant. Iſtiuſmodi aurum in puteis, ſæpè, ipſiſque fodinis, ſuas venas non ſecus ac argentum habentibus, reperitur. Cuius tamen præparatio difficilior eſt.

De modo id aurum præparandi, quod ex lapidibus eliquatur, Agatarchides libro hiſtoriarum quinto de lacu Erythreo ſeu mari rubro commentatur, ſicut id Phocio in ſua Bibliotheca meminit. Idem reges olim Ægypti quoque facere ſueuerunt. Et quidem, res admiratione digna eſt, illud, quod memorat, cum iis, quæ de præparatione auri argentíve dicta ſunt, ita præcisè conuenire & quadrare. Auri pars maxima ex puluere ſeu arena ex fluminibus eiecta, aut ſuperfluentibus diutius aquis irrigata, conficitur. Indiæ ſiquidem flumina huiuſce auri admodum feracia ſunt. Ex eorum numero eſt Taius in Hiſpania; Pactolus in Aſia: & Ganges in Orientali India: quæ omnia iam apud vniuerſos nota celebrantur. Quod nos quidem aurum in puluere & arena repertum nominamus: id illi ramenta auri vocitant. Et huius è fluminibus extracti, iſto tempore copia omnium maxima erat. In fluentis Inſulæ Spaniolæ, Cubæ, & Puerto Rico, auri quoque magna vis alitur. Sed id tum propter indigenarum inopiam, tum & ſeparationis difficultatem, inde in Hiſpaniam exigua copia infertur. Non minor eius quantitas in regno Chile, ac Quito, Granataque noua reperitur. Omnium verò nobiliſſimum ac pretioſiſſimum aurum in prouincia Peruenſi Carauaya, & in Chile Valdiuia reperitur. Eius enim (vt vocant) Alloij ſummum eſt, nonnunquam 23½. Carat, nonnunquam plures appendens. Quin & quod in Veragua eſt, præſtantiſſimum habetur. Sed & ex Philippinis & China auri quamplurimum in Mexico importatur, leuiores tamen cenſuræ, probæque. Aurum quoque aliquod argento Cuproque permi-
Plin.lib.3.c.4. xtum reperitur. Et Plinius expreſsè tradit, nullum vſpiam aurum ita exquiſitum purumque reperiri, quod argenti nihil ſibi commixtum habeat.

habeat. Aurum quoque, quod argento permixtum eſt, eo, quod cupri mixturam habeat longè pauciorum carat putatur. Quod verò quintam partem argenti accepit, id pro Plinij ſentẽtia verũ electrum eſt: quod ad ignem tum auro tum argento puriſſimo longè clarius ſplendet lucetque: licet aurum ex cupro pretioſius ſit & præſtantius. Quod in ſabulo arenisque aurum legitur, tam diu abluitur, dum arena, argillaq; vniuerſa ſeparata, aurum propter ſui grauitatem in fundum vergat. Sed idem hydrargyro quoque, aut aqua forti diſſeparatur. Alumen ſiquidem, ex quo aqua illa confit, ſeparandi à cæteris metallis auri facultatem certiſſimam ſibi connatam habet. Aurum ergò hoc modo ſegregatum, & in placentas fuſione concinnatum, in Hiſpaniam deinde conuehitur. Illud enim, quod arenis pulueriq; adhuc conſertum hæret, ideò ex India afferri non poteſt, quia incertum eſt, quo pretio in telonio redimi debeat. Ex ſingulis enim quinis Marcis regi vna appendenda eſt: quæ quantitas certè, niſi in depurato auro, præciſè æſtimari nunquam poteſt.

Plinius ſcriptum reliquit, Hiſpania nullam vſpiam regionem auri feraciorem eſſe, comprimis verò Gallicia & Luſitania. Quibus tamen omnibus prouinciam Aſturie præferri ait, quæ quotannis auri 20000. pondo Romam miſit: cuiuſmodi quantitas in nulla vſpiam prouincia reperiri queat. His & liber Macchabæorum aſtipulatur, quo dicitur, eos diuitias ſuas vniuerſas ex Hiſpaniæ auro argentoque collegiſſe. Hiſpanicæ verò opulentiæ hodiè Indorum quoque opes accedunt: quod prouida Dei conditoris cura & ſapientia ita conſtitutum eſt, vt vna terra alteri ſubſidio veniret, ſuaſque ſibi mutuo diuitias conferrent & impertirent. Pretium auri eius, quod ex India in Hiſpaniam auehitur, numerari aut æſtimari minimè poteſt. Certiſſimum tamẽ eſt illud, ea ſumma, quæ quotannis ex Hiſpania Romam importata à Plinio dicitur, longè grandius exiſtere. In ea claſſe, quæ ex terra firma An. 1587. ſoluerat, qua & nos vehebamur, ciſtæ auro confertæ duodecim erant: quarum vna quælibet ad minimum quatuor Arroborum pondus continebat. Vnum autem Arrobum libris 25. conſtat. Ex noua Hiſpania marcæ auri 1156. auectæ ſunt: quæ omnes Regi addictæ erant: excepta ea ſumma, quam quiſque priuatus ſibi corraſerat, in tabellas publicas non relatam. Et tantum de Auro Indico. Nunc ad argenti conſiderationem deinceps deſcendamus.

Lib. 3. c. 4.

1. Macch. 8.

Cap. V.

De Argento, quod India promit.

Iob.28. IN Iobi libro ſcriptum legimus hoc modo: Habet argentum venarum ſuarum principia: & auro locus eſt, in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur: & lapis ſolutus calore, in æs vertitur. Quibus verbis vir ſanctus naturam proprietatemque quatuor principum metallorum, vt auri, argenti, ferri, cuprique admodum graphicè perſpicueque deſcribit. De locis quidem, quibus aurum naſcatur, præcedenti in capite abundè ſatis diximus; quod nimirum in præruptorum montium ſcopulis & rupibus, infra terram reconditis, inueniatur: vt & in fluminum ſabulo, ijſque arenarum cumulis, quos torrentes ex montibus deturbarunt: ſicut hæc Indorum opinio vulgatiſſima eſt. Ex plebe multis vel dum hodiè perſuaſum eſt, aurum à cataclyſmi tempore in montibus relictum manſiſſe, quod paſſim hodiè in fluentis & locis aliis reperiatur. Sed nos, vt conſtitutum eſt, hoc iam loco de argenti ſaltem venis narrationem inſtituimus.

Primum autem id eſſe ratum apud omnes volumus, quod argentum inter omnia metalla ſecundum locum omnino obtineat, & quod ab auro proximum ſit: quodque durabilitate metalla cætera omnia poſt ſe relinquat; ideò comprimis, quod de ſua ſubſtantia ad ignis violentiam quam minimum deperdat, & tractari in quaſlibet formas commodiſſimè poſſit. Impulſum argentum ſonitus claritate ipſum aurum ſuperat. Tum & colore lucem æmulatur, vt ſonitu penetrantius & ſuauius eſt. Sed & loca certa definitaque ſunt, quibus argentum auro longè præſtantius cenſetur. Veruntamen cum auri minor quantitas ſit, idque multò parciore menſura ab ipſa natura diſpenſetur, iſto veluti argumento auri præſtantia meritò concludi debet: etſi alicubi quoque terræ (ſicut de China narratur) reperiantur, quæ aurum facilius & copioſius, quam argentum, porrigant. In genere tamen argenti copia maior vbiuis reperitur. Porrò autem Indiam Occidentalem, ſapientiſſimus mundi architectus, tam ingentibus & opulẽtis diuitijs, cumulauiſſe videtur, vt vniuerſa illa, quæ tum veteres tum recentes hiſtoriæ de Hiſpanicis argentifodinis prodiderunt, cum huius regionis diuitijs conferri non poſſint. Nam eius fodinæ paſſim in teſquis, ſyluis, montanis, & collibus ſe offerunt. Tum & in planis terræ argentum erutum eſt.

Argentum verò omne duorum generum eſt. Vnum ſeparatum, alterum verò ſuis venis & ductibus cohærens vocatur. Separatum, argentum, fragmenta ſeu portiones eæ dicuntur, quæ ſeparatim in certis locis eruuntur. Ad quarum terminos ſi ſemel deueneris, eius ibidem

ibidem nihil reliquum inuenias. Continui verò ductus venæque ſuis propaginibus ſurculiſque tum per longitudinem tum profunditatem, terræ perreptant, non ſecus ac in arbore rami, maiores minoreſq; quoquo verſum ſeſe diffundunt & diſijciunt. Surculorum horum quocunque loco vnum repereris, ei quam proximè alium quoque coniunctum eſſe, certò credere poſſis. Indi effoſſum argentum præparaturi, illud primò eliquant funduntque hoc modo. Vniuerſam maſſam igni imponunt, vt liqueſcat: ſpumam interim eius excutientes. Hoc ingenio argentum, à plumbo, ſtanno, cupro, rebúſque permixtis alijs omnibus emundant purgantque. Hanc verò in rem ſingularia quædam inſtrumenta, ceu fornaculas, extruunt, in quas ventus vbertim irruere queat. Fornacibus verò ligna carbonéſque ingerunt. Et hæ in Peru Guairas nuncupari ſolent. Poſtquam verò Hiſpani rerum potiti ſunt, cæperunt argentum (quanquam & ipſi eliquationibus adhuc interdum vtantur) adhibito hydrargyro ſeparare: qua arte plus argenti colligunt, quam eliquando fit. Metallũ verò nonnullibi argentiferum offertur, quod nec vi eliquationis, nec beneficio hydrargyri expurgari poſſit. Et hoc plerunque metallum crudiſſimum & abiectiſſimum eſt, cuiuſmodi ibi copia non infrequens offertur. Ex huius maxima mole, argenti pauciſſimum colligitur: ſicut ex huic oppoſito quamplurimum aufertur.

Admiratione autẽ id omnino dignũ eſt, quod ex vno metallo vi ignis, ex altero verô vi hydrargyri, citra beneficium ignis argentũ extrahi poſſit. Sed & hoc mirabile obuenit, quod ex nõnullis metallis, quæ igne extrahenda ſunt, argentum vento non factitio, ſed omnino naturaliter flante elici poſtulet: adeo, vt follium nullus in hoc opere vſus ſit, cum metallũ ijs inflatis minimè eliquetur. Contra, metalla nõnulla ſunt, quæ vento follibus facto promptius fundantur: cuiuſmodi illa ſunt, quæ ex fodinis in Porco eruuntur. Ex Potoſi vero fodinis prompta, follibus adhibitis, minimè liqueſcunt: ſed vento eo opus eſt, quem requirunt Guairas: quæ fornaculæ ſunt, in deſcenſu montium vento ita aduerſæ, vt eo afflari queant. In iſtiuſmodi enim focis metalla diſſolui ſolent, quos neceſſitas vſibus humanis ita promulgauit. Sed & aliæ innumeræ artes, metalla iſtiuſmodi ſoluendi, diſtinctis temporibus, excogitatæ ſunt: quarum nonnullas in ſequentibus trademus. Quæ argentum loca in India promant, præcipua ſunt Hiſpania noua, & Peru. Sed & ex his Peruenſes montes nobiliores ſunt. Potoſienſes autem omnium in vniuerſo orbe præſtantiſſimi ſunt. Ideoque de iſtis priuatim paulò fuſius tractaturi ſumus.

Cap. VI.

De Potoſi montanis: & de eorum primo inuentore.

CELEBERRIMA Potoſi mõtana, in prouincia Charcas regni Peru, verſus æquinoctialẽ circulũ ad partem auſtralem, aut iuxta polum Antarcticum ſub gradu 21½. ita ſita & cõſtituta ſunt; vt ſub Tropico extremos Zonæ torridæ fines attingant. Iſte verò tractus admodum frigidus exiſtit: vt qui veterem in Hiſpania Caſtiliam, aut Flandriam frigore exuperet. Quamque pro poli ratione meritò temperatior, & aliquantò calidior eſſe deberet. Hanc verò illius frigiditatem, tum loci alta conſtitutio, tum ventorum frigidorum & intemperatorum (ibi Tomohaui dictorum) perpetua perflatio cauſatur. Venti hi rigidiſſimi & gelidiſſimi mẽſibus Maio, Iunio, Iulio, & Auguſto potiſſimum dominantur. Tum & natura ſua ſicciſſimi & moleſtiſſimi, impediunt, quo minus illis locis aut herbæ aut fructus enaſci poſſint. Vnde etiam factum eſt, vt tum propter cæli ſummam intemperiem, tum ſoli omnimodam ſterilitatem ibi vigentem, ab hominibus penitus deſerta & deſolata diu ſteterit. Nunc verò argenti (quod omnia allicit) virtute eô homines protracti ſunt, vt in monte iſto oppidum grandiſſimum & populoſiſſimum condiderint, quod rebus omnibus ad vitam neceſſarijs, vt fructibus, conſeruis, vino præſtanti, frugibus, ſericis pannis, veſtibus & ornatibus alijs, cumulatiſſimè iam abundat, aliunde tanta copia inuectis illatiſque, vt circa oppidum vniuerſa ea enata eſſe, multi credere poſſent.

Montanæ terræ natiuus color, ſubrubeus eſt, tincti tabernaculi aut pyramidati ſacchari faciem è longinquo exhibens. Mons ipſe admodum præceps, cæteris vicinis omnibus editior eſt: cuius aſcenſus difficilimus eſt, etſi equis in illũ aditus pateat. Faſtigium eius acutiſſimum eſt. Radix autem milliaris vnius latitudinem habet. A ſummo montis vertice ad radicem cubiti 1624. in Hiſpania vacas ſeu virgæ dictæ, numerantur. Quæ altitudo ſi ad menſuram Hiſpanicam referatur, milliaris partem quartam conſtituet. Ad radices huius montis, alius etiam minor, ab illo ceu enatus, viſitur. In hoc olim fodinæ metalli ſolitarii celebres erãt: cuiuſmodi vel dum hodiè adhuc velut in vidulo non venis adhærens, reperitur interdũ. Eæ fodinæ quondam ſatis opulentæ erãt. Monticulus ipſe, Guaina Potoſi, id eſt, minor ſeu iunior Potoſi dicitur. Ad huius montis baſim oppidum extructum eſt, commune tum Hiſpanis tum Indis diuerticulum, qui ex Potoſo eruendarum opum cauſa illûc confluxerunt. Oppidi huius ambitus duo ferè milliaria habet: & in eo negotiationes omnium in Peru maximæ agitantur.

Huius

Huius montis fodinæ olim ab Ingis (qui ante Hiſpanorum aduentum Peru imperitabant) ideò non terebantur, quia iuxta Potoſi, fodinam illam, quæ ad Porco ſex milliarium, interiectu colebatur, ſubruebant. Cuius rei hanc cauſam arbitror, quod de illa nihil compertum habuerint. Nec fabulæ illi à quoquam addicenda fides eſt, qua perſuadent: quod cum olim fodina illa ſuffodi cæpiſſet, vox quædam eruperit, & foſſores, ne montem, aliorum extraneorum commodis hactenus reſeruatum, vel extremo digito attingerent, admonuerit. Hiſpani, cũ iam duodecim annis integris in Peru habitaſſent, montanorum Potoſi opumq; in illis reconditarum ne tantillum quidem notitiæ habuerant. Cuius diuitiæ poſteà ſerioribus annis hoc pacto innotuerunt.

Indus quiſpiam, Cualpa vocatus, ex Chumbibilca, Cuſco regione oriundus, ſecundum ſolis occaſum feras aliquando, verſus montana ſe recipientes, ſectatus erat. Cum vero in aſcenſu progredi poſſet difficilius: arbore quadam, Quina dicta, prehenſa, cum ſe tractim promouere vellet, eandem radicitus euulſerat. Qua re viſa, cum rerum metallicarum peritus eſſet, venam ibi metalliferam inſignem ſubeſſe, ſuſpicatus eſt. Itaque cũ eam diligentius rimaretur, confeſtim fragmenta aliquot metallorum inuenit, quæ euulſę arboris impetus eruerat. Iſta tamen, quid eſſent, commodè nondum internoſci poterant, quia color eorũ tum à ſole, tum aqua iam obſcurior euaſiſſet. Eiuſdem metalli tamen portiones ſecum aliquot in Porco aſportauit, vt igne adhibito illius genus exploraret. Quo facto, mineram eam nobiliſſimam deprehendit. Itaq; furtim ſe frequenter in montem recipiens, quantum opus eſt, effodit, domique ſubinde liquat & hoc metallo tam diu negotiatur, dum res alij cuidam Indo Guanca dicto, & ex conuallibus Xauxæ ad fines ciuitatis de Los Royes ſitæ oriundo, ſuboleret. Prima autem ſuſpicio Guancæ hinc naſcebatur, quia Gualpa, inuentor, orbes argenteos maiores fundebat, quam ex metallis in illo confinio parari ſolerent. Tum & Gualpa domi ſuæ iam ſplendidius viuere incæperat, qui vitam tamen aliàs paupertinam agere ſolebat. Tandem & à Gualpa fuſa metalla, illis quæ in Porco à Guanca effoſſa erant, longè tractabiliora & generoſiora apparebant. Quibus omnibus ſecum trutinatis, ad ſecretum Gualpæ theſaurum expiſcandum, iam plena Guancæ libido ſurrexerat. Etſi vero viciſſim Gualpa id omni ſtudio ageret, vt hanc rem ſibi ſoli reſeruaret, neque cuiquam vnquam proderet: inſtantibus tamen Guancæ ſollicitationibus obtuſus victuſque tandem, ipſum ſecum in Potoſi montem abduxit, cum integro menſe ſolus mineræ poſſeſſor ante fuiſſet. Conuenit ergo inter binos iſtos, vt Guanca venam peculiarem, à Gualpa & ipſam inuentam, & alteri vicinam, ſectaretur. Ea vena hodiè Diego Centeno dicta, æquè ac altera opulenta, ſed tamen paratu difficilior extiterat. Hoc dimenſu bini iſti Indi integrum

Potoſi

Potoſi montem, ceu theſaurum inæſtimabilem inter ſe partiebantur. Progreſſu verò temporis, cum venam ſuam Guanca duriorem & intractabiliorem eſſe ſentiret: indignitate rei commotus, venæ, Gualpæ addictæ, omnino ſocius & particeps eſſe contendit. Gualpa vero acriter reluctante, cõtentio eorum eô vſque inualuit, vt Guanca rem omnem ad Villaroelem, Hiſpanum deferret. Is cum continuo in montem Potoſi ſe reciperet, diuitias pręſentes illas palàm ſpectauit, ſicut à Ianacona ſeu famulo ſuo edoctus erat. Guanca itaque illico in album relato, venam Centeno Hiſpanus cum ipſo deſcripſit & diuiſit. Deſcribere vero nihil aliud eſt, quàm ſpatium quoddam virgis definitum deſignare, quod iuris autoritate illis appropriatur, qui fodinarum aut inuentores aut ſuffoſſores ſunt: idq; hac de cauſa, quia ad iudicem ordinarium rem detulerunt. Ita ergo qui fodinarum domini conſtituuntur, eas ſuo libitu tractant: ſed ita tamen, vt quintam quamuis partem Regi dependere cogantur.

Prima, vt vocant, Potoſi fodinæ regiſtratio facta eſt die 21. Aprilis Anni 1545. in finibus Porco, per prænominatum Hiſpanum Villaroelem & Guancam. A quo tempore deinde alia quoque vena detecta eſt, quæ à Tin dicta, longè ditiſſima & opulentiſſima erat. Eius tamen præparatio admodum laborioſa exiſtebat, cum, quæ promeret metalla, ſilicum more duriſſima reniterentur. Eiuſdem anni die 31. Auguſti vena iterum alia Mendieta in album relata eſt. Et hæ quatuor venæ in Potoſo celebriores & opulentiores numerantur. De prima verò inuenta vena narrant, molem eius altitudine haſtæ, inſtar ſcopuli, è terra eminentis ſurſum exporrectam ſtetiſſe, ſpecie ferè pectinis, cuius altitudo 300. latitudo verò 13. pedum fuerit. Referunt nonnulli, venam hanc à cataclyſmi tempore ſic denudatam manſiſſe, duricieq; & ſoliditate ſua, impetuoſiſſimæ vndarum concitationi, fortiter reſtitiſſe. Huius venæ metalla tam proba & nobilia erant, vt ex parte media purum argentum præberent. Quin & vena ad 50. vel 60. orgias in profundum exporrigebatur, dum aliquantum deficere inciperet.

Hoc ergò modo fodinæ Potoſiẽſes detectæ & manifeſtatæ ſunt: quarum ſanè diuitias Omnipotens rerum creator pro immẽſa ſua & inexhauſta beneficẽtia in commodum Hiſpanorum vſq; ad tẽpora Caroli V. Romanorũ Imperatoris & Hiſpaniarũ Indiarumq; Regis, reconditas & abſtruſas latere clemẽter voluit. Repertæ huius tam diuitis & opulentæ in Potoſi venæ, cum nuntium in Peru allatum fuiſſet: Hiſpanorum quamplurimi, præcipuè verò de La plata accolæ, à Potoſi interuallo 18. milliarium diſtantes, continuò in Potoſi irruerunt confertim, vt venam hanc occuparẽt & eruerent. Eodem & Indorum multi ex prouincijs diuerſis, velut ſunt Guairadores in Porco, ſeſe receperunt, ita, vt perexiguo tempore, Potoſi oppidum in omni illo regno celeberrimum & populoſiſſimum fieret.

Cap.

Cap. VII.

De diuitiis theſaurisq́, ex Potoſi fodinis cum olim extractis, tum vel hodiè eodem loco erutis.

SÆPISSIME ambiguus obhæſi, an in vllis veterum hiſtorijs, de tam grandibus & inſignibus fodinarum diuitijs, quales hoc ſeculo in Peru eruuntur, quicquam traditum ſit. Et certè quidem, ſi vſpiam in vniuerſo orbe, opulentiſſimę fodinæ extiterunt, eaſdem aut Carthaginenſes, aut Romani in Hiſpania poſſederunt: vt quæ non Ethnicorum ſaltem annalibus, ſed ipſis quoque ſacrarum literarum commentarijs celebratiſſimæ & præſtantiſſimæ deprædicentur. Sed ex autoribus tamen omnibus, fodinarum nullus tam planam & euidentem mentionem fecit, ac ipſe Plinius, qui in naturali hiſtoria hæc verba habet: Argentum reperitur in omnibus ferè prouincijs: ſed in Hiſpania pulcherrimum. Id quoque in ſterili ſolo, atque etiam in montibus. Et vbicunque vna inuenta vena eſt, non procul inuenitur alia. Hoc quidem & in omni ferè materia, vnde metalla Græci videntur dixiſſe. Mirum adhuc per Hiſpanias ab Hannibale olim inchoatos puteos durare, ſua ab inuentoribus nomina habentes. Ex queis Bebelo appellatur, hodieque qui CCC. pondo Hannibali ſubmminiſtrauit indies. Ad mille quingentos iam paſſus cauato monte, per quod ſpatium Aquitani ſtantes diebus, noctibuſque egerunt aquas lucernarum menſura, amnemque faciunt. Hæc ipſiſſima Plinij verba ſunt, adducta à nobis hanc ob cauſam, quod perſuaſum habeamus, metalli fodinarum gnaros ex illis magnam ſanè voluptatem captaturos, dum intelligant, quo ordine modoque hodie ſingula aguntur, priſcis quoque ſeculis pariter ea vſitata fuiſſe. Illarum tamen fodinarum, quas Hannibal in montibus Pirenæis inuenit, quaſque deinde Romani vſque ad Plinij tempora (quod interuallum 300. ferè annorum eſt) poſſeſſas eruerunt, opes longè potentiſſimas fuiſſe, neceſſe eſt. Illarum enim profunditas 1500. paſſuum, id eſt, milliarium Hiſpanicorum duorum erat.

Plinius lib. 33. cap. 6.

In principio tanta earum largitas fuerat, vt, quibus aſcripta dominis eſſet, illis in dies 300. pondo, (pondo autē 12. vncijs conſtabat) elargiretur. Quæ diuitiæ, etſi immenſiſſimæ quidem æſtimationis ſint: noſtro tamen iudicio cum Potoſinis vel in minimo non comparari queunt. Ex libris enim Regijs, in domo (vt vocant) contractionum aſſeruatis, tum doceri planè, tum fide dignorum hominum teſtimonio confirmari poteſt pleniſſimè, quod à tempore Licentiati, Polo vocati (quod tempus à prima fodinæ inuentione admodum ſerum erat) ſingulis ſeptimanis quintarum loco 150000. Peſos, vti ap-

pellant, nonnunquam & 200000. conſignati & numerati fuerint. Quæ ſumma, quotannis millionem vnam cum ſemiſſe, ad minimum conſtituit. Conſequenter ergò pro dictæ ſupputationis modo ex prænominata fodina indies circiter 300000. Peſos proueniunt: ex qua ſumma regi quintarum vice 6000. Peſos in dies penduntur. Sed, quod ad inſignes Petoſi diuitias augendas facit, id quoque concurrit, quod ſupra dicti prouentus ex ſola argenti appenſione capiantur. Iam verò in Peru nemo quiſquam eſt, qui ignoret, quod iam à bene longo tempore in iſto regno argentum, quod ſignatum eſſet, à vectigali ſemper immune manſerit: adeo vt ex omni illo argento, quod Potoſi profert, vix tertia, aut dimidia pars quintarum loco regi ceſſerit.

Sed & verba Plinij nobis attendenda ſunt, qui teſtatur, quod in Bebelo ad mille quingentos paſſus montem excauarint, per quod omne ſpacium aquas cõtinenter egeri oportuerit: quod impedimentum fodinarum omnium grauiſſimum eſſe ſolet. In Potoſi autem etſi mons ad 200. æſtados ſeu orgias excauatus quidem eſſet, aquas tamen in iſta profunditate regurgitantes nullas attigerunt, quod pro maximo beneficio ducẽdum erat. Fodinæ etiam, in Porco notæ, hodiè propter influxam aquam non continuãtur, ſed deſertæ linquuntur. Nam & ſolidiſſimas ſimul cautes pertũdere, & iugem vndarum illuuiem egerere, res duorum maximorum & moleſtiſſimorum laborum eſt. In ſumma, ex argenti Potoſi eruti, vectigali, Rex quotannis vnam ad minimum millionem colligit: vt de hydrargyro & cæteris bonis obſileſcam, ex quorum æſtimatione quotannis cenſum facit vberrimum & ditiſſimum.

Rerum nonnulli & actorum peritiſſimi affirmare non dubitant, quod quantum quintarum loco à primo vſq; ad 74. annum (in quibus tamen non omnia ita exquiſitè æſtimata ſunt) ex Potoſi collectum, in arcã regiam immiſſum eſt, vno numero 76. milliones conſtituãt: & quod iterum ab anno 74. vſq; in annũ 85. in illas inditũ eſt, 35. milliones, reddat. Sic ergo omnis ſumma, ab anno 74. vſq; ad annũ 85. collecta, 111. milliones, Ghceſſa Veerde Peſos promit, ſicut ex tabulis regijs videre eſt. Peſo autẽ 13. vocatos Regales & eius monetæ partẽ quartam appendit. Et in omni tamen iſta ſumma, eius non meminimus argenti, quod quintarum iure eximitur: aut quod in alias regis ciſtas alibi conditum: aut quod in vſus quotidianorum commerciorum ſignatum, ſine vectigali liberum teritur. Nam & horũ connumerata ſumma, quantitatem exprompti argenti immẽſam conſtitueret. Et hæc ſupputatio prænominato anno ad Viceregem ita tranſmiſſa eſt. Noſtro, quo in Peru morabamur, tempore fodinæ adhuc largiores vigebant. Nam ea, qua anno 87. ſolueramus, naui, ex Peru & Mexico 11. milliones vehebantur, quæ ex dimidia parte regis erant. Et harum duæ tertiæ in Peru indebantur.

Hæc

Hæc ergò ſigillatim ita percenſere nobis allubuit, vt ex ijs intelligeretur, quanta potentia ſummus Deus Hiſpanorum regem cumulauerit: in cuius vnius capite tot coronæ, tot regna incumberent. Singulari enim Dei prouidentia India Orientalis Occidentali vnita coiuit, vt nimirum hoc pacto eius ſceptrum vniuerſum mundi ambitum moderaretur, & in vnam quaſi communionem populos tam diuerſos cogeret.

Cap. VIII.

Quomodo artéve Potoſi incolæ metalla effodiant.

BOETIVS, quo loco in fodinarum primum inuentorem inuehitur, eleganter hæc verba edidit:

Heu primus quis ille fuit,
Auri qui pondera tecti
Gemmasq; latere volentes
Pretioſa pericula fodit.

Pretioſa autem ideo pericula dicit, quia labores & pericula, quibus metalla, ab hominibus tantoperè æſtimata, eruuntur, maxima & præſentanea ſunt. Plinius quidem autor eſt, Italiam metallis copioſiſſimis opulentiſſimam fuiſſe: maiores tamen, vt effoderentur, & in apricum efferrentur, ideo prohibuiſſe, vt hoc nimirum pacto miſellæ plebis ærumnæ minuerentur. Romam vero metalla ex Hiſpania inferebantur ab Hiſpanis vectigalibus, qui tributi loco fodinas eruebant. Nunc quæ olim Hiſpanorum cum Romanis: eadem hodiè Indorum cum Hiſpanis ratio eſt. Etſi vero nullo dubio metallorum in Hiſpania magna vbertas ſit: eorum tamē non admodum impenſam curam habent. Tum & illa ſuffodi ideò non eſt licitum, quia, quæ damna illud inſtitutum conſequantur, omniū oculis expoſitum proſtet: comprimis vero hanc ob cauſam, quoniam ex India diuitiæ multò vberiores aduehuntur, quæ tum ſumptu leuiore, tum labore periculoq; longè minore eruuntur.

Potoſi montana quatuor primarijs venis inſignia ſunt, ſicut in ſuperioribus dictum eſt: nimirum diuite, Centeno, Tyri, & Mendieta. Sed vniuerſæ hæ in montis parte Orientali conſtitutæ ſunt. Verſus occaſum, ſolum venarum ſimilium omninò ſterile eſt. Venæ autem Orientales verſus aquilonem & auſtrum exporriguntur, à polo vno ad alterum extenſæ: quæ quo loco diffuſiſſimæ ſunt, pedum ſenorum: quo verò anguſtiſſimæ, ſpithamæ vnius latitudinem habēt. Præter has autem aliæ quoque diuerſæ, ex illis, ramorum inſtar in arbore, enatæ reperiūtur. Vena quælibet definitos ſuos exporrectus, & quaſi diſtinctas partes habet: quarū ſinguleę priuatim ſuis poſſeſſorib. ac dominis aſſignātur, ſecudū quos etiā peculiaria nomina ſortiūtur.

Fodina omnium maxima 80. Vacas ſiue virgas habet: præter quam menſuram iura nemini ſpatium latius concedunt. Minima quatuor virgis conſtat. Fodinæ autem indies profundius excauantur. In diuite vena fodinæ 78. numerantur hodiè: quarum profunditas alicubi 180. nõnullibi etiam 200. æſtados ſiue orgiarum eſt. In Centeno minera fodinæ 24. conſpiciuntur, 60. aut 70. orgias plerunque profundæ. Et hæc ferè omnium in Potoſi fodinarum ratio eſt.

Ad terram è profunditate fodinarum facilius & commodius egerendam, excogitarunt Socabones, id eſt, ſcrobes ſeu foramina, quę inferius in latere quodam montis tranſuerſim pertuderunt, vſque ad ipſam mineræ ſedem pertingentia. Cum enim venæ, quæ auſtrum aquilonemque ſpectant, è ſupernis deorſum vergant, tum certè ductus eorum vſq; ad radices montis proſequi oportet: quæ profunditas, vt autumant nonnulli, 1200. æſtados ſeu orgias habet. Porrò, etſi quidem fodinarum ea profunditas ſit: ſpatium tamen in circuitu ſextuplo maius ambiendum eſt, priuſquam ad ipſam montis baſim deueniatur, quam diuitijs ingentibus dotatam, ſicut de minerarum omnium principijs notum ſit, prædicant. Contrarium tamen ipſo euentu & opere experiri eſt. Nam ſemper, quô altiores & editiores venæ repertæ ſunt, eo ditiores fuerunt. Contrà, quanto profundius merſæ deſcenderunt, tanto tenuiores & pauperiores factæ ſunt. Ad mineras ergo tum labore, tum ſumptu periculoq; minore effodiendas, tandem Socabones inuenerunt, per quas tum ingreſſus tum egreſſus facilis expedituſque datur. Harum latitudo 8. pedum eſt: altitudo vero ſtantis viri menſuram habet paulò maiorem. Hæ obiectis quoque foribus reſerantur aut occluduntur. Ex his metalla vniuerſim omnia facili labore egerũtur: quorum pars quinta Socabonum dominis appendi aut numerari ſolet. Olim Socabones nouem extructæ erant: & ſubinde nouæ adduntur. Harum vna, Feniin dicta, ad venam diuitem procurrẽs, ſpatio 29. annorum abſoluta eſt. Nam anno 1556. à prima autem inuentione vndecimo incepta, vix dum 11. April. An. 1585. extremam manum ſortita eſt. Socabon iſta ad venam diuitem gradibus 35. pertingit. Interuallum à ſummitate ad imum, id eſt, ab eo loco, quo Socabon venis vnitur, vſque ad mineræ ſummam altitudinem, 135. orgiarum eſt. Quæ omnis profunditas in quærendis mineris perrumpenda eſt. Socabonis vniuerſa meta ab introitu primo ad ipſam vſque mineram, quæ via tranſuerſa dicitur, Hiſpanicas Vacas ſeu virgas 250. habet: quo in opere, ita conſtituendo, anni dicti 29. integri inſumpti ſunt.

Ex quibus omnibus iam cuilibet videre facile eſt, qui labores ab operarijs impendantur, priuſquam ex interaneis terræ argentum in apricum efferant. Qua quidem in re id quoque comprimis moleſtum eſt, quod ſub terram quaſi in perpetuas tenebras defoſſi, operas ſuas conficere cogantur, nec ſcire poſſint, qua hora vel dies ſit, vel

nox incumbat. Cumque ad penita illa terræ ſoli nullus vnquam ac-
ceſſus ſit: non ſaltem in iſtis tenebris quaſi conſeneſcendum eſt, ve-
rùm & aura gelida, grauiſque, naturæque hominum aduerſa, ſub-
inde inſpiranda offertur. Quo fit, vt, qui recens iſtis operis adhiben-
tur, vel tractandis vel ſpectandis, affectu quopiam, nauſeæ marinæ
ſimili corripiantur, ita, vt vel nolentes ad vomitum compellantur.
Id vel noſtro teſtari exemplo queamus. Qui in fodinis operantur, iu-
giter ardentib. candelis vtuntur, ſed & operas ita inter ſe partiũtur, vt
nonnulli interdum, alij noctu ſuffoſſioni vacent: qua viciſſitudine
etiam quietem ſomnumque captare ſueuerunt. Quæ eruuntur me-
talla, pleraque duriſſima ſunt, adeo, vt inſtrumentis ferreis contuſa
cõminui opus ſit. Fracta & comminuta, dorſis imponunt, & in hãc
rem paratis ſcalis aſcendentes, foràs efferunt. Scalæ autem tribus ex
corio bouino contortis funibus conſtant: quibus tranſuerſi baculi,
graduum ſpecie inſeruntur aut ſuffiguntur, ita, vt duo inuicem oc-
currentes, commodè ſibi cedere queant. Scalarum quælibet 10. or-
giarum longitudinem habet. Eius extremis alia ſubindè connecti-
tur. Ad ſcalarum latera, nonnullibi ſcamna ex ligno confecta, aſcen-
dentibus quieturis extructa ſunt. Cuiuſlibet baculi mẽſura duorum
Arroborum eſt. Hoc pondus veſte, de pectore religata, geſtant: terni-
que ex ordine ſeſe ſemper inſequuntur. Eorum primus cereum ar-
dentem in pollice deligatum præfert, vt lucem tum ſibi tum binis
ſocijs præſtet. Sicut enim diximus, cæli nullus fulgor eò penetrat.
Scalis manibus correptis, ſeſe ſedulo firmant ſuſtinentque, cum ea
profunditas immenſa horrendaq; ſit. Nam orgiarum. 150. interdum
altitudinem exſuperant: quæ res vel obiter ſaltem contuenti horro-
rem incuteret. Plurimos autem auri cupido ad tam ærumnoſas ope-
ras incitat. Qua de re Plinius tradens, ita ſcripſit: Imus in viſcera ter- *Plinius in præamb. lib. 33. c. 4.*
ræ: & in ſede manium opes quærimus. Idem in eodem libro ait: La-
bores in extrahendis metallis Herculeos obeunt aut Gigantæos. Cu- “
niculis per magna ſpacia actis cauantur montes ad lucernarum lu- “
mina. Eadem menſura vigiliarum eſt, multiſque menſibus non cer- “
nitur dies. Sidunt rimæ ſubito, & opprimũt operarios. Et paulò poſt: “
Sæpius cædunt fracturas CL. libras ferri terram agentibus, egeruntq; “
humeris noctibus ac diebus per tenebras proximis tradentes, lucem “
nouiſſimi cernunt. Hactenus Plinius. Etſi verò, vt hiſtoricus, iſthæc “
tradiderit: nõ ineptè tamen ſtatui poſſit, eum de his temporibus ap-
primè verè vaticinatum eſſe, & futuros euentus nobis quaſi digito
commonſtraſſe. Huic & Phocion correſpondet: qui ad Agatarchi-
dem ſcriptis explicat, quam ærumnoſos & ſiſyphios labores Criſij in
auro egerendo parandoque ſuſtinere cogantur. Vndè non minus
eleganter ab autore ac verè dictum eſt, aurum argentumque, dum
egeratur, multò plus laboris periculique, quàm cum poſſidetur, vo-
luptatis parere.

Cap. IX.

De metallorum ſeparatione & præparatione.

MINERÆ, quibus, vt dictum eſt, argentum promitur, plerunq; intra duos ſcopulos, Caſſe nominatos, procurrunt: quorum alter ſubinde ita durus eſt, vt cum quouis ſilice certare queat. Alter verò perpetuò mollior & fragilior exiſtit. Per horum media ſpacia metallum venarum ritu porrigitur, quamuis vbique nec ſimili mole, nec æquo ductu. Aliis enim in locis vena admodum craſſa diueſque profluit, quæ tum Caçilla ſiue Tacana vocatur, quæ argenti quantitatem magnam largitur. Alibi eadem conciſior, minus argenti præbet. Metallum, quod diues dicitur, hiſce in montanis ambræ colorem refert. Aliud verò magis nigricat: vt viciſſim aliud roſæ, aliud cineris ſpeciem coloremque exhibet. Et, vt vno verbo dicam, eius varij diuerſiq; colores ſunt, adeò vt rerum imperitis & ignaris meri lapides videri poſſint. Illud autem à foſſoribus ex puncturis, venulis, ſigniſque aliis commodè internoſcitur, an probum ſit. Quicquid metalli ex fodinis eruitur, id vniuerſum oues Peruanæ (quibus equorum mulorúmve vice vtuntur) ad molas proferunt. Metallum quod pretioſiſſimum eſt, in fornaculis iſtis, quas Guairas vocant, liquatur. Et hoc vt facilius ſoluatur, Indi Sorochen iniiciunt, quod metallum plumboſum & admodum liquabile exiſtit. Spuma liquatione excitata per medium ignem deſcendit. Plumbum verò vnà cum argento ſoluitur, ita, vt argētum plumbo incumbat aut innatet tamdiu, dum ſenſim magis magiſque depuretur. Ex metalli Quintali, vi eliquationis nonnunquam 30. aut 40. interdum & 50. Peſos argenti eliciunt. Maſſa nobis quædam aliquando metalli donata eſt, ex cuius ſingulis Quintalibus 200. aut 250. Peſos eliquando extraximus. Quæ ſumma Hiſpanicas libras 100. conſtituit. Huiuſmodi verò fœcunda metalla, aut nunquam aut rariſſimè inuenire licet: crediq;, quæ diximus, difficilimè poſſent, niſi ipſiſſima experiētia eorum fidem ſtabiliret. Metalla tamen illa infrequentia ſunt. Quæ metalla viliora aut pauperiora ſunt, eorum Quintale quoduis, duos, ternóſve, nonnunquā quinos ac ſenos Peſos elargitur. Quodque tale eſt, plerunque duriſſimum ac ſicciſſimum, plumbi quàm minimum admixtum habet. Qua de cauſa ad ignem non æquè facilè liqueſcit. Sed & propter hoc ipſum in Potoſi vilioris iſtiuſmodi metalli copioſiſſimæ ſtrues congeſtæ, ceu inutiles & reiectitiæ abiiciebantur: dum hydrargyri tandem vi vſu cognita, paulatim & illud ipſum diſſolui cæpit. Qua arte cenſus maximus & opulentiſſimus factus eſt. Hydrargyrum enim ipſum argētum depurat emundatq;, ac incognita quadam abditaq; ratione ad ſolutionē ſicciſſimorum iſtiuſmodi metallorū momenti quam-

quamplurimum confert. Tum & ad horum, quàm præſtantiorum metallorum eliquationem hydrargyri minus inſumitur. Quo enim metalla meliora, eo hydrargyri plus abſumunt vorantque. Et hoc ſeculo vniuerſum propè argentum, quod in Potoſi, fodinisque Caçatecas, lociſque nouæ Hiſpaniæ aliis effoditur, hydrargyri ope depuratur.

Olim in montanorum Potoſi deſcenſu, & in faſtigij ambitu vltra 6000. Guairas, id eſt, fornaculas, fundendo argẽto extructas, & facularum aut cereorum modo de longo flagrantes numerare licebat. Quas qui de nocte è longinquo micare viderat, ſpectaculo non iniucundo afficiebatur. Hodiè nõ vltra 2000. Guairas ſuperſtites nouimus. Fuſionis ſiquidem ars nimiopere inuiluit, hydrargyro principatum ſibi tam ſplendidum vindicante. Cæterum, cũ natura visq; hydrargyri admirabilis ſit, omninoque digna, quæ attentius conſideretur in argenti depuratione: ideò deinceps de eius vſu & minera, quo pacto paretur, nonnihil trademus.

Cap. X.

De hydrargyri admirandis virtutibus & operationibus.

HYDRARGYRVM, quod & argentum viuum dicitur, quia viuam argenti ſpeciem refert, & quouis impetu ab vno loco in alium facilè mouetur, præ omnibus metallis priuatam quandam miramque naturam accepit. Primò enim, etſi reuera diſtinctum ſeparatumque metallum ſit, aliorum more tamen non conſiſtit & durum eſt, ſed liquatura potius quædam eſt, quocunque mobilis & meabilis. Nec vt argentum aurúmve, quod & ipſum ignis calore ſolutum liquor fit, quoquo verſum fuſilis: Sed hydrargyrum non aliena vi, verùm propria congenitaque id omnino præſtat. Quod etſi liquoris ſubſtantiã acceperit, cæteris tamen omnibus & ſingulis metallis grauius & ponderoſius exiſtit, adeò, vt metalla vniuerſa illi innatent, ac propter leuitatem minorem in fundum non decidant. In ollam quandam argento viuo refertam, duas ferri libras aliquando iniici ſpectauimus: quod ſuberis in aqua fluctuantis modo, obnatabat. Plinius tamen hic exceptione vtitur, affirmatque, vnum aurum *Plin. libr. 33. c. 6.*
in hydrargyro fundum petere, cum cætera metalla omnia in ſublimi natent. Cuius rei nos tamen experimentum nullum fecimus: & ob id Plinio obloqui piaculum ducimus. Nam & hoc verum nouimus, quod hydrargyrum ſecreto naturæ inſtinctu ac ſympathia aurũ amplectatur, & in ſuum quaſi ſinum recipiat. Quæ eius virtus ferè primaria eſt, vt miro quodam conſenſu auro adhæreſcat, & illud prompte penetret. Hydrargyrum, ſi vicinum ſibi aurum vel tantillum præſenſit, ad id ſe continuò mouet; nec hoc tantùm, ſed ei ſe adeò con-

ferte

ſertè implicat permiſcetque, vt eo plexu nudatum aurum, metalla alia, quibus permixtum erat, deponat & quaſi excutiat. Hac de cauſa etiam, qui ſe ab hydrargyri malignitate tueri volunt, auro vtuntur.

Nonnullorum hominum, morti mancipandorum, auribus argentum viuum inditum meminimus. Contra quod malum præſentius & generoſius remediũ nullum inueniri licuit, quã vt eorundem auribus maſſula auri inſereretur; quo factum eſt, vt eius vi hydrargyrum rurſus ex aurium cauernis extraheretur. Cuius ſignum in auro quoque euidens patebat. In extracto enim tandem auro, hydrargyrum vniuerſum adhæreſcere viſum eſt. Cum in Madrid animi gratia aliquando prodeambularemus, vt præclarum illud opus, quod Iacome de Trenæo, inſignis ex Milano artifex, apud S. Laurentium in Eſcurial, ſtruebat, conſpicaremur: accidit, vt eodem tempore partes quaſdam, ex Bronſo ſiue metallis factæ tabulæ ope hydrargyri inauraſſet. Huius verò vapor ſeu fumus, cum certiſſimæ malignitatis ſit: nonnullorum indicio cognoueramus, eos, qui circa opus illud tractandum verſarentur, contra vim illam argenti viui venenatam aureum, vt vocant, Dobbloen, prius in ſcobem exactè tritum, voraſſe: quod aurum in ventriculo obhæreſcens, omnem hydrargyri ſubſtantiam, tum auribus, tum oculis, ac naribus aut ore hauſtam, ad ſe prolectet & attrahat. Hanc enim vnam hauſti hydrargyri præſeruatiuam exiſtere: ita, vt quicquid illius in ventriculo ab auro attractum ſit: cum eodem citra noxam per ſeceſſum iterum egeratur. Quæ res ſanè admiratione non indigna videtur.

Porrò autem, ſi hydrargyrum ſua vi aurum depurauit, & permixta illi cætera, metalla diſgregauit: tum idipſum tandem ad ignem ab auro, ceu amico ſuo quoq; ſeparatur, quod deinde purum & omnino impermixtum remanet. Plinius affirmat, hydrargyrum arte quadam ab auro ſeparari ſolere. Sed eam his noſtris ſeculis in vſu eſſe, nõ meminimus. Tum & ipſos veteres hanc auri per hydrargyrum purandi notitiam habuiſſe, non arbitramur: quæ tamen ars hodie nobis vulgatiſſima ſimul & vtiliſſima eſt. Plinius quidem expreſſis verbis teſtatur, hydrargyrum metallorum nullum, præter aurum, amplecti. *Plin. libr. 33. c. 6.* Etſi verò geminorum iſtorum magna & admiranda familiaritas ſit: compertum tamen nobis eſt, deficiente aut abſente auro hydrargyrum quoque ad argentum moueri, & illud firmius amplecti, etſi non æquè promptè ac aurum. Quin imò idem argentum quoque à terra, cupro aut plumbo, quibus connatum adhæret, citra omnem ignis operam ſegregat depuratque: quo tamen iterum opus eſt, ſi ab hydrargyro argentum rurſus vindicandum & extergendum venit: de quo deinceps dicemus.

Præter aurum verò ac argentum, metalla cætera hydrargyrum nihil curat: ſed ſi eadem ſua præſentia penetrauit, quaſique perforauit, tum

uit,tum ſuo impetu defluit, & recedit, merita hominum admiratione. Hydrargyrum plerunque vaſis,aut teſtis, aut pellibus animalium aſſeruatur. Nam cætera vaſa omnia, ſiue ex ære aut ferro parata ſint, exedit pertunditque. Qua de cauſa id à Plinio, rerum omnium venenum appellatur: quod omnia conficiat, conſumat & deuoret. In ſepulturis nonnullis argentum viuum inuentum eſt, quod cadauera integra abſumpſerat. Idem in nonnullorum quoque hominum pecudumque cerebris ac medullis repertum ſcimus: quod halitus ſpecie naribus aut ore attractum primò, deinde oſſa & medullas vniuerſas peruaſerat. Tam maligni itaq; metalli tractatio ſuo periculo non caret. Sed illius & hæc peculiaris proprietas eſt, quod fuſum aut concuſſum in guttas ſæpè infinitas diſſeparetur. Quæ etſi minutiſſimæ ſint, nulla tamen earum perit facilè, ſed vniuerſæ continuo ſeſe recolligũt, & in vnam quaſi ſocietatem expeditiſſimè ſe deuinciunt. Vt eius duratione velut æterna putata, nihil ferè vſpiam occurrere videatur, à quo poſſit deſtrui & aboleri: vnde à Plinio quoque Liquor æternus appellatur.

Præter hanc autem dotem, vim & facultatem quoque aliam ſortitum eſt. Nam, etſi quidem hydrargyri ope aurum à cupro & metallis aliis ſeparetur: viciſſim tamen ad eadem vnienda & conglutinanda, ipſo omnino opus eſt: cum ad deaurandum id vnum commodum ſit. Natura porrò eius vel ex hoc mirabilis cenſenda eſt, quod, etſi quidem rerum omnium, quas mundus continet, grauiſſimum ac ponderoſiſſimum ſit, leui tamen momento in ſubſtantiam volaciſſimam leuiſſimamque conuerti poſſit, ſi nimirum in fumum abeat. Quem ſi omnino diſparuiſſe cenſeas: iam iterum deſubito illum in ſubſtantiam grauiſsimam conuerſum eſſe, cum ſtupore videas. Quamprimum enim fumus iſte, altius elatus in denſum quoddam & durum corpus impegerit, aut aërem frigidum attigerit, ex alto cõtinuo ſpecie formaque hydrargyri iterum decidit. Delapſum ſi iterum igni imponas, fumi illico ſpecie vaneſcet; qui ſuperius coactus, ſtatim recidet, & hydrargyrum vetus reddet. Quæ ſanè mutatio ac metamorphoſis, rei grauiſsimæ in leuiſsimam, & vice verſa, profunda admiratione omnino videtur digniſsima. Propter quam ſtupendam metallorum naturam, ſapiẽtiſsimus eorum creator meritò colendus & celebrandus eſt, qui cuilibet rei à ſe conditæ, priuatas ſuas vires & proprietates, quibus impulſæ pro ſemel inſtituto ordine citra moram & perplexationem omnem ſuo architecto parent, indidit & complantauit.

V Cap.

Cap. XI.

Quo loco argentum viuum effodiatur: & quod haud ita pridem huius metalli fodina opulentiſſima in Guancauilca retecta ſit.

REPERITVR hydrargyrum in certo quodam lapidis genere, ex quo etiam Vermellioen ſiue Cinnabaris, priſcis minium dicta, conficitur: Nam & hodiè imagines, ope hydrargyri in vitra cryſtallina depictæ, miniatæ appellantur. Minium ſeu Cinnabaris magno apud veteres in pretio fuit: adeò, vt colorem illum Sacratæ eſſe religionis affirmarint. Huius etiam Plinius meminit, dum ait, Romanos Iouis ipſius ſimulachri faciē diebus feſtis, triumphantumq; corpora minio illeuiſſe. Tum & in Æthiopia, nō ſimulachrorum ſaltem, ſed & procerum facies totas illo colore tingi ſolitas fuiſſe teſtatur. Idem inſuper tradit, Cinnabarin, quæ ex ſola Hiſpania, fodinarum iſtiuſmodi proma largiſſima, afferebatur, Romæ in tāta fuiſſe autoritate, vt publico interdicto nō liceret id in Hiſpania excoqui ac perfici: Sed, ne ibi fors diſtraheretur, venam ſignatam, vt extracta erat, Romam mittendam fuiſſe, vt ibi lauaretur & pararetur. Huius quotānis ex Hiſpaniæ Andaluſia ad dena millia ferè pondo Romam vehebantur: quā magni theſauri loco aſſeruauerunt. Et hæc ex prænominato autore adducere nobis volupe fuit, vt ex iſtis lector, quæ in Peru quoque hodiè fiant, facilius æſtimare queat.

Plin. libr. 33. c. 7.

Narrant, Ingas in Peru reges, & loci eiuſdem incolas, longo tempore in fodinis iſtis occupatos fuiſſe, etſi, quę hydrargyri vis & natura eſſet, compertum non haberent: Ex minera ſiquidem iſta nihil aliud, quam minium aut Cinnabarin (patria lingua Limpi vocant) quærebant, quam ad eaſdem ferè res, ſicut de Romanis & Ægyptiis percenſuimus, adhibuerunt, nimirum vt ſimulachrorum facies illa tingerent. Quod idem Indi quoque faciebant, in prælium egreſſuri. Sed nec hodiè vſus eius exoleuit. Feſtorū enim ac ludorum tempore minium vſurpant, quod Embixarſe appellant. Perſuaſum autem habēt, facies ſuas, hoc modo embixatas aut delibutas, hoſtibus maiori terrori & conſternationi futuras. Hoc fine in montanis Guancauilcæ, in Peru iuxta ciuitatem Guamanga ſitis, fodinarum inuſitatū quendam modum inſtituerunt, ex quibus hoc æs eruebant: quarum ea conſtitutio & ratio eſt, vt, ſi quis hoc tempore in vnam illarum Socabonum aut ſpecuum ingrediatur, viam relegere & inde ſe rurſus extricare haud facilè poſſit. Cæterum, ipſum hydrargyrum, cuius ſedes naturalis cinnabaris eſt, nō magni æſtimabant, nec rem talem in natura eſſe, primitus compertum habebant. Nec ea Indorum tantum, verum & ipſorum Hiſpanorum ignorantia erat, vt longo tempore

diuitia

diuitiarum ſuarum nullam notitiam haberent, dum tandem Peruani regni habenas Licentiatus Caſtro moderari cæpiſſet.

Cæterum hydrargyri fodinæ anno ſalutis noſtræ 66. & 67. primũ, ac hoc fere modo inuentæ ſunt: Quidam Henricus Garcees, natione Luſitanus, vir peritiſſimus, Indici huius Limpi, quo facies ſuas pingebant, particulam forte quandam nactus erat. Quam cum longa attentaq; inſpectione conſideraſſet, eam idipſum, quod Hiſpani Cinnabarin nominent, eſſe, liquido animaduertit. Ex quo collegit, eius originem neceſſario ex illo metallo pendere, ex quo hydrargyrũ paretur. Inſtituta ergo in ipſas fodinas profectione, cũ exquiſitiore examine omnia probaſſet, rem ipſam, vt animus præſagiuerat, conſtitutam deprehendit. Hoc ergo ingenio, cum fodinam Palcas in finibus Guamangæ detexiſſet: ad eam multi cõfertim homines migrarunt, qui hydrargyrum pararent, & in Mexico, vbi argentum hydrargyro ſubinde conficitur, importarent. Hoc itaque opificio multi paſſim breui tempore ditiſſimi facti ſunt. Circa Guancauillæ fodinas multi tum Hiſpani tũ Indi conſederunt, qui ſolius hydrargyri parandi cauſa eo migrarunt, quod illic copioſiſſime prouenit. Fodinarum tamen omnium, Amador Cabrera ſeu de Los Santos vocata, opulentiſſima exiſtit. Hæc autem nihil aliud, quam rupis ſeu cautes ſolidiſſima & duriſſima, hydrargyro quoquouerſum perfuſa eſt, tantæ molis, vt in longitudine 80. in latitudine vero 40. Vacas ſeu virgas Hiſpanicas occuparit. Hæc forma quadrilatera effoſſa, 70. æſtados ſeu Orgiarum profunditatem habet. Eius autem amplitudo tanta eſt, vt vno tempore 300. viros vna operantes, capiat. Minera hæc ab Indo quodam ex Amador de Cabrera oriundo, inuenta eſt: qui Maunicopa dictus, patriam Açoriam pagum habuerat. Amador itaq; ſuo nomini hanc fodinam inſcribi contendebat. Quod ægrius ferens Fiſcalis, litis actionem illi intenderat. Decreto tamen facto pronunciatum eſt, vt Amador inuentor, illius commodis omnino frueretur. Quam ergo is fodinam iure obtinuerat, eandem tandem 250000. ducatis vendidit. Poſteà, cum ſe in vendendo, dolo circumuentum prætenderet, contractu retractato, rem ad iudicem denuo detulit, fodinam eam 500000. Ducatis æſtimans: cum & nõnullis aliis videretur, eam millione vna minus vendi nullatenus debere. Adeo præter hominum fidem eſt, in fodinis iſtis tantas diuitias latere ſepultas.

Don Franciſco de Tolledo in Peru regnante, quidam Pedro Fernandes de Vellaſco, qui in Mexico aliquando egerat, prodiit, qui ibidem argentum vi hydrargyri ſegregari viderat. Is experimentũ ſimile facturus, cũ ſucceſſum felicem, votisq; reſpondentem aſſequeretur: cæptum eſt in Potoſi quoq; An. 1571. per hydrargyrum argentũ extrahi, quod eo ex Guancauilca importabatur. Quod inuẽtum quidem tum temporis admodum tempeſtiuum optatumque inciderat. Ex metallis enim, quæ vt nihili, in magnas & editiſſimas ſtrues congeſſerant,

geſſerant, ingens argenti vis extrahebatur. Nam, vt dictum eſt, hydrargyri opera illud quoque argentum promptiſſimè elici poteſt, quod in metallis etiam duriſſimis, nullaque ignis vi liquabilibus, conditum latet. Catholicus Hiſpaniarum Rex ex argenti viui fodinis ad minimum 400000. Peſos (quorum ſinguli 14. Regalibus aliquantò minores ſunt) colligit quotannis, licet impenſæ omnium maximæ fiant, & venæ non omni tempore æqualiter fœcundæ ſint: vt id hîc taceam, quod ex metallorum præparatione in Potoſi facta, acceſſorium exigitur, quod ſanè ſummæ non temnendæ eſt. Hac ex Guancauilcæ fodina ſingulis in ſe collatis annis ad minimum 3000. Quintalia hydrargyri eruuntur & egeruntur.

Cap. XII.

Qua arte & induſtria hydrargyrum extrahatur, eoq́ argentum deinde paretur.

IAM verò deinceps, quo modo hydrargyrum eliciatur, & eodem deinde argentum ipſum conficiatur, mentionem aliquam faciamus. Lapis itaque ſeu metallum, quo hydrargyrum conditum latet, probè tuſus & comminutus in ollam inditur: quæ obturata deinde igni apponitur. Eo ergo modo vi ignis à lapide hydrargyrum quaſi diuortium facit, & ſeparatur, ac calore in ſublime elatum, cum denſiori & ſolidiori corpori occurrerit, auramque frigidiorem ſenſerit, illicò quaſi deſtillat & deorſum ruit. Eo pacto prolecto hydrargyro, olla, quæ iam refrixit probè, reſeratur. Nam ſi ex calente adhuc olla hydrargyri fumus expirãs hominem vel leuiter afflauerit: tum aut illicò periturus idem, aut ad minimum dẽtes ſuos perditurus ſit.

Cæterum, cum ad metallorum ſolutionem ligni infinita copia opus eſſet: pro compendio huius faciendo foſſorum quidam Rodrigo le Tores, opportunè admodum herbam quandam ſeu fœnum ſubſtituit, quæ in montanis Peruenſibus vberrimè proueniens Icho vocatur, & ſparto (vnde corbes ficuum confici ſolent) quadantenus ſimile eſt. Hoc fœno ignis alimentũ continuãt. Mira tamen huiuſce herbæ vis, quam in eliquãdo præſtat ſingulariter, omninò attendenda venit. Nam & de auro Plinius ſimile quid narrat, quod flamma ex ſtramine ſuſcitata liquetur, cum tamen carbonibus ex optimo ligno ſuccenſis non ſoluatur. Solutum porrò eliquatumque hydrargyrum coriaceo ſacco (nam ſolo corio aſſeruari poteſt) inditur, & in Magaſynum ſiue munitionum Regiarum domos infertur. Hinc nauibus in Aricam, & porrò ouibus impoſitum in Potoſi deportatur. Eo loco, integro vnius anni decurſu 6000. aut 7000. hydrargyri Quintalia pro parandis metallis impenduntur abſumunturque, vt eius

eius quantitatem illam taceam, quæ ex ſordibus, quæ ablutionis primæ metallorum matrix aut ſedimentum ſunt, indies inſuper colligitur. Sordes huiuſmodi collectæ in fornacibus vruntur, vt, quod argenti viui retinuerunt, proliciatur & extrahatur. In terminis Potoſi & Tarapaiæ fornacum harum circiter 50. ſunt. Metallorum, quotannis paratorum quantitas, pro peritiſſimorum hominum ſupputatione 300000. Quintalia conſtituit. Ex ſordibus verò ac matrice ad minimum 2000. Quintalia hydrargyri excipiuntur.

Ex quibus omnibus videre licet, qualitates metallorum inter ſe admodum diuerſas & diſſentaneas exiſtere. Metalla ſiquidem nonnulla cum leui hydrargyri impenſa, argenti plurimum fundunt. Alia argenti ſimul multum largiuntur, & hydrargyri non minus abſumunt. Contrà, quæ parcius dant, minus requirunt. Penituſque, vt metalla ſe habent; ita metallarij negotij vel proba vel improba ſors, lucrumque aut iactura ſequi ſolet. Illud interim, vt vulgatiſſimum, ita certiſſimum eſt, quò metalla ditiora ſunt, eò plus hydrargyri requirere, & ſic vice verſa. Metalla in principio pilis mortariiſque hanc in rem paratis, minutiſſimè tunduntur. Poſteà cribris, ex filis cupreis intortis, tranſcolantur. Quibus ſi probè & induſtriè confecta ſint, horarum 24. ſpatio 30. ad minimum Quintalia tranſmitti poſſunt. Hoc modo colo metalla excreta, in amplum patentemque cacabum conijciuntur, ita, vt ſingulis 50. Quintalibus metalli, 50. Quintalia ſalis addantur. Quod hoc fine coadijcitur, vt pinguitudinem læuigati metalli natiuam abſumat & exedat; & ſic argentum ab hydrargyro facilius implicetur præhendaturque. Hoc facto, hydrargyrum per pannum canabinum exprimunt, vt roris aut ſudoris ſpecie in metalla fundatur. Interim metalla ſudibus probè ſubagitant, vt cum hydrargyro portiones ſingulæ exactè permiſceantur. Ante hanc artem inuentam, hydrargyrum cum metallo iugi ſubagitatione quaſi pinſebatur, ex qua mixtura deinde pilas grandiores, non ſecus ac ex argilla concinnabant, quas diebus aliquot relictas, obiter exiccabant. Eaſdem poſteà iterum pinſebant. Et hanc ſubactionem tot vicibus iterabant, dum hydrargyrum cum argento probè exquiſiteque commixtum cenſerent. Qua præparatione dies nonnunquam 20. ad minimum verò nouem conficiebantur. Hi poſteà à nonnullis edocti ſunt, quod maximam laborum partem adhibitus ignis illis demere poſſit: cum hydrargyrum, ipſum argentum facillimè amplexetur & arripiat. A quo deinde tempore fornaces extrui cæperunt, quibus cacabos, ſalem ac hydrargyrum mixta continentes, imponebant, & illa permiſcebant. Cacabis iſtis ignis ſubditur, dum die quinto ſextóve, argentum cum hydrargyro integrè vniatur & quaſi incorporetur. Si ergò appareat, hydrargyrum ſuo officio defunctum eſſe, & cum argento exquiſitiſſimè coiuiſſe, nec eius quicquam reliquum feciſſe, verum vniuerſum, ſpongiæ more, imbibiſſe, & terram inſu-

per, plumbúmve aut cuprum, quæ argento permixta erant, integrè ſeparata eſſe: tum vaſis orificium reſerant, mixturamque eximunt, argentumque ab hydrargyro purè præciſeque ſeparant. Id hoc vero modo faciunt.

Miſcellam omnem in modium aqua plenum conijciunt, paruáque mola adhibita metallum conuertunt aut ſubigunt, non ſecus ac ſinapi moli terique ſolet. Qua commotione argilla ſordeſque à metallo defluunt cum ipſa aqua, argentumque ac hydrargyrum propter innatam grauitatem in vaſis fundum ſubſidit. Et hoc, quod in fundo remanet, arenæ ſpeciem exhibet: quod exemptum denuo lauant, vſque dum ſordibus vniuerſis excuſſis, argentum cum hydrargyro ſolitaria & pura remaneant. Caueri interim tam operoſe non poteſt, quin cum argilla, argenti etiam ac hydrargyri nonnihil effluat, quod ipſi Relaues vocitant. Sed elapſum illud, poſteà diligenter requirunt & recolligunt. Iam ergò argentoque ac hydrargyro ita exquiſitè depuratis, vt ſplendeſcere incipiant: tum vtraq; in pannum conijciunt, & fortiter exprimunt. Qua preſſura, quicquid hydrargyri cum argento non exactè vnitum erat, ſecedit & perfluit vniuerſum. Quod verò relinquitur, compreſſæ pilæ ſpeciem refert, non ſecus, quàm qualem maſſam, expreſſæ amygdalæ relinquunt. Pilæ ergo huius reſiduæ probè expreſſæ, ſexta tantum pars argentum verum eſt: cæreræ quinæ merum hydrargyrum ſunt. Vt, ſi exempli gratia, vnius pilæ quantitas librarum 60. ſit; tum ex his decem ſaltem argentum, quinquaginta reſiduæ libræ verò vniuerſæ hydrargyrum ſunt.

Porrò autem vt ab argento ipſum quoque hydrargyrum ſeparent, maſſam coactam in validum ignem dant, vaſque operculo fictili probè obturant. Opercula autem iſta Ruanicarum vittarum ſimilitudinem habent. Succenſo itaque igne, hydrargyrum in fumum fatiſcit, qui caloris & leuitatis vi elatus, ſi in vittas illas fictiles impegit, illicò cogitur, & craſſeſcit, non ſecus ac vapores ex aqua feruente elati, in operculo ollæ gutteſcunt. Hoc itaque modo condenſatum hydrargyrum, per canalem, huic rei deſtinatum, non aliter ac per alembicum defluit ac deſtillat. Sic quicquid hydrargyri metallorum fuſioni impenſum eſt, recuperatur, argentúmque priſtino ſuo colore fulgens adhuc, remanet purum ſimpléxque, ſed quinta ſui parte minutum. Id verò admodum rarum & ſpongioſum eſt, vt non conſpicatis anteà, neſcio quid ſpeciei exhibeat.

Ex binis harum pilarum, paſtillum ſeu quadram vnam fingunt, 65. aut 66. libras plerumque pendentem. Et hæ deinde, vt probentur, quintentur, & ſignentur, ad loca conſtituta deferuntur. Quod argentum hac per hydrargyrum induſtria prolectum eſt, id tantæ probitatis & puritatis eſt, vt nunquam 2380. Alloys leuius ſit: tantæque plerum-

plerumque nobilitatis & præſtantiæ eſt, vt aurifices, qui id tractaturi ſunt, mixtura facta aliquot Alloys illud minuere cogantur. Idem & in cudendo eo, atque in monetam conferendo factu quoq; opus eſt. Has omnes ærumnas torturaſque (vt ita dicere liceat) argentum ſuſtinere cogitur, dum probum purumque euadat: quod primò attentius inſpectum, maſſa ſeu paſta rudis eſt, ex qua argentum molitur, cernitur, pinſitur, fermentatur, & tandem excoquitur. Tum & lauatur idem, & ſiccatur, & iterum abluitur, coquiturque ac recoquitur, pilo ſubditur, cribro inditur, fornaceſque, & orcas, & hauſtra, tandémque ipſum ignem aquamque experitur. Quæ omnia ſigillatim minutimque ideo afferre in medium voluimus, vt ex his conſideratis in animos noſtros ea reducerentur, quæ de iuſtificatione hominum ſacra Scriptura prodidit, dum inquit: Colabit eos, & purgabit quaſi argentum. Quo ſenſu alio quoque loco dicitur: Sicut argentum purgatum terra, purgatum ſeptuplum. Nam reuera ſepties quaſi torquetur, dum purum ſinumque euadat. Talis ad vnguem Saluatoris quoque noſtri doctrina exiſtit, quæ animabus piis, claritatis diuinæ radiis omnino illuſtrandis, offertur & prædicatur. *Eccleſ. 2. Pſalm. 11. Malach. 3.*

Cap. XIII.

De ſtructuris aut machinis, quibus æs tunditur ac molitur: & quâ probitas argenti arte cenſeatur.

TRACTATIO, de argẽto & hydrargyro ſuſcepta, priuſquam extremam manum impetret, duabus adhuc partibus amplificari & extendi debere, omnino videtur: quarum vna in machinis aut molis, altera in metallorum probatione verſabitur. Metalla itaque, vt argentum viuum admittant, ingenijs ac ſtructuris diuerſiſſimis moluntur & quaſi pinſuntur. Molarem autem nonnullæ, aſinariarum inſtar, aguntur ab equis: aliæ vero aquarum impetu mouentur. Vtriuſque generis magna paſſim multitudo reperitur. Cum vero iſtis in locis crebra vndarum inopia ſit, nec alia, quàm pluuialis, huic operi adhiberi queat; ideo molarum harum tribus ſaltem in anno menſibus vſus eſt, nempe, in Decembri, Ianuario, & Februario. Iiſdem ergo in finibus, quibus molæ ſtatutæ ſunt, lacus ſeu foſſæ ampliſſimæ factæ ſunt, quarum ambitus 1700. profunditas vero 7. Vacas ſeu virgas Hiſpanicas habet. Molis itaque ſi ad metalla opus ſit, tum fores, quæ foſſarum labris obditæ ſunt, recluduntur, & effluxuræ aquæ via panditur. Diebus vero Dominicis aut alijs feſtis, eædem rurſus obſerantur. Si à pluuijs, toto anno continenter delapſis, lacus turgidi pleniq; ſunt: tum molarum vſus 6. vel 7. menſium eſſe poteſt. Hinc factum eſt, vt Potoſini Deo de argento & pluuioſo anno

anno ſupplicent: ſicut alijs in locis frumentum fœcundumque annum votis ſuis erogant.

Similia ingenia ſeu ſtructuræ in Tarapaia quoque reperiuntur, quæ vallis trium aut quatuor milliarium interuallo à Potoſi diſtans, fluuium inſignem accepit. Nonnullis in locis molæ ſunt, quæ 12. aut 14. pilis inſignes ſunt. Metallum in mortarijs, diurna nocturnaque cõtinuatione tunditur. Hinc ad loca cribratoria effertur. In margine lacus Petoſini molæ 48. viſuntur, quarum quælibet piſtilla 8. 10. aut 12. adhibet. Præter has quatuor etiam in parte, Tanaconnunno ſpectante, ſolemnes ſunt. In valle Tarapaia 22. numerantur. Iuxta Potoſin inſuper molæ quoque aſinariæ 30. conſpiciuntur: vt aliquammultas hîc taceam, quæ extra Potoſin ſunt. Tantum, tum operæ tum ſumptus ad occupandum argentum impenſum eſt.

Argentum vt par eſt, præparatum, Guardinorum alicui (quorum à rege multi conſtituti ſunt) probandum offertur. Is cuiuſlibet placetæ Alloyn ſumit, & ſingulas ex ordine ſuo numero deſignat. Nam cùm ſimul vnoque tempore multi paſtilli probentur, de quolibet portiuncula ſaltem deraditur aut præciditur, quam Guardinus exquiſitiſſimè ponderat. Singulas poſteà portiunculas ſingulis ollis ex aduſto cinere & puluerato oſſe concinnatis, & Carpopellis dictis, inijcit. Quo facto, ollas omnes & ſingulas ex ordine in fornacem diſponit, ſuccenſoque igne, metalli fragmenta diſſoluit liquatque. In his, quicquid plumbi eſt, fumo euolat & diſparet. Cuprum verò & ſtannum abſumuntur. Ipſum autem argentum ſolum purum remanet, candenti carboni perſimile. Hoc de argento id cognitu mirum certè eſt, quod nec liquatum profundatur. Etſi enim ollam penitus euertas, eius tamen ne vna quidem guttula profluet, ſed vniuerſum ollæ lateribus firmiter adhæreſcet.

Cæterum, argenti exploratores, eius primum colorem attendũt, ſi liquatum eſt. Poſtea ollulas fornace rurſus eximunt, exactiſſimáque trutina quamlibet portionem ſeorſim examinant, & quantum ei deceſſerit, expendunt. Quod Alloy probæ eſt, hoc non multum perdidit. Quod autem vilioris cenſuræ eſt, hoc plurimo minutum eſt. Porro, quantũ quidem de quolibet deceſſerit, id in paſtillo annotant deſcribuntque. Ponderum, quibus vtuntur, tanta exilitas eſt, vt digitis ægrè apprehendi poſſint. Itaque forpiculis gemmarijs ea tollunt ponuntque. Sed & ad facem aut cereum accenſum ponderationes iſtæ fiunt, ne vel ventulus aut aura admiſſa bilancem motet, euertátque. Et ſecundum minutiſſima hæc pondera pretium integri paſtilli taxatur. Ad quam certè rem accurata diligentia longoque vſu firmata experientia opus eſt. Harum verò rerum ſacra Scriptura paſſim multoties mentionem facit, vt nos commonefaciat, quod miris nos quoque Deus tentationibus probet, animarumque noſtrarum ſtatus dignitatis diuerſiſſimæ exiſtat. Quo ſenſu ipſe quoque Ieremias

mias Propheta Excoctor vocatur, qui homines ſecundum opera ſua expendat probetque.

Hæcce verò, quæ hactenus de argento, ære, & horum fodinis explicatius dicta ſunt, æquus Lector boni conſulat. Nunc enim & de alijs propoſitis partibus, vt de plantis & animalibus, dicendi tractandiq; neceſſitas nobis incumbit.

Cap. XIV.

De Eſmeraultis & Smaragdis.

PRæter rei ordiniſq; dignitatem minime id eſſe videtur, vt principio de Smaragdis ordiamur: cum illi, quam aurum argentumq;, de quibus hactenus tractatum eſt, pretij non vilioris ſint: & vt cætera metalla, ipſi quoq; ſuis ex fodinis eruantur, ſicut id Plinius explicitè teſtatur. Olim quidem, vt dictus autor aſtipulatur, Smaragdi magna autoritas ac pretiũ fuit: cum ab Adamãte & vnionibus gemma tertia numeraretur. Hodiè verò propter ſummam gemmarũ copiam, quam India gignit, nec Smaragdi, nec perlatum admodum magna autoritas eſt. Adamantis ſua quidem dignitas & prærogatiua adhuc viget. Ab hoc ſecundi ſunt flagrantes Rubini. Qui & ipſi tamen pro copia aut inopia ſua æſtimari ſolent: cum rara vniuerſis hominibus ferè cara eueniant, & vulgaria, etiamſi pretioſiora, pleriſque ſordeſcant. *Plin. lib. 37. c. 5.*

Hiſtoria, quæ de Hiſpano quodã narratur, iam paſſim omnium ore teritur. Is, cũ Smaragdi ex India primò efferrẽtur, Gemmario cuidam in Italia inſignis magnitudinis Smaragdum obtulerat, & pretium eiuſdem percõtabatur. Gemmarius lapide viſo, cum animum ad eius magnitudinem aduertiſſet, cẽtenis Ducatis illum æſtimauit. Pretio hoc audito, Hiſpanus Italo Smaragdũ adhuc maiorem alium exhibuit: quem Italus 300. Ducatis cenſuerat. Id audiens Hiſpanus, Gemmarium ſuas ſecum ad ædes abducit, & Smaragdorum confertam illi ciſtulam promit proditq;. Quibus tanta copia viſis, Italus ad Hiſpanũ verſus: Sennor, ait, hæc gemma pretium vnius Ducati non ſuperat. Itidem & in Hiſpania Indiaq; ſic factum eſt, vt propter admirandam copiam gemmæ etiam nobiliſſimæ vileſcerent.

Smaragdi virtutes Plinius enarrans, eum viſui confortando & acuendo apprimè vtilem eſſe, affirmat. Quod etſi quidẽ veriſſimum ſit: ipſa tamen gemma propter miram copiam hodiè non magni fit. Regulis quidem Mexicanis eadẽ magno in pretio fuit. Naſum enim perforantes, Smaragdum inſignẽ illi inſerebant, quem ornatus maioris cauſa publicè oſtentabant. ſed & ſimulachrorum aut Idolorum ſuorum vultibus Smaragdos immittebant. Smaragdorum prouentus hodiè omnium feliciſſimus in regno Granadæ, & in regno Peru iuxta Mantam & Puerto Ricco, aut in vetuſtis portibus eſt. Quin & *Lib. 37. c. 5.*

locus quiſpiam in ea terra, à Smaragdorum ſumma vbertate denominatus eſt: quem tamen vel dum hodiè nondum ab Hiſpanis occupari licuit. Smaragdi in ſaxis, vt & Cryſtalli conditi latent. Nos ſaxum quoddam vidimus, quod venæ aut mineræ ſpeciem forinſecus exhibuerat quidem, ſed paulatim tamen nitidius & flammantius euaſerat. Eius nonnullæ partes ex dimidio albicabant, virebántque: aliæ ſolum candebant: cæteræ ex pallore virebant. Smaragdos vidimus noſmet, iuglandem nucem æquantes, aut hâc paulò grandiores. Non tamen recordamur, noſtro tempore Smaragdum vllum in lucem prolatum fuiſſe, qui illum, in Clenodio Genuenſi defixum, æquauerit. Qui certè iure merito ab ijs maximi æſtimandus, nec pro Reliquiis (vt vocant) ducendus eſt: cum tantæ magnitudinis nullus vſpiam repertus, hodiè notus ſit. De Smaragdo quodam Theophraſtus tradit, à Babyloniæ Rege, Ægyptio muneri dato, qui 4. cubitorum longitudinem, & trium latitudinem habuerit. Commemorat idem autor, in templo Iouis obeliſcũ ex quatuor Smaragdis, 40. cubitorum longitudine, latitudine verò in vna parte quatuor, in altera duorum fuiſſe. Seipſum quoque in Tyro Herculis templo ſtantem pilam è Smaragdo conſpexiſſe. Nobis tamen cum Plinio id perſuaſum eſt, lapidem illum viridem quidem fuiſſe, non verum Smaragdũ, ſed Smaragdi æmulum: qui falſo eo nomine indigetatus fuerit. Sunt, qui affirmare nihil dubitẽt, in templo cathedrali Corduano multas pilas ex mero Smaragdo extructas ſtetiſſe. Qua naui nos ex Indiâ Anno 87. ſoluimus. in ea ciſtæ duæ Smaragdis plenæ inerant, quarum vtraque 4. ad minimum Arroborum pondus habebat. Ex quibus, quod India huius gemmæ feraciſſima ſit, facile cuiuis colli-
Exod. 29. 39. gere licet. Sacra pagina Smaragdum ceu gemmã pretioſiſſimam ap-
Apoc. 21. primè commendat, vt qui inter gemmas ſummi pontificis quoque cõnumeretur: & ad muros cæleſtis Hieroſolymæ ſtruẽdos cõcurrat.

Cap. XV.

De Vnionibus, ſeu Margaritis.

CVm de pretioſis multis, ex India efferri ſolitis, hactenus pertractauerimus: propter argumenti ſimilitudinem nunc quoq; de vnionibus, quos veteres margaritas vocauerunt, deinceps quid agamus. Tantæ autem olim autoritatis & æſtimationis margaritæ fuerant, vt ſolis à regibus, aut regio ſanguine ortis, geſtarentur. Hodiè verò tam vulgares ac communes factæ ſunt, vt atra quoq; & fœda Indorum mancipia, fœminæ, ex margaritis conſertas corollas geſtent. Hæ è piſcium conchis eruuntur. Mihi ipſi hoc accidiſſe memini, vt, cum aliquãdo Oſtrea eſitarem, margaritas in conchis reperirem. Teſtæ ſeu conchæ iridis intus colorem oſtendunt, ex

quibus

quibus nonnullis locis cochlearia, Nicar dicta, conficiuntur. Margaritæ ipſæ tum colore tum magnitudine variæ ſunt: ſecũdum quæ, pretio quoque maiori minorive veneunt. Nonnullæ Aue Maria vocantur, quod minutorum coralliorum inſtar ſint. Craſſiores autem & grandiores, Pater noſter vocantur. In vna concha duæ ſæpè margaritæ depræhenduntur, tum ſpecie, tum magnitudine, tum colore ſibi omnino ſimiles: quales, atteſtãte Plinio, ideò à Romanis vniones dicũtur. Quæ geminę in vna concha ſibi per omnia ſimiles margaritę inueniũtur, in pretio magno haberi ſolent, & plerunq; aut annulis aut Clenodiis inſeruntur. Par vnionum vnum perſæpè multis Ducatorum millibus æſtimatũ nos vidimus. Quæ tamẽ geminis Cleopatrę illis margaritis nondum nobilitate correſpõdebant, quarũ vnam fatua procaxq; regina aceto ſolutam abligurierat, poſtquam cũ Marco Antonio, ſe vna cœna centies ſeſtertium cõſumpturam, ſponſionem feciſſet. Alteram margaritã, in quam ipſam quoq; iam manus iniecerat Cleopatra, aiunt diſſectã vtriſq; auribus Veneris Romæ in Pantheo appẽſam eſſe. Quin & de Clodio Tragœdi Æſopi filio monumentis traditum eſt, eum in dapſili quodam conuiuio inter cætera fercula, conuiuis ſingulis, ſingulos vniones pretioſos aceto ſolutos ad guſtãdum exhibuiſſe, vt conuiuij gloriam ampliorem præſtaret. Quæ etſi nobis hodiè ridiculoſa admodum videantur: his tamen nihilo ſapientius illi agunt, qui hodiè non ſaltem pileos, vittas, coronáſque, ſed & ocreas, Chapinos, & ſordidos (vt vulgatiſſimæ quoq; Hiſpanorũ fœminæ ſolent) calceos contruſis margaritis obſerunt & exornant. Vniones diuerſa quidẽ Indiæ loca promunt. Sed pars eorũ maxima in Oceano auſtrali iuxta Panâmam legitur: quo loco eæ inſulæ ſunt, quæ à margaritis nomen ſibi vendicarunt. Qui in boreali mari iuxta fluuium de La Hacha, id eſt, de face, reperiuntur: illi tum propter præſtantiam, tum magnitudinem omnium pretioſiſſimi exiſtimantur. Illo enim loco continenter hoc negotium tractant: & ex trahendis margaritis vrinatoribus grandia ſæpè pericula incumbunt. Ad Oſtreorum enim venationem capturamque vberiorem faciendam, ſex nonnunquam aut nouem, interdum & duodecim orgiis infra aquam ſe mergunt, vt eadem ex ſaxis, & ſcopulorum hiatibus, quibus plerumque adhærent, auellant. Arreptis & collectis nonnullis Oſtreis, in auram ſe recipiunt, & prædam in Canoas ſuas effundunt. Vices has ſubinde frequenterque repetunt. Domum deinde reuerſi, conchas aperiunt, latentemque theſaurum promunt. Illic loci vnda marina quidem admodum gelida, adeóq; toleratu grauiſſima exiſtit. Longè tamẽ is labor grauior: quod ad horæ quadrantem, imò nonnunquam ad integram eius partẽ dimidiam ſub aquis ſe continere coguntur, vt aliquã ſaltem concharũ capturã faciant. Hi vrinatores, vt eò diutius cohibere animam poſſint, parciſſimè edũt, nec quicquã pręter cibos aridos ſiccoſq;. Tũ & Veneri parcius ſtudẽt.

Plin. libr. 9. c. 35.

Ibid.

Margaritæ diuerſis omnino artibus modiſque præparantur perforanturque, vt filis traiectis colligentur. Harum paſſim omnibus in locis iam ſumma copia. Anno ſalutis noſtræ 87. ex ſcheda quadam conſignatoria viſa intelleximus, Regi Hiſpanorum ex India, vna vice 18. margaritarum marcas, & tres integras inſuper arcas plenas afferri. Pro priuatis verò hominibus aduehebantur 1264. marcæ, cū ſeptem refertis ollis grandibus: quæ omnes nec cenſebantur, nec ponderabantur. Et hæc ante ſecula noſtra, mera fabulamenta & nugæ maioribus noſtris habita fuiſſent.

Cap. XVI.

De Pane & Maijs Indico.

IAM porrò ad ſtirpes ſeu plantas diuertemus. Principio autem de ijs acturi ſumus, quæ huic terræ vernaculæ ſunt. Deinde eas quoque attingemus, quas eadem cum Europa communes habet. Cum verò plantæ in initio ad hominis ſuſtentationem conditæ ſint: Panis autem ex cibis omnibus primum & ſolidum alimentum exiſtat: non inconueniens futurum arbitramur, vt de pane, quo Indi, vtuntur, primitus ſermonem inſtituamus. Panem in Peru Tantam; in aliis locis aliter appellant. Sed quoad ſubſtantiā & qualitates eius: is à noſtro pane diuerſus eſt. Nullatenus enim nobis compertum eſt, quod aut tritico, aut hordeo, aut milio, auenáve, aut granis aliis quoque, Europæis familiaribus, vtantur: ſed granorum radicúmque peculiare quoddam genus habent, comprimis Maijs dictum, quod iure merito tractationis principium ſibi vēdicat. Fructus iſthic in Caſſilia, triticum Indicum: in Italia frumentum Turcicum appellatur. Sicut autem in veteri orbe, nimirum in Europa, Aſia, & Africa ex frugibus vniuerſis tritico frumentoque nihil vulgatius extitit: ita pariter in nouo orbe frugum omnium Maijs communiſſima tum fuit, tum adhuc eſt, quæ in omnibus Indiæ Occidentalis locis in Peru, in noua Hiſpania, in nouo Regno in Guatimala, in Chile, & vniuerſa terra firma copioſe reperitur. Sed in inſulis tamen, Cuba, Eſpannola, Iamaica, S. Iuan, Maijs in vſu vnquam fuiſſe, nemo quiſquam nouit: cum vel dum hodiè magna ex parte Vaca & Caçaui vtantur, de quibus deinceps nonnulla dicemus. Maijs autem frumento noſtro viribus & alimentoſitate aliquantò inferius eſſe, nobis perſuaſum eſt. Craſſius enim & durius illo eſt, & ſanguinem copioſum gignit. Hoc qui primùm veſcuntur, aut id copioſius ingerunt, illi frequentibus abſceſſibus & ſcabie fatigantur. Ex arundine Maijs emergit. Arundinum autem quæuis quaſi quandam botryn emittit, in qua grana figuntur. Grana, etſi quidem craſſiuſcula ſint, abundantiſſimè tamen proueniunt: cum vno corymbo grana nonnunquam

quam 700.cohæreant.Sationis aut plantationis modus is eſt, vt digitis in ſolum defigantur, nec noſtri frumenti more plenis manipulis excutiantur & diſpergantur. Sed & ipſius Maijs, vt noſtri fumenti quoque, ſuæ ſunt differentiæ. Alterum enim craſſius eſt: alterum ſubtilius & aridius, quod Morochen appellāt. Ex foliis & virentibus arundinibus pabulum lætiſſimum equi capiunt. Reſiccata planta, fœni aut ſtraminis vice quoque defungitur. Grana Maijs, equis muliſque multò ſalubriora ſunt ipſo hordeo. Hiſce in locis pecora prius aquatum ducuntur, quàm Maijs guſtent. Nam ſi iam ab ingeſto Maijs animalia potent, promptè intumeſcunt, & tuſſire incipiunt. Idem damnum triticum quoque præſtat.

Maijs Indis pro pane eſt, quo plerumque cocto veſcuntur. Grana adhuc integra & calentia, Mote vocitantur. Æquo modo Chinenſes & Iaponenſes, oryza in aqua decocta, aut interdum toſta frixaque veſcuntur. Ex Maijs nonnullum rotundum craſſumque eſt, vt quod è Lucanis tollitur, quod ſub cineribus toſtum, Hiſpani in deliciis habent. Saporem id palato longè ſuauiorem gratioremque quàm toſta piſa, offert. Quod ſi impenſis non parcant, Majis molis frangunt, & ex farina aquis ſubacta placentas fingunt, quas, vbi igni impoſuerunt, feruidas deinde menſis inferunt. Hoc genus panis nonnullibi Arepas vocatur. Ex eadem maſſa liba ſingulari arte ita conficiunt, vt diutius durent. Et hæc in delitiis ſunt ac cupediis. Sed & artocreas ſingulari forma excogitarunt, cuius maſſa floribus & ſaccharo ſubigitur. E Maijs non ſolos panes, ſed & vinum conficiunt. Ex eo ſiquidem potus quoddam genus parant, quo longe facilius inebriantur, quam poto vino natiuo. Hic ex Maijs confectus potus, qui in Peru Açua per omnē ferè aliàs Indiam Chicha vocatur, diuerſis modis fit. Fortiſſimus, cereuiſiæ modo hac ferè arte paratur. Grana Maijs in aqua macerant, dum germinent. Ea deinde arte ſingulari torrent. Ex his confectus potus tam validus euadit, vt bibentes facilè proſternat. Hic in Peru Sora nuncupatur: cuius hauſtus legibus interdictus eſt, propter ea, quæ ſecum trahit, damna. Ad inſaniam enim inebriat. Sed Indi, legibus excuſſis, non niſi hoc ebrij ſuas choreas ducunt, & tum dies tum noctes integras perpotant.

Huiuſmodi ex maceratis granis, conficiendi potus ratio, priſcis quoque temporibus (teſtante Plinio) tum Hiſpanis, tum Gallis, nationibuſque cæteris familiaris & vſitata fuit: ſicut & noſtro tempore in Belgio ex hordeo cereuiſia optima conficitur. Indi porro Açuam ſeu Chicham ſuam alia quoque arte parant. Maijs maſticant, & ex eo fermentum faciunt. Quod hoc modo manſum eſt, in potum excoquunt. Indis perſuaſum eſt, ad aciditatem manſo Maijs maiorem conciliandam opus eſſe, vt à rugoſis & ſordidis vetulis maſticetur: quod audientibus non leuem nauſeam incutere queat. Indi tamen iſthæc non admodum curant, ſed potum confertim ingerunt. Toſti

Plin. lib. 14. c. 22.

Maiis, omnium ſaluberrimus vſus exiſtit, vt quo quamminimum corpus turbetur. Idem tum Indi primarij, tum & Hiſpani medicinæ loco vſurpant. Nam & renibus id conferre, & non vrinam nimiam prolicere, vſu edocti ſunt: quod vitium Indis alias admodum familiare eſt, quia prædicto potu Chicha plerunq; vtuntur. Tenerum adhuc & in ariſtis concluſum Maiis, tum Indi tum Hiſpani pro delitiis eſitant: aut idem torrent, aut cum lacte decoquunt. Capſulis ſeu folliculis Maiis, admodū pinguibus & oleoſis, butyri & olei loco vtuntur. Sic ergò Maiis probum pabulum pecoribus: & hominibus panem, vinumq; & oleum miniſtrat. Qua cauſa quoque ViceRex Don Franciſco de Tolledo dicere ſolebat, Peruanos, quibus diteſcerent & alerentur, duas potiſſimum habere res: nimirū Maiis, & pecora. Nam harum duarum rerum vſus ipſis ad infinita eſt. Quomodo verò & quando Maiis primum in Indiam importatum ſit, quaque de cauſa Italis frumentum Turcicum appellitetur: quærere nobis, quam expedire procliuius eſt. De hoc ſiquidem frumēto veteres ne tantillum quidem tradidiſſe, animaduertimus. Milium verò, quod Plinius integro decennio citius, quam iſta commentaretur, ex India in Italiam importatum ſcribit, nulla cum Maiis ſpecie conuenit. Nam illud ait eſſe granum, in arundine, foliis ſtipata ac in cacumine filamētoſa naſcens. Plantam eam admodum fœcundam eſſe, addit. Quæ certè omnia milio accommodari nō poſſunt. Vt corollarium addamus, ex his iam probè intelligimus, rerum vniuerſarum conditorem ſuas peculiares cuilibet terræ dotes contuliſſe, quibus frueretur ad vitæ maiorem felicitatem. Sic nobis frumētum & triticum, Indis verò Maiis largitus eſt: quod, poſtquā & hominibus & pecoribus largiſſimum alimentum præbeat, cū frumento noſtro conferri non iniquè poſſit.

Cap. XVII.

De Yuca, Caçaui, Papas, Chunnos, & Oryza.

IN nonnullis Indiæ locis pane vtuntur, quem Caçaui vocant. Is, ex radice quadā Yuca dicta, cōfit. Hæc grandis craſſaq; eſt, quam minutim concidunt, & limant. Poſteà ſuccū exprimunt. Quod reliquum fit, parmæ latiori ſimile eſt, Adaigam Hiſpanicā, qua equites vtuntur, quadamtenus exprimēs. Siccatam hanc radicem panis loco eſitāt. Etſi verò ex ſe inſipida ſit; nihilominus tamen ſalubris, alimentum commodum corporibus præſtat. Quo tempore in Eſpannola verſarer: bulimiæ præſentaneum eam remedium eſſe, cōperimus. Tutus itaq; illius eſus, ſi caueatur immoderata eiuſdē ingeſtio. Qui Caçaui eſuri ſunt, cū durū & aſperū exiſtat, prius emollire coguntur. Nā vel aquæ vel alij iuſculo iniectū, promptè molleſcit, & tumeſcit. Si in lacte aut hydromelite maceretur, liquorē nō imbibit, velut

velutis panis facit, qui ex frumento confectus eſt. Quin & edulium quoddam ex Caçaui, cum floribus Xauxau, iſtis in finibus magni æſtimatis, conficiunt. Cuius tamen loco nobis panis vel ſicciſſimus gratior eſu eſſet. Succum ſiue liquorem, ex radice Yuca preſſum, venenum præſentaneum eſſe, admodum mirabile eſt. Quem, qui ſorbet, nullo dubio morietur, cum tamen panis, eo ſucco liberatus, homini ſalutaris & commodus ſit. Sed Yucæ quoque genus aliud eſt, quod ſucco iſto venenoſo caret. Hæc cum rebus omnibus pro cibo elixari aſſarive ſolet: guſtatu certè non inſuauis. Caçaui longæ durationis eſt, & bis cocti panis vice in nauigationibus adhibetur. Cibus hic in inſulas, Sant Domingo, Cubam, Puerto Rico, Iamaicam, & cæteras nonnullas finitimas admodum ſtudioſè infertur, ideò, quod in dictis locis nec frumenti nec Maiis prouētus ſit. Et licet ſerantur quidem illic: ad frugem tamen non veniunt. Frumenti ſemina, ſi in terram cōdantur, emergunt quidem, ſed admodum inæqualiter. Nam in vno eodemque ſubinde agro fruges, hîc ſemimaturas, illîc aridas, nonnullibi primum ex ſolo erumpentes, alicubi ariſtis euectas, iſtic depreſſas, has virentes, illas liueſcentes & flaccidas videas. Et licet quidem, qui ſolum colerent pararentque, eò periti agricolæ inducti fuerint: omnem tamen operam, ſuam iſti, propter miram & imperceptibilem ſoli naturam temperiemq́ꝫ, fruſtrà impenderunt. Quæ verò ex Hiſpania aut Canaria farina infertur: ea ab Oceano tantoperè humida & madida redditur: vt panes, ex ea confecti, omni ſapore deſtituantur. Cum ibidem miſſæ fierent, hoſtia, manibus prehenſa, vſque adeò humeſcebat, vt madidæ papyro ſimilis fieret. Cuius effectus immoderata eius loci tum humiditas tū caliditas cauſa exiſtit. Huic verò aduerſa diſpoſitio aëris, frigida nimirum & ſicca, in montanis Peruenſibus, & prouincia Collao, quæ vniuerſum propè regnū ambit, dominatur. Eouſque enim duæ iſtæ regiones frigidæ ſiccæque exiſtunt, vt propter intemperiei exceſſum, ſolum nec frumenti nec Maiis ferax ſit. Frugum ergò loco in dictis locis radice quadam Papas vocata, vtuntur, ollarum fictilium magnitudinem habente, & foliis ferè orba. Euulſam radicem, ſolique expoſitam, ſiccant: ſiccatam in partes diffringunt, ex quibus deinde edulium, Chunno nuncupatum, admodum diu durans, conficiunt. Hoc Chunno aliqui ingentem quæſtum faciunt, in Potoſin peregrè illato inuectoqꝫ. Papas verò adhuc viridis interdum quoque vel cocta vel aſſata manducatur. Sed & aliud Papas genus in calidioribus fundis plantatur, ex quo fercula, Locro appellata, parant. Et hæ omnes radices ipſis panis vicem ſupplent. Quarum prouētus ſi quo anno felicior aut vberior ſit, oppidò ſibi gratulantur. Planta tamen, cum adhuc emergens eſt, à frigore pruinaqꝫ nonnunquam grauiter percutitur. Vt enim diximus, frigus illarum regionum intenſum admodum eſt. Maiis autem ex conuallibus & littoralibus oceani in hæc plerunqꝫ loca conuehitur,

in qui-

in quibus propter ſiccitatem & frigiditatem natiuam facilius aſſeruatur, vt deinde melior ex eo panis fiat.

In cæteris Indiæ locis, velut in inſulis Philippinis, panis loco Oryzam habent, tum illic tum in China copioſiſſimè naſcentem, & alimentum veſcentibus probum ſolidúmque præſtantem. Coctam eam, cum ſuo iure in patinam effundunt, & ſic cum cæteris eſcis permiſcent. Nonnullis in locis ex Oryza potū, ſicut in Belgio Zythum, & in Peru Açuam faciunt. Oryzæ vſus vniuerſis propè nationibus, non minus quam frumentum aut Maiis, familiaris eſt. Nam vt de China, Iaponia, Philippina, & maxima Indiæ Orientalis parte hîc ſileam: Oryza certè tum per Africam tum Æthiopiam vniuerſam, cibus vſitatiſſimus adhibetur. Oryza ſolo gaudet humidiore, & quaſi vliginoſo. Europæis, Peruanis, & Mexicanis, qui panes ex frumento habent, Oryza obſonij vice eſitatur aut lacte aut aqua decocta. Omnium optima ex Philippinis & China affertur. Et hæc de pane, Indis familiari.

Cap. XVIII.

De diuerſis in India naſcentibus radicibus.

IN pleriſque paſſim terræ partibus, tum plantarum, tum fructuū generis promiſcuè vniuerſi ſumma quidem vbertas & opulentia eſt. In nouo tamen orbe, ſicut hæc omnia feliciora proueniunt: Sic radicum quoque eſilium, quam in aliis locis, copia multò ditior prouenit. Sicut enim alibi, raphani, rapa, Carotæ, Cichoreæ, Cæpæ, allia frequentes radices ſunt: ſic hæc omnia in illis noui orbis regionibus copia infinita promuntur. Quas verò radices, præter Papas, iam in memoria habemus inſigniores, ſunt, Ocas, Yanocas, Camotes, Batates, Xiquimas, Yuca, Cochucho, Caui, Totora, Mani, & innumeræ infinitæque aliæ, quas in præſenti memoria non omnes ſuggerit. Nonnullarum quidem ſpecies, vt inter cæteras Batates, quæ cibum ſuauiſſimum præbent, in Europam aliquando ſerendæ illatæ ſunt. Sed viciſſim & ex Europa in Indiam nonnullæ importatæ ſunt, vt periculum fieret, quónam in ſolo lætius & fœcundius emergerent. Sed in India omnia melius enata ſunt. Cuius rei hæc cauſa eſſe videtur, quod Indici aëris tēperatura Europæo æquior & blandior exiſtat. Nec in ipſa quoque Hiſpania tum cæpe tum allia vberius quam in Peru ſuccreſcunt. Raporum ſolum tam ferax eſt, vt ea in viis quoque publicis ſponte proueniant. Et à fide digniſſimis narratum accepimus, Indos, cum in locis nonnullis agros frugibus conſituri eſſent, propter ingentem raporum propaginem, vbiuis maximo numero contruſam, prohibitos, ab inſtituto ſuo diſcedere coactos fuiſſe. Raphani frequentes, bracchij humani craſſitudine proueniunt:

ueniunt: & tamen ſubſtantiæ teneræ, ſaporis ſuauis guſtantur. Hi pro vulgari cibo ſunt, vt & Camotes, qui toſti, piſorum loco eſitantur. Aliæ plantæ cupidiariæ ſunt, vt exilis & dulcis radicula Cochucho: quam nonnulli condiunt aſſeruantque. Radicum nonnullæ vim refrigeratoriā præſtant, vt Xiquima, admodum frigida & humida. Hæc per æſtatem meſſis tempore ad ſitim compeſcendam & ſanguinem feruentem perfrigerandum manditur. Nulla tamen Papas & Ocas alimentoſior eſt. Ex omnibus Europæis radicibus Indi allium eligunt: quo ventriculum fouent & reficiunt, ex rebus crudis durisque, vt è terra enatæ ſunt, continenter eſitatis, prefrigeratum & corruptum.

Cap. XIX.

De diuerſis viridium herbarum piſorumq; generibus: vt & de Cucumeribus, pineis, fructu pomoue ex Chile, & prunis.

DE plantis hucuſque à nobis tractatum eſt. Iam meritò de fruticibus deinde dicemus, qui arbuſta Latinis dicuntur, ideò, quod ad iuſtam arborum magnitudinem non perueniant. Horum genus quoddam in India, guſtatum, ſaporem admodum ſuauem linguę indit. Qui primi Hiſpanorum has terras adierunt, multis rebus Indicis Hiſpanica nomina impoſuerūt, prout quoduis cum hoc aut illo ſpeciem quandam & ſimilitudinem habere videretur. Ex hac claſſe ſunt pineæ, Cucumeres, prunaque: qui tamen fructus hîc longè diuerſi, nec cum illis iidem cenſendi ſunt. Nam & faciem formamque ab Hiſpanicis diſcrepantem præferunt. Pineæ nuces aſpectu quidem externo & magnitudine Hiſpanicas æquant: interior tamen conſtitutio & ſubſtantia longè alia eſt. Non enim putaminibus interſeptæ diremptæq; ſunt, ſed quicquid habent, pomum eſt, eſui vniuerſum aptum. Cortice detracto, fructus ſuauem pretioſumque halitum fundit. Is eſitatus languentem ſtomachi appetentiam acuit, & guſtum dulcem ſimul acremque offert. Eſitandæ in lamellas ſeu orbiculos diſcinduntur, qui deinde ſale & aqua macerantur. Sunt, qui dicant, fructum gignendæ choleræ opificem, ac ob id inſalubrem exiſtere cibum. Cuius tamen veritas, nondum ſtabilita, in ambiguo nutat. Nam ipſo effectu nihil adhuc iſtiuſmodi deprehenſum ſcimus. Naſcitur in arundine, quæ è multis foliis, liliorum more, media emergit ſurgitque. Quin eadem & lilij altitudinem aſſequitur, paulò tamen eo craſſior. In arundinis culmine poma erumpunt. Loco gaudent calido & humente. Optima omnium in ſupra dictis inſulis proueniunt. In Peru non prodeunt:

ſed ex Andes illuc inferuntur, nec ſapidi, nec plenè maturi. Carolo V. Cæſari pomorum horum vnum aliquando munere datum eſt. Is quidem halitum odoremque illius fragrãtem collaudauit: fructum tamen, quid ſaperet, guſtare noluit. Ex pomis his in noua Hiſpania conſeruas pretioſiſſimas paratas inuenimus.

Fructus, quem Cucumerem indigetant, non in arbore naſcitur: Sed in hortis plantatur, vnoque anno debitam ſuam perfectionem ſubinde aſſequitur. Hoc verò ab Hiſpanis nomine vocati fuerunt, quod tum longitudine, tum rotunditate Hiſpanicos æmularentur: cum tamen in cæteris plurimis euarient. Primò enim, colore non vireſcunt, ſed aut albicant, aut flauent. Tum nec aculeis rugisque horrent, verum glabri lęueſque exiſtunt. Porrò autem, maturorum quoque guſtus ſuauior eſt & delectabilior, cum ſapore pineas quoque nuces anteuertant. Recentes ſucculenti ſunt, & in ſtomacho facilè coquuntur, digerunturq́; æſtuantibus corporibus apprimè vtiles. In cibum venturi, cortice nudantur: quo pacto parati, iam eſiles ſunt. In locis fundisque temperatis lætius proueniunt, continentique irrigatione gaudent. Porrò etſi quidem omnes in genere Cucumeres nuncupentur, nonnulli tamen figuræ exquiſitè rotundæ: alij verò ita conſtitutæ ſunt, vt cucumerum ne quidem in minimo ſimiles exiſtant. Nec nos vllo recordari niſu poſſumus, quod plantam huic ſimilem aut in noua Hiſpania aut in Inſulis vſquam conſpexerimus, præterquam in planiciebus Peruenſibus.

Frutilla, in Chile naſcens, ceraſorum ferè ſaporem offert: à quibus tamen multis modis differt. Nec enim arbor, ſed planta eſt, è terra in altum ſurgens; ex qua dictus fructus dependet, colore morum exprimens, adhuc albidum, nec dum ſatis maturum. Sed tamen hoc grandius eſt: & in Chile campeſtribus ſponte ſua prouenit. Sed mihi quo loco plantam videre datum eſt, ibi ex teneris ſurculis, in terram defixis, plantatur, & herbarum hortenſium modo ſuccreſcit.

Fructus, quem pruna dicunt, noſtratium ſimilitudine prunorum, in arbore naſcitur. Huius genera varia & diuerſa ſunt. Nicaragua nonnulla vocantur, admodum rubentia & exilia. Pulpa, quæ circa lapidem, pauca modicæque molis eſt: etſi ſaporis haud iniucundi, imò ipſis ceraſis gratioris & ſuauioris exiſtat. Cibus ſalubris habetur adeò, vt ægris quoque, ad ſuſcitandum appetitum frequentius offeratur. Huic ſimiles fructus alij quoque, ſed grandiores, in India promuntur, qui tamen craſſi durique alimenti, & ſaporis non valdè grati ſunt. In his mediis bina ternáve grana aut ſemina plerunque incluſa latent.

Sed iam ad plantas hortenſes pergamus. Indis enim etſi fructus quam plurimi paſſim ſpontè proueniant: agros tamen inſuper peculiares iuxtà fruges diſponunt, in quibus peculiare quoddam herbarum genus, nobis hactenus indictum, ſerunt plantantque. Herbas has

has Friſoles & Palares nuncupant, quas eo ferè loco cenſuq; habent, quo nos piſa, lentes, fabasque. Ante Hiſpanorum ingreſſum, piſa Europæis ſimilia, nulla habuerunt. Nunc cum ab his ſemel illata ſint, vberrimè proueniunt, tantaque fœcunditate & fœnore, vt agri in India reperiantur, hoc fructu ferendo ipſis Hiſpanicis longè feliciores. Quod & de Melonibus æquè affirmari poteſt; in Valle Peruana Yca tanta felicitate pronaſcentibus, vt radix caudicis truncíve craſſitudinem aſſequatur, & viua aliquot annis in ſolo vigeat. Hæc quotannis Melones profert; cuius luxuries non ſecus ac cæterarum arborũ amputatur: quam rem in Hiſpania nunquam vidimus.

Porro autem & Calabaſſi ſeu cucurbitæ in India ad miraculum vſque augeſcunt, quæ in hac ſola prouincia naſcuntur, & Capallos nuncupantur. Quadrageſimarum tempore coqui, & cæterorum ciborum more eſitari ſolent. Cucurbitarũ autem ſpecies propè infinitę ſunt. Quædã immenſa mole monſtroſæ ſunt: quæ diſſectæ & reſiccatæ excauantur, & ex iis deinde varia vaſa, ad omnia ea, quæ menſæ neceſſaria ſunt, recondenda idonea, effinguntur. Ex minoribus cucurbitis pocula aut pateras ingenioſa induſtria cælatas, concinnant.

Poſtquam verò hactenus de minutioribus plantis à nobis pertractatum ſit: iam deinceps de procerioribus & maioribus ſermonem faciamus. Sed prius, quam ordiamur, mentio facienda fructus Axi eſt, qui in priorum claſſem omnino referri debet.

Cap. XX.

De Axi, ſeu Pipere Indico.

IN India Occidentali nunquam prouenerant antè aromata, quæ ſpecies dicunt, vt ſunt, Piper, Caryophylli, Canella, Nuces muſchatæ, & Zinziber. Quanquã noſtræ ſocietatis quidam, qui varias longinquaſque terras perluſtrauit, nobis percenſuerit, quod in nonnullis Inſulæ Iamaicæ ſyluis, arbores, piper ferentes, conſpexerit. Zinziber ad Indos primùm in Inſulam Hiſpaniolam illatum erat. Vbi ſemel plantatum tanto illicò fœnore ſuccreuit, vt eius in aliquibus locis extirpandi iam neceſſitas ſit. Anno nati Chriſti ex India in Seuiliam 22053. Quintalia Zinziberis importata ſunt. Quod verò aroma ſumma Dei largitate Indis ſolitarium enaſcebatur, hoc erat, quod in Caſtilia piper Indicum, nominabant. Id verò in India, ab inſula illa omnium primò occupata, Axi vocabatur. In Cuſco, Veho: in Mexico Chili appellatur. Quod aroma, cum iam paſſim omnibus notum ſit; prolixiori eius enarrationi hìc ſuperſedebimus. De eo tamen id noſcendum eſt, Indis veteribus in magno pretio fuiſſe; vt quo ad multas res opus eſſet. Loca rigida & gelida,

ceu montana Peruenſia ſunt, horret. In vallibus aut campis calidioribus lætè germinat, crebræ irrigationis amans. Axi diuerſis coloribus reperitur. Nam & viride, & rubrum, & croceum eſt. Nonnullum acrius eſt, quale Caribbe vocatum: id vehementer exurit & mordicat. Aliud itidem guſtatu lenius & moderatius. Sed & genus quoddam dulciſſimum exiſtit, quod è manibus vellunt eduntque. Præter hæc quoddam aliud exilius eſt, quod moſchum fragrat, & guſtatum admodum ſapidum obuenit. Fibræ & grana, linguam vrunt & vellicant: quod ſubſtantia tamen reliqua non præſtat. Axi, tum viride, tum reſiccatum, tum piſtum, tum decoctum in cibum datur. Et, vt verbo dicam, ex omnibus aromatibus condimentum Indis præſtat ſuauiſſimum. Huius moderatus vſus, ventriculi coctionem firmat. Immoderatius ingeſtum nocet. Nam cum naturæ facultatiſque feruidæ, humidæ & penetrantis ſit: non ſaltem inflammatione iuuenum corpora pertentat, ſed & animos ad libidinẽ & impudicitiam irritat. Etſi verò hæc eius temperies natiua omnibus in tantum nota & percognita ſit, vt vrere à nemine non dicatur: non deſunt tamen, qui ſtatuant, aroma axi nequaquam feruidum ſeu vrens, ſed admodum temperatum exiſtere. Cuius tamen ſuæ aſſertionis fidem haud facilem ſtatuent. Nam manifeſto ſenſu mordicatque, vritque. Qui qualitatis exceſſus vt in eo corrigatur attempereturq́;, ſalem addere ſolent, quo, cum vtriuſque naturæ ſeu qualitates contrariæ ſint, ad quandam quaſi ſymmetriam Axi reducitur. Pro cibo Tomates quoque habent. Hæc grana ſunt recentia & viridia, quæ cruda eſitari ſolent. Ex ijs tamen plerumque condimenta parantur. Supradictum piper, in omnibus ferè inſulis, vt in noua Hiſpania, & Peru omnique reperta terra, largè prouenit. Sicut enim ad panis vices ſufficiendas Maijs primarium eſt: ſic quoque ad embammata & condimenta paranda omnium aromatum Axi commodiſſimum exiſtit.

Cap. XXI.

De Platano.

SED iam ad Plantas grandiores diuertimus, arboribus connumerandas. Principium autem à Platani conſideratione ſtatuemus: quo nomine paſſim ab omnibus vulgariter appellatur. Nos verò diutina grauique dubitatione nutauimus, an Platanus, quam priſci tanto in honore habuerunt, cum hac Indica, ſpecie eadem ſit vel fuerit. Poſtquam verò tum huius faciem nobis propius contueri, tum illius deſcriptionem exquiſitius conferre licuit: quanta vtriuſque differentia ſit, facili iudicio æſtimare potuimus. Quod verò hoc nomen Hiſpani arbori iſti impoſuerint: hæc ipſis cauſa fuerat, quod inter vtramque Platanum quandam ſimilitudinem deprę-

hendiſ-

hendiſſent: ſicut de prunis, pinis, amygdalis, cucumeribus & cucurbitis dictum eſt. Nam & vtriuſque arboris foliorum facies quadantenus ſibi ſimiles exiſtebant. Indica ſiquidem Platanus folia latiſſima & ampliſſima habet. Sed & propter inſignem patorem priſcorum quoque Platanus laudata eſt. Arbor hæc aſſiduas aquas poſtulat. Id quod cum ſacra quoque Scriptura conuenit, dicente: Quaſi Platanus exaltata ſum iuxta aquam, &c. Si verò exquiſitè accurateque inter ſe vtræq; conferantur, ramulis omnino diſtare videbuntur, ſicut ouum (quod prouerbij vice terunt) diſtat à caſtanea. Primò enim veterum Platanus fructum nullum edit. Aut ſi vnquam edidit, eum veteres non obſeruarunt propter exiguitatem. Vnam ex illa vmbram quærebant: quam patore & diffuſione ſua copioſam ſuppeditabat, vt ſub ea, ceu ſolido tecto à ſolis radijs tuti eſſent. Fructus autem apud Indos vnica cauſa eſt, propter quam ipſis tantopere grata exiſtit. Nam eum oppidò ſuauem & gratum promit. Ad vmbram verò faciendam nihil conducit, cum ſub ea vix ſedere integrum ſit. Tum & priſcorum Platanus, ex craſsiſsimo caudice ramos tam diffuſos & ſpacioſos emittebat, vt (teſtante Plinio) Licinius Mutianus, ter conſul, & prouinciæ legatus, ſub vna cum duodeuiceſimo comite commodè epulatum ſe eſſe gloriatus ſit. Sed & Caius Caligula Princeps cum quindecim conuiuis ſuper ramorum tabulata ſplendidè lauteque cœnatus legitur. Contrà Platanus Indica, nec caudice nec ramis inſignis eſt. His & illud accedit, priſcorum Platanum in Italia & Hiſpania enatã, primum ex Aſia in Græciam, hinc demum verò in Italiam Hiſpaniámque importatam fuiſſe. Indica verò Platanus nec in Italia nec Hiſpania emergit, etſi quidem illic plantetur excolaturque: ſicut vnam in aula regia apud Seuiliam vidimus, nulla arte curaque produci potuiſſe. Foliorum ergò par facies non digna fuiſſe cauſa videtur, propter quam Indicã hoc nomine inſigniuerint. Veterũ etenim Platani folia vitium aut fici folijs ſimilia erant, monſtrante Plinio. Indicæ verò Platani folia tam vaſta & grandia ſunt, vt à vertice ad viri pedes vſque ſuſpenſa propendeant. Cæterum, etſi quidem noſtra Platanus cum vetuſta eadem ſpecie non cõtineatur, propter ſingulares tamen vtilitates facultateſque quas præſtat, merito nobis colenda videtur. Cretura primùm, è terra ſurculum emittit: ex quo diuerſi pòſt rami erumpunt: quorum quilibet (niſi quod inferius quaſi cognati colligatiq; ſint) peculiarem arbuſculam conſtituit. Folia eius læuia & virentia, magnitudinem ſuprà dictam habent. Vbi ſeſqui orgiæ altitudine ſuccreuit, tum ramulos denſiſſimos profundit, quorum vno numero nonnunquam trecentos videre liceat, ſingulos palmo vel maiores vel minores, digitorum ternorum craſſitudinem ferè habentes: quorum tamen non infrequẽs differentia eſt. Cortex à fructu leui niſu ſeparatur. Detracto eo, ille eſitatus, ſalubris admodum, & nec calore nec frigore excedens. Faſci-

Eccleſ. 24.

Plin. lib. 12. c. 1.

Lib. 12. c. 16.

culi dicti, virentes adhuc, in magnas ollas aut cellas reconditi ſuſpenduntur, dum matureſcant. Quam in rem herbam quandam illis addunt, quæ maturationem accelerat. Maturitatem tamen in arbore adepti, ſaporis multò ſuauioris ſunt, fragrãtiam pomorum fundentes. Horum per omne anni tempus prompta copia eſt. Ex partibus enim inferioribus ſemper noui ramuſculi erumpũt: ita, vt vno ſtemmate fructificare ceſſante, alter ſubinde nouos fœtus edat. Sic ergò omni tempore maturos ſimul & ſemimaturos fructus ex illis carpere licet. Qui ramus ſemel fructus edidit: hunc præcidunt deijciuntq́; ſtipite ſeu trunco illæſo, qui nouis ramis ſubinde repullulat. Et hæc viciſſitudo toto anno notatur. Arbor hæc ſolo gaudet feruido ſimul humidóque. Et vt feracior fœcundiorque ſit, radices eius adiecto fimo frequenter aluntur reficiunturque. Ab hac demptus fructus, omnium in omni India vſitatiſſimus editur, qui nationibus propè ſingulis in cibum venit: etſi ſint, qui dicant, eum primò ex Æthiopia illuc importatum fuiſſe. Nigritæ vel Morini eo, panis loco vtuntur; ac ex eodem potus ſuos conficiunt. Fructus crudus, cæterorum more, ex manu arroditur. Sed & toſtus, è culinis pro edulio promitur. Quin & in conſeruas aſſumitur: qua ratione admodum ſalutaris euadit.

Sed & Platanos alias in India reperiri ſcimus, teneras, exiles, candenteſque, quas in Inſula Hiſpaniola, Dominicos vocant. Præter quas & alibi nonnullæ craſſiores, ſolidiores, rubenteſq́; proueniunt. Sed hæ in Peru non durant. Ex Andes eò, & in Mexico ex Cuernauaca & campeſtribus alijs infertur. Quod ſi Platanus ſuccendendis focis idonea eſſet, certè arborum omnium commodiſſima & vtiliſſima futura videtur. Sed nec caudex, nec rami, nec folia ad alendum ignem quoquam modo apta ſunt. Et ob id multò minus pro extruendis ædibus faciunt. Tota ſiquidem arbor caua, intus & inanis eſt. Folia pingendis literis ſeruiunt, quibus papyri inopia eſt. Nam latitudine ſua folium papyri quoque æquant: longitudine verò id quadruplo ſuperant. Don Alonſo d'Erzilla, cum ſuam Araucanam in Chile conderet, papyro deſtitutus alia, ipſemet hæc folia aſſumpſit & vſurpauit: ſicut id publicè teſtatus eſt.

Cap. XXII.

De Cacao & Coca.

PLATANVS quidem; etſi ad plura cõmodior & quæſtuoſior ſit: ipſi tamen Cacao arbor in Mexico, & Coca in Peru longè præfertur. Arbores hæ multarum ſuperſtitionum ſeruæ ſunt. Cacao fructus minor amygdala, at ea craſſior & aſperior eſt. Toſtus probum ſaporem fundit. Hic tum Indis, tum Hiſpanis in maximo

ximo pretio eſt, adeò vt pro merce præſtantiſſima habeatur, qua in noua Hiſpania mercatores negotientur. Cum enim ſiccus & conſiſtens ſit, durabilior fit. Hoc integræ naues plenæ ex Guatimala afferuntur. Anno 97. ad portum Guatulco, in noua Hiſpania ſitum, fructus huius vltra 100000. onera à quodam Capitaneo Anglico combuſta ſunt. Cacao etiam pro moneta facit. Hæc enim res quinque, alia 30. & iterum alia citra inficiationem 100. Cacao emitur. Tum & ſtipis ſeu Eleemoſynæ loco Cacao pauperioribus diſtribuunt. Potus ex hoc fructu paratus Chocolate nuncupatur. Ridendi videntur, qui hunc in tanto pretio habent: cum, qui præparationem eius non viderunt aliquoties, citra horrorem & nauſeam illum guſtare non poſſint. Ipſi tamen nihilominus, nobiliores viros, per eorum territoria proficiſcentes, honorario hoc potu donare ſolent, ceu præſtantia quædam ſingularis eſſet. Tum Indi, tum Hiſpani, Hiſpanicæque fœminæ, quæ diutius in India egerunt, ſine hoc Chocolate vitam nullā ſuauem ducunt. Potum hunc ſingulari quadam temperatura ita parant, vt calidior ſit: qua cauſa ei quoque multum aromatum indunt, præcipuè Chilos. Quin & ex eodem paſtam ac placentas coquunt, quas tuſſi, pectori, & ventriculo commodas eſſe, iactant. Vtut autem hæc ſint: certiſſimum ſanè eſt, niſi quis à teneris ad hunc potum aſſuefactus ſit, eius nullo deſiderio facilè capi. Arbor, quæ fructum fert, proceritatis moderatæ eſt, valdè ſpecioſa, in cuius faſtigio corona ex ramulis intorta emicat. Hæc ſubſtantiæ tam mollis ac teneræ eſt, vt ſemper propinqua firmiore arbore quaſi ſuffulciri poſtulet, ne ſolis ardore nimiopere vſta tabeſcat. Collateralis hæc arbor Cacao Mater appellari ſolet. Agri & fundi, in quibus plantantur, Cacaotalen nuncupantur. Regio, qua fructus hîc copioſius prouenit, Guatimala eſt. In Peru non enaſcitur: vbi illius loco Cocam habent. Hac tantas ſuperſtitiones exercent, vt alicubi res omnis merito anilis & fabuloſa videri debeat. Ex negotiatione Cocæ, quotannis vltra dimidiam Millionem Peſos redundat aut colligitur. Nam ab anno 90. vſque ad 95. plus millenis corbibus, hoc fructu plenis abſumpti ſunt. Anno 83. 100000. corbes impenſi fuerunt. Pro quolibet Corbe, in Cuſco à 2½. ad 3. Peſos in Petoſi. 4. & 6. Tomynen, nonnunquam etiam 5. ſolidi Peſos pendendi ſunt. Omnium propè mercium permutatio his fructibus fit: quorum nemo non eſt auidiſſimus. Coca autem foliolum exile eſt, ex arbore, erecti viri proceritatem habente, enaſcens. Ea in regionibus admodum feruidis ſeritur plantaturque. Folia eius ſingulis quaternis menſibus reuireſcunt aut renouantur, quæ illic Treſmitas vocant. Hæc magna diligentia auelli poſtulant, cum admodum fragilia ſint. Sed & decerpta lenius tractanda ſunt, ne frangantur. Ordinata ſerie hæc in oblongos & anguſtos corbes diſponuntur: quos deinde ouibus ſuis imponunt, quæ vno comitatu perſæpe 3000. aut 4000. corbes baiulant: tanti greges vno numero agun-

aguntur. Copia huius fructus maxima ex Andes, & illis campeſtribus, quæ perpetuis ſolibus vruntur, & pluuiis potiſſima anni parte irrigãtur, exportatur. In hoc fructu plantando, temporis Indi quamplurimum inſumunt. Plurimis etiam, qui ex frigidis montibus ad harum arborum culturam conducuntur, vita impendenda eſt. Qua cauſa à multis doctis & prudentibus viris diu multumque diſſentientibus ſententijs quæſitum eſt, an conducibile ſit, omnes in vniuerſum Chacaras ſeu agros Coca ferentes, excindi & extirpari. Agri tamen ad hunc vſque diem immoti durant: cum, vt diximus fructus apud omnes Indos in magno pretio ſit. Ingarum ſeculo, è plebe nullus citra aut Ingarum aut Gubernatorũ ordinariorum permiſſum, Coca vti audebat. Id ori inditum mandunt, & manſu expreſſum ſuccum cum ſubſtantia reliqua deglutiunt: ſe ex eo efficaciter roborari & recreari atteſtantes. Non deſunt, qui arbitrentur, hoc roborationis effatum merum ſomnium ac figmentum eſſe. Nobis tamen ex iuſta cauſa videtur diuerſum. Nam eos inde oppidò refici & roborari, longè euidentius ipſo effectu conſtat, quam vt in dubium vocari debeat. Quod ſi enim Indorum quiſpiam huius Cocas vnum ſaltem manipulum guſtârit: eo die certè duplum iter conficere poteſt, à cæteris tamen cibis in ſolidum non abſtinens. Tuſum & comminutum Coca, Indi cum oſſibus in puluerem læuigatis, aut, vt aiunt, calce permiſcent: quod remedium ſibi ad plurima conferẽs eſſe, perſuaſum habent. Folia quoque illis pro pecunia ſunt: quibus omnia, quæ poſtulant, permutant redimuntque. Quæ omnia quidem ſuo in loco ſtatuque vigere poſſent: ſi cultura arborum non cum tot hominum cæde & interitu perficeretur. Ingæ, Coca epuli regij vice veſcuntur. Hoc ſua quoque ſacrificia peragebant, & in Idolorum honorem cultumque eius quamplurimum cremabant.

Cap. XXIII.

De Manguey, Tunal, Greyn, ſiue Cochinillie, Anil, ſiue Indigo, Algodon ſiue Catoen.

MIRIFICA ea arbor, de qua noui Scriptores, ſiue (vt in India vocantur) Chapetones, tot miracula condunt, ante omnia nobis deſcribenda offertur. Ex ea enim parantur, aquæ, vina, oleum, acetum, mel, ſyrupi, fila, acus, & res aliæ infinitæ. Ea patria voce Manguey dicitur. Nouæ Hiſpaniæ incolæ huic arbori quamplurimum tribuunt: quarum plerumque vnam domibus ſuis, ad vitæ ſuſtentationem, conſitam & applantatam colunt. In campis quoque, vbicunque ſeruntur, coluntúrque, proueniunt. Folia earum lata & craſſa ſunt, verſus extremitatem acuminata. Hoc extremo, acus vice, ad pannos conſuendos vtuntur. Apicem enim ex folio

folio extrahunt aut euellunt:quem extractum continuò quoque pilus ſeu filamentum conſequitur, quo veri fili loco vtuntur. Caudicem arboris,adhuc teneræ,incidunt,& cauum foramen relinquunt. Ex hoc deinde liquor aquæ ſpecie extillat, valdè dulcis & refectorius, quem potant.Idem liquor ſi decoquatur,vini ſaporem acquirit.Hoc ſepoſitū aliquantiſper,aceſcit.Apud ignē ſi decoquatur & depuretur, mel fit.Ex dimidio ſi ſaltē coquatur, ſyrupi conſiſtentiam accipit. Vt ſapor eius ſuauis eſt:ſic ipſe ſyrupus ſalubris exiſtit,& meo arbitrio ſalubrior ſyrupo ex vuis parata. Eo quo diximus modo, iſta omnia parantur, ex vno liquore:qui ex arbore tanta copia profluit extillatque, vt aliquot menſuræ integræ vno die colligantur aut excipiantur. Arbor eadem in Peru quoque prouenit: ſed in Peru multò maiore diligentia excolitur. Ad fouendos ignes admodum accommodata eſt, cum fungi præparati more ignes alat,diutius viuentes.

Tunal, & ipſa celebris in noua Hiſpania arbor eſt, modò arboris nomine appellanda ſit. Facies enim ſeu ſpecies eius cæterarum arborum omniū nulli ſimilis exiſtit. Primò enim foliū prodit vnicum. Ex hoc iterum aliud enaſcitur, & ſic conſequēter. Folijs ſupremis emergētibus, inferiora grandeſcunt & craſſeſcunt,ita,vt foliorum ferè naturam formamq; exuant,& ramorum ſpeciem induāt,dum ſpinoſā, aſpera & deformia fiūt. Vnde in locis nōnullis quoq; Cardi appellantur. Cardi quoq; ſeu Tunales ſylueſtres reperiūtur, fructum nullum protrudētes:aut ſi eos egerant quidem,meræ tamen ſpinæ horrentes ſunt.Tunales quoq; alij inueniuntur,fructus bonos promentes: qui magni quoq; in India æſtimātur.Hi Tunas vocari ſolent.Fructus hic ceraſo Halicacabi grandior eſt,æquè læuis.Cortex,quo craſſo integitur,demptus intus nucleum ſeu pomum,ficus inſtar,prodit. Id ſaporis non inſuauis eſt, maximè quod albicat. Hoc enim præter ſaporis ſuauitatem, iucundum quoq; odorem ſpirat.Rubra poma nō æquè ſapida ſunt.Præter hos Tinales quoq; nōnullibi alij emergūt,qui etſi quidem ſimiles cum prioribus fructus non ferant,longè tamen præſtātiores habētur, & cura maiore excoluntur. Nam etſi quidem Tunas nullas gignāt:ſub folijs tamē fructum alium, Greyn, dictum fouent eduntq;, ſi probè excolātur. Greyn autem vermiculi ſunt, folijs ipſis adhæreſcentes, tenuiq; pellicula obducti. Horum legendorum Indi admodum periti & gnari ſunt. Et hæc celebratiſſima illa Indiæ Cochinillia eſt,qua Greyne colorantur. Hanc ſi vendituri ſunt,prius ſiccant: ſiccatam in Hiſpaniam importāt, vbi magno venduntur. Vnum enim Arrobe huius Cochinilliæ ſiue Greyn multis Ducatis venit. Claſſe iſta, quæ Anno 87. in Hiſpaniam appulit, Arrobe Greyn 5677.aduehebātur,quæ ad monetam relata, 283750.Peſos,ſiue Regales octonorum conſtituebant. Cenſus ex ijs ſimilis ferè quotannis fit. Tunales locis temperatis, ad humiditatem & frigiditatem nonnihil inclinantibus gaudent. Iam verò à longo tempore incrementum fe-

lix non habuerunt. Horum etſi nonnullos quoq; in Hiſpania viderimus, ad omnia tamen inutiles & inidonei fuerunt.

Ex qua planta Annil ſiue Indigo conficitur, etſi ex arborum cẽſu non ſit: tamẽ quia mercis ſpecie cum Creyn ſiue Cochinillia diuenditur, & in noua Hiſpania magna copia enaſcitur, de ea quoque nobis nonnulla dicẽda videntur. Huius ſuprà dicta nauigatione, quantitas, 25263. Arroborum, qui totidem Peſos ſiue Regales octonorum faciunt, aduecta erat. Algodon, Catoen ſiue goſſypium in arbuſculis tam magnis quam minoribus naſcitur, in folliculis ſcilicet marſupijs ſimilibus: quos ſi diffringas, intus latentem lanam inuenies. Hæc carpta, neta, & in fila redacta, texitur: quæ tela deinde pretioſis veſtibus panniſque conficiendis impenditur. Copioſe prouenit in locis feruidis, comprimis iuxta littora Peruẽſia, & in noua Hiſpania, in inſulis Philippinis, in China, in prouincia Tucumana, in S. Crucis montanis, in Paraguay, quæ in finibus Rio de La Plata ſita eſt. Goſſypio Indicæ mulieres pro lino & lana vtuntur, ad veſtes parandas. Præterito anno goſſypium 64. Arroborum quãtitate ex inſula S. Domingo auecta eſt. Quibus in Indiæ locis goſſypium naſcitur, eo tum viri, tum fœminę veſtiuntur. Sed & mappas, & vtẽſilia cætera ex illo conficiunt, vt & vela pro nauibus. Goſſypium aliud denſum craſſumq; eſt, aliud molle & tractabile. Coloribus varijs tinguntur panni, qui in vſus multiplices accommodantur. Huius vicem apud Europæos lana complet.

Cap. XXIV.

De Mameyen, Guayauos & Paltos.

DE plantis, quorum fructibus Indi plerumque negotiantur, & vẽditis illis victum præcipuè parãt, in præcedentibus capitibus à nobis diſſertum eſt. Enumerãdi nunc illi reſtãt, qui eſiles pro cibo ſunt. Inter hos primi Mameyen, maximi apud vniuerſos æſtimãtur. Magnitudine Melocotones ſeu Perſica æquántve ſuperántve. Intus nucleo vno ac altero ſtipantur. Fructus hic aliquãto durior, ſpecies alias dulces, alias acidas ſortitur, cortice ſolidiore veſtitus: qui ſaccharo cõditus, conditis cotoneis aut Marmelladæ ſimilis exiſtit. Cibus is eſt ſapidus approbè, ſed conditũ multò ſuauius. In Inſulis potiſſimum enaſcũtur. In Peru nullas vidimus. Arboris ſua proceritas eſt, externa facie ſpectatu non iniucundæ.

Guayanos alia arbor gignit fructus non vſquequaq; optimos. Ea granis duris, minora poma æquantibus, vndique prægnans eſt. Fructus, nec in Inſulis, nec terra firma laudatus. Nam & fœtere ſimul, & inſalubris eſſe perhibetur. In Sant Domingo & finitimis Inſulis toti montes Guayanos ferunt. Hiſpani iuratò affirmãt, cum primum ea

loca

loca occupaſſent, arbores illas nōdum regionibus ijs familiares fuiſſe. Quo itaque principio emerſerint, incertum eſt. Breui tempore in numeroſam ſobolē excreuere. Nec enim, quę grana legant vorentq;, animalia illic vlla habitant. Facies in Peru huius arboris diuerſa eſt. Nec fructus, vt alibi, rotundus & albus viſitur. Odorem aduerſum tetrumq; nullum fundit; & ſaporis iuxta blandi & amici eſt. Guayanorum nōnullarum fructus tam boni ſunt, vt cum optimis quibuſuis Hiſpanicis certare auſint. Ex horum claſſe Matos ſunt, & parui albicanteſque Guay nauilli; qui facile coquuntur, & ventriculo grati ſunt, quia naturæ frigidiuſculæ, & ſubſtantiæ conſiſtentioris. Ex aduerſo horum Paltos calidiores & teneriores ſeu molliores ſunt. Palto autem arbor grandis & ſpecioſa, multíſq; ramulis inſignis exiſtit. Fructus, ſi probè maturuit, pyra maiuſcula referunt. Intus lapis ſatis grandis occulitur. Fructus reliquum admodum dulce eſt. Qui ſi exactè maturuit, butyrum tum liquiditate tum ſapore æmulatur. In Peru Paltos grandiores ſunt, putamine duriuſculo inducti, quod totum detrahitur. Pars tamen eorum maxima in Mexico parua eſt, & tenui cortice velantur, qui pomorum more abraditur. Fructus ipſe ſalubris, aliquantò calidior guſtatur. Melocotones ſeu pyra Indica ſunt, Mameyen, Guayanen, & Palten. Sed nos his miſſis, Europæos præferimus: etſi ſint, qui propter aſſuetudinem aut affectus priuatos Indicos eligant. Certum interim eſt, eos, qui fructus hos nunquam guſtarunt anteà, ſaporis blandimentis ad ipſos eſitandos tardè illectum iri. Nam & de his ſcribendi iam dum ſatietas nobis oborta eſt. Sepes ergò claudamus: cum omnium rerum plena tractatio nobis nec inſtituta, nec præſtitu facilis ſit.

Cap. XXV.

De Chicoçapotes, Annonas & Cepolies.

QVIDAM, qui rebus Indicis nimioperè deprædicandis vnicè ſtudent, prætenderunt, fructum eſſe quendam Cotoneis non abſimilem: & item alium, inſtar Mangiar Blanco, quod in Hiſpania in artocreas indūt. Cotonea verò mala, ſiue Mermelada (niſi nos opinio fallit) ex eo fructu erant, quem Capotes, ſiue Chicoçapotes nominant, guſtatu admodum dulcem. Colore condita citonia aut Mermelladas non inuenuſtè exprimit. Hunc fructum nonnulli Cariollos (ſic Hiſpanorum poſteros vocāt, in India prognatos) Hiſpanicis omnibus præſtare affirmāt. Quod nobis tamē haud quaquam veriſimile fit. Sed de hac re nullā nobis litē dari volumus. Chicoçapotes in locis feruidis nouæ Hiſpaniæ proueniūt. Faciem cū Capotes ferè eandem habent, quos in terra firma enatos conſpeximus. Sed in Peru tamen nos fructum ſimilem vidiſſe, non meminimus.

Mangier blanco eſt Annona ſiue Guanauana, in terra firma enaſcens. Annona autem pyri magnitudine eſt, oblongior, & nonnihil hians. Eius interanea, butyri modo mollia, bonum ſaporem guſtantibus dant, ſed leuiorem Mangier blanco. Illi ergò præferendum hoc minimè videtur. Sapor aliàs ex ſe ſuauis eſt, & pro nonnullorum opinione, fructus hìc Indiæ optimus habendus. Intus grana nigricantia quamplurima clauduntur. Huius generis fructum optimum in noua Hiſpania guſtauimus: vbi & capolies, ceraſis ſimiles reperiũtur. Ceraſis quoque ſimiles lapillos fouent, etſi carne ampliore ſint. Guſtus ſubdulcis. Capolies, præterquam hìc, alibi nullos vidimus.

Cap. XXVI.

De diuerſi generis fructibus, vt Cocos, Amandelen fructu ex Andes, & Amandelen ex Cachapoyas.

HAVD quoquam pacto fieri poteſt, vt omnes ſimul in hoc libro tum arbores tum fructus Indici enumerentur: cum magna eorum pars nobis incognita ſit, & ex congnitis multi nobis in mẽtem non veniant. Fructus in India craſſus quidam Lucumas dicitur: quem nihil aliud quam lignum eſſe diſſimulatum aiunt. Pacayes, ſiue Guauas, & Hobos, multi pro nuce iuglande habuerunt. Sæpius tranſplantatas, nuces Hiſpanicis ſimiles gignere abiunt. Veluti verò genus eorum ſylueſtre eſt: ita, quas nuces protruidunt, eſui ferè ineptæ ſunt. Hoc loco iterum beneficentiæ & prouidentiæ diuinæ memores nos eſſe, æquum puto; qua Deus creator diuerſis terræ partibus tam varia arborumque & fructuum genera diſtribuit, vniuerſa in hominum, terram habitantium, ſalutem & ſuſtentationem cedentia. Vbi hoc comprimis admirabile videtur, quod nunc tandem, tam in ſapore, quàm natiuis proprietatibus tantoperè differentes res inueniantur, quæ ante reuelatas Indias ne in minimo quidem vſpiam cognitæ fuerunt: & de quibus nec Plinius, nec Dioſcorides, nec Theophraſtus, nec quiſquã alius literarum monumentis quicquam vnquam tradiderunt. Noſtro vero ſeculo non defuerunt, qui de Indicis plantis, herbis, radicibus, & ſingularum operationibus medeliſque, planè, eleganter copioſeque ſcripſerint. Quos, qui plura deſiderat, ex ordine ſingulos euoluat. Nobis enim rerum harum quædam quaſi ſummaria enumeratio ſaltem inſtituta eſt.

Palmam Indicam, cum miras & memorabiles proprietates habeat, hoc loco neutiquam ſilẽtio præterire poſſumus. Quam tamen non genuino & proprio, ſed ſaltem Analogico vocabulo ita appellamus, quum palmæ inſtar procera & craſſa arbor ſit: quæ quo altius exurgit, eò ramos patentius fundat exeratque. Palmæ hæ ſiue Cocos, fructum

fructum quendam emittunt, & ipſum arboris nomine Coco vocatum, ex quo pocula, contra veneni hauſtus & lienis diſtentionem conficiũtur. Interanea huius fructus, ſi maturuerunt & ſiccata ſunt, guſtatu caſtaneæ ſaporem præbet. Sed ſi Cocos adhuc tener & mollis ab arbore pendeat, interius illud lactis ſubſtantiam refert: quod pro nectare, feruidis anni temporibus gliſcentibus potant. Apprimè enim perfrigerat. Arborem hanc in Sant Ian de Puerto Rico & Indiæ nonnullis locis alijs vidimus: & vnà intelleximus, eam ſingulis menſibus, nouos ramulos, fructu prægnantes protrudere: ita, vt ſingulis annis duodecies parturiat: quod huic ſimile videri queat, de quo in Apocalypſi Ioannis traditum legimus. Incolarum verbis ipſa quoque rei apparentia aſtipulabatur. Cuilibet etenim à nobis viſo ramo ſua peculiaris facies erat: cum hic incrementũ perfectum iam attigiſſet, ille vix ad medietatem excreuiſſet: cæteri autem vix dum protuberarent & erumperent. Coco fructus parui Melonis magnitudine erat. Sed & alia illis ſpecies Coquillo dicitur, quæ fructum ſuauiorem gignit. Ea in Chile naſcitur. Nuce iuglande & minor & rotundior eſt. Tertium quoque genus habent, cuius interiora non continua & vnius ſubſtantiæ ſunt: ſed carnis loco granorũ amygdalis ſimilium definitum numerum fouent, quæ, vt in punico malo, ſuo ordine intus locata iacent. Amygdalæ hæ triplicem Hiſpanicarum quantitatem habent: ſaporis tamen durioris, humentioris & oleoſioris ſunt. Inter ciborum delitias numerantur, non ſecus ac panis Martius, ex amygdalis & rebus alijs concinnatus. Fructus iſti, amygdalæ ex Andes nominantur, quod eo loco vberrimè prouenìant. Earum tanta ſoliditas & durities eſt, vt ad eximendum nucleum vix incuſſis lapidibus diffringi poſſint. Nulli niſi experto veriſimile fieri queat, arborem iſtam, ſi pro ſua mole conſideretur, tanta amygdalarum copia prægnantem eſſe poſſe. Amygdalæ in vniuerſum omnes, cum his ex Cachapoyas lectis bonitate conferri non poſſunt. Quas ideò amygdalas indigetamus, cum vocabulum aliud idoneum nobis non præſens ſit. Et noſtro iudicio quidem, hoc fructu nullus in omni India, aut ſuauior, aut delectabilior, aut ſalubrior vſpiam reperiri queat. Tum & Medicus quidam primi ordinis apertè teſtatur, nec in Hiſpania, nec India, propter eximias dotes quenquam vſpiam fructum cum hoc conferri poſſe. Andeſianis quidem, de quibus antè dictum eſt, eæ minores: Hiſpanicis tamen maiores exiſtunt. Guſtatæ & manſæ molles ſunt ſucculentæque ac butyri æmulæ ſaporem dulciſſimum præbent. In proceris admodum arboribus, vndiquaque ramoſis, proueniunt. Porrò, vt hominibus hic fructus gratiſſimus obuenit: ſic natura quoque eundem inducto corticeprobè munitum voluit. Cortex is maior & ſpinoſior eſt caſtanearum. Qui ſi inaruit, facilè panditur, vt fructus auferatur. Cercopithecos aiunt huic fructui auidè inſidiari, quos Cachapoyas re-

gio (in qua ſola quoque hanc arborem reperiri putamus) copioſos a-lit. Hunc fructū exempturi Cercopitheci, vt digitos non vulnerent, ipſum ex arbore in ſubiecta ſaxa deturbant, vt eo caſu cortex frangatur & ſecedat.

Cap. XXVII.

De diuerſo genere Florum, & nonnullis arboribus, ſolos flores gignentibus: & quomodo Indi his vtantur.

NOVÆ Hiſpaniæ Indi, florum pulchritudine, ſuauius, vlla totius orbis natione afficiuntur. Ex floribus varij generis ſerta & corollas texentes aut innectentes, eas Suchiles vocant, quas tanta ſolertia concinnare norunt, vt amœnius & venuſtius, nihil reperiri queat. Suchiles huiuſmodi primoribus & peregrinis hoſpitibus honorario offerre ſolent. Cum per eos fines aliquando iter faceremus, tanto ſertorum iſtiuſmodi numero nos impertiebant, vt omnium aſſeruandorum nobis ſpatium non ſufficeret. In hæc flores Hiſpanicos omnium ſplendidiſſimos conferunt, quos India nihilo infelicius Hiſpania profert. Huius generis ſunt, Angiers, Roſæ, lilia, Iaſmini, violæ & ſi qui ſimiles ex Hiſpania eo illati ſunt. Tempore quodam fortuito accidit, vt roſæ frutex exureretur. Is ab eo roſarum multo maiorem numerum gignebat. Hoc itaque caſu edocti, roſarum frutices, luxurie ſua liberare, eoſque tempeſtiua amputatione vegetare cæperunt. Iam roſis omnia paſſim plena ſunt. Præter roſas ex Hiſpania importatas, ſpecies earum plurimæ aliæ quoque connaſcuntur, quarum ſingula nomina nobis iam in promptu non ſunt. Aliæ tamen earum rubeæ, aliæ croceæ, nonnullæ cæruleæ, quædam candidæ, viſuntur: quas criſtarum ſpecie capitibus ſuis geſtant.

In horum florum nōnullis præter coloris amœnitatem nihil laudatur. Nam odorem aut tetrum aut fortem habent. Etſi non deſint, qui halitum quoque fundant ſuauiſſimum & fragrantiſſimum. Ex cenſu horum ſunt, qui Floribondio dicti, naſcuntur ex arbore quadam, præter flores fructus nequicquam gignente. Flores hi, liliis maiores, campanularum forma emergunt, albicantes, & intus liliorum ſpecie, filamentis diſtincti. Arbor hæc, toto anno floret, nec ornatu ſuo vnquam ſpoliata viſitur. Eius odor mirabilis, maximè ſub gelidam auroram: cuius documentum in viridariis Regiis captari licet. Huius enim genus quoddam ViceRex Don Franciſco de Tolledo, Regi Philippo plantandum tranſmiſit. Indis nouæ Hiſpaniæ flos alius quoque ſingulari in pretio eſt, quem

Iolo

Iolo ſuchil, id eſt, florem Cordialem, vocant. Nam & figura & magnitudine cor præſentat. Similes flores alia etiã quæpiam arbor parturit,alius fructus non conſcia: quorum odor, noſtro iudicio, fortior eſt, quàm vt commendabilis ſit. Quamuis nonnullis approbè fragrare videatur.

Flos,à Sole,cuius & faciem refert,& motum imitatur, dictus,peculiarem & ipſe naturam habet. Præter hos ſunt, quos Angiers Indicos,appellant. Hi holoſericum tactu referunt, Solo aſpectu amabiles,odore omni deſtituti. Inodori quoque alij flores ſunt, qui manſi ſaporem maluæ pumilæ reddunt.

Granadilla flos,præ cæteris deſcribi dignus eſt. Nam in eo Paſſionem Saluatoris noſtri deſignari aiunt: traduntque reperiri inibi, clauos,columnam,flagellũ, ſpineam coronam, & vulnera: quæ omnia diſtinctè ſpectatoribus demonſtrant.Odore tamen non inſigni pollet.Ex hoc qui fructus emergit,Granadilla quoque dicitur,quam aut edere,aut bibere,imò verius ſorbere licet. Sapor eius dulcis: vis refrigeratoria. Sunt,qui nimis dulcem prædicent.In ſpectaculis ſuis ludiſque,non niſi floribus conſpicui comparent: qui mos etiam Regulis & magnatibus ſolennis eſt. Vnde factum, vt proaui eorum plerunque manibus flores geſtantes, depicti videantur, quo modo noſtrarum imaginum manibus chirothecæ inſertę appinguntur. Tantum de floribus.

Albahaca,etſi non flos,ſed herba ſit: eam tamen nihilominus voluptatis odoriſq; gratia in hortis cum cæteris floribus excolunt. Cuius tantam frequentiam educauere quidem,vt iam pro triuiali herba habeatur.

Cap. XXVIII.

De Balſamo.

HERBAS ac plantas Deus Opt. Max.non ad corpus hominis ſaltem alēdum fouendumq;, ſed ad idem quoque ſanandum & ornandum condidit. De his, quæ ad ſuſtentandum hominem faciunt, in præcedentibus capitibus diſſertum eſt. Quæ verò ad medendum idoneæ ſunt, eas deinceps aggrediemur. Etſi verò omnes in vniuerſum notæ herbæ ſanando homini conducant;pro remediis tamē,quæ porrò dicemus, plus omnino facere videntur. Huius cenſus ſunt,Liquores,Olea, Gummata, & reſinæ, quæ à nonnullis plantis funduntur. Quæ vel ipſa ſpecie, quem vſu præſtent, illicò innuunt. Ex omnibus autem nobiliſſimum Balſamum eſt, propter vim diuinam & admirandam, quam in ſanandis vulneribus, exerit. Taceo quod rerum omnium fragrantiſſimum exiſtat. Quod ex India Occidentali effertur Balſamum, verum ac genuinum nō eſt cum illo,

illo, quod ex Alexandria aut Alcayro aduehitur, cū priſco illo Iudææ Balſamo idem: quem theſaurum, vt Plinius ait, terra ea præ cæteris omnibus orbis regionibus peculiarem habuit: vſque dum Cæſar Veſpaſianus & Titus eandem plantā quoq; Romam intuliſſent. Occidentalis autem Indiæ Balſamum, cum illo Iudææ idem non eſſe, ex eo primò colligi poteſt, quod arbores, quibus vtraque funduntur, inter ſe diuerſæ ſint. Palæſtinæ enim arbuſcula erat, viti ſimilis, qualem ſe vidiſſe Plinius narrat. Et qui noſtro ſeculo in Orientalibus terris eandem viſam deſcripſerunt, idem affirmant. Locum, quo Balſamum extillaret, ſacra pagina Engaddi, propter ſimilitudinem, quam arbuſcula dicta cū vite habet, appellat. Quæ verò in India Balſamum fundit arbor, mali punicæ magnitudine eſt, nec cum vite vlla parte conuenit. Apud Strabonem quidem legimus, arbores Balſamiferas, veterum ſeculo magnitudine mali punicæ repertas fuiſſe. Sed id hoc loco non excutimus. Certiſſimum tamen eſt, priſci Balſami operationes omnes admirandas extitiſſe, tum quoad odorem, tum quoad vim ſanatoriam, ad colorem, ipſamq; ſubſtantiam. De hoc Balſamo quicquid proditum eſt: illud omne quadamtenus in Indico quoq; reperitur. Et ſicut veterum Balſamum ex inciſo & vulnerato arboris cortice extrahebatur: ita Indicum quoque, niſi quod copioſius extillet altero.

Plin. libr. 12. c. 26. *Cant. 1.* *Strab. libr. 16. Geograph.* *Plin. libr. 12. c. 26.*

Huius quoddam genus limpidum & pellucidum eſt, quod Opobalſamum vocant. Id nihil aliud, quàm pura extillans lachryma, exiſtit. Ab hoc genus quoddam imperfectius eſt, quod ex ligno, corticibus & foliis aut expreſſionis aut ignis vi prolicitur, quod Xylobalſamum appellatur. Hæc omnia genera & Indis nota ſunt. Nam & purum ſponte ſua ex arbore profluit: & ex lignis foliiſque ac corticibus vel exprimitur vel excoquitur. Sed & adulterandi huius artes habent, vt quantitas augeatur. Balſamum maximi æſtimatur. Cui ſi Smaragdi & vniones iungerentur, pro re diuina haberi poſſet. Balſamum ex noua Hiſpania, præcipuè ex prouincia Guatimala, Chiapa & finitimis aliis locis, in quibus copioſè colligitur, in Hiſpaniam infertur. Optimum & valentiſſimum ex Inſulis Tolu, iuxta terram firmam non procul à Cartagena ſitis quæritur, ſed id candidum eſt, quod rubeo ſemper nobilius cēſetur. Primas autem Plinius rubeo, ſecundas candido, tertias viridi, & quartas nigro cedit. Contrà Strabo candidum cæteris præfert: cum quo & nos facimus.

Lib. 12. c. 26.

De Balſamo Indico accuratè & eleganter tradit Monardus parte prima & ſecunda, de Cartagena & Tolu. Ex nullis ſignis augurari potuimus, ante Hiſpanos Balſamū Indis in pretio & honore fuiſſe. Nec enim ſuis ipſum neceſſitatibus adhibebant. Quamuis Monardus contrà teſtetur, Balſamo Indos ſua vulnera ſanaſſe, & hanc artem Hiſpanos ipſorum documento edoctos eſſe.

Cap.

Cap. XXIX.

De Liquidambra, & cæteris oleis, Gummatisq́ue, ac mercibus aliis ſiccis, ab Indis acceptis.

A Balsamo proximæ cenſuræ Liquidambra eſt, quæ & ipſa ſuccus medicinalis fragrantiſſimus exiſtit, ex ſeipſo tandem paſtilli more ſicceſcens. Eius natiua temperies calida eſt, ad ſuffitus præſtantiſſima. Vulneribus & alijs affectibus ſanandis adhibetur, ſicut id ex Monardo videre licet, qui in primo ſuo libro, de iſto liquore ac alijs iuxta medicinis, ex India promptis, copioſe tradidit. Liquidambra quoque affertur ex noua Hiſpania, quæ regio citra controuerſiã, propter gummata & ſuccos, vbertim ex arboribus fluentes, cæteris nobilior eſt. Eadem & odoramentis, & rebus alijs medicis admodum inſignis eſt: ex quarum claſſe & Anime eſt, quæ magna copia inde exportatur.

Cópal & Suchicopal, altera Styracis & thuris genera, tũ alijs virtutibus, tum maximè ſuaui odoratu placent. Eiuſdem generis ſunt Tacamahaca & Caranna, quæ vim medicatricem ſingularem poſſident. Inde & oleum, Aueto dictum, effertur, quod tum Medicis tum pictoribus in vſu eſt. Illi in Emplaſtra conferunt: hi pro fernice habẽt, ad picturarum præparationem. Eadem quoq; Cannam Fiſtolam, vt vocant, largitur, quæ in Hiſpaniola inſula copioſe creſcit. Eius arbor grãdis & procera, Cannam, medulla intus farctam, fructus loco progignit. Claſſe ea, qua ex Domingo ſolueramus, vltra 48. Quintalia Caſſiæ fiſtularis: & ſalſæ pariliæ, quinquaginta Quintalia vehebantur. Huius maxima quoque copia in Peru, & terra Guaiaquil, ſub linea æquinoctiali, admodum præſtãtis reperitur. Illuc ſe infiniti homines ſanitatis acquirendæ cauſa ingerunt: quibus id perſuaſum eſt, quod ſaltem potata aqua illius loci, conualituri ſint. Nam per huius radicis numeroſam ſobolem vnda illa perfluit, ſicut ſuprà recenſuimus. Et vt cõmodius aut largius ſudare poſſint, multis ſe veſtimentis operiunt: quas ea aliàs terra non exigeret.

Guaiacan lignum, aliàs Sanctum vel Indicum vocatum, in prædictis inſulis paſſim magna copia creſcit, ferri pondus habẽs. In aquam illud coniectum, fundum petit. In prædicta claſſe, ligni huius 350. Quintalia aduecta ſunt: cum, ſi probè diuendi licuiſſet, eodem labore illius 20000. aut 100000. Quintalia afferri facilè potuiſſent. Ligni Braſiliani, quod flãmei coloris eſt, & tincturis faciẽdis adhibetur, 134. Quintalia apportabãtur. Præter hactenus dicta India quoq; infinita alia, tũ ligna, tũ gummata, tũ olea promit, quę ſingula cõmemorare, nec viriũ noſtrarũ nec inſtituti eſt. Id tamẽ minimè ſicco pede tranſiliendũ eſt, quod ſub Ingis, Regibus in Cuſco, tẽpore Regum Mexicanorum multi præſtantes & peritiſſimi viri vixerint, qui ſimplicium

(vt vocant) ope plurimos, eoſdemque grauiſſimos affectus perſanarint. Nam vires facultateſque tum herbarum, tum radicum, lignorumque, ibidem natorum, apprimè calluerant, quæ veteribus Europæis in ſolidum ignota & incomperta fuerant. Simplicium iſtorum terra ea innumera fert, velut inter cætera eſt radix Mechoacan, Pinioën ſiue nuces Pineæ ex Puna, Confectiones ex Quanuco, Olea ex Higuerilla, & huius generis alia: quæ ſi rectè conficiantur præparenturq;, & tempore cõmodo adhibeantur, non minores & infirmiores effectus edunt ipſis Oleis, ex Orientalibus terris allatis: quod ex his, quæ Monardus prima ac ſecunda ſuorum librorũ parte tradidit, intelligi poteſt. Ibi enim prolixiſſime de Tabaco & Peto, quæ venenorum præſentanea remedia inuenta ſunt, pertractat.

Tabaco autem arbuſcula eſt, etſi vulgatæ quidem notitiæ, non tamen temnendæ virtutis aut operationis. Quæ in hac, quam in aliis, non ignauior eſt aut remiſſior. Deus, enim cum pro inexhauſta ſua clementia dona diſpenſaſſet: vt res vel minima inutilis eſſet, non paſſus eſt. Idem voluit, hominem iſtis cognitis ad ſuum cõmodum & ſalutem vti.

De plantis, liquoribus & aliis rebus Medicis, Regis iuſſu præclarum opus Doctor Franciſco Hernandes condidit, in quo vniuerſæ plantæ ad viuum expreſſæ deſcribuntur, numero 1200. comprehenſæ. In hoc opus aiunt vltra 60000. Ducatos impenſos fuiſſe: cuius compendium Doctor Nardos Antonios, Medicus Italicus magna diligentia concinnauit: quò eos, qui de plantis Indicis plura ſcire deſiderant, miſſos volumus.

Cap. XXX.

De grandioribus Indiæ arboribus, vt de Cedro, Ceiuas, & proceris aliis.

SICVT ab initio conditi mundi, iuſſu omnipotentis creatoris terra arbores & plantas mira varietate produxit: ſic nulla vbiuis terra eſt, quæ non aliquid fructus proferat: etſi aliæ partes aliis minus. Namque præter eas tum plantas, tum arbores, quæ hominum opera quaſi producit, & in varias terras tranſplantat, infinitæ aliæ exiſtunt, quæ ſolius naturæ inſtinctu motuque prodeunt. Et harum in nouo orbe, quam Indiam vocamus, multò plura & ſpectatiora genera ſunt, quam in orbe veteri, puta Aſia, Africa & Europa. Cuius rei hanc cauſam attexunt, quod India, temperaturæ calidæ & humidæ ſit, ſicut in ſecundo libro à nobis contra veteres demonſtratum eſt. Qua temperie, Indiæ ſolum quaſi vberrimè vegetatum, innumeras tum domi tum foris plantas luxurioſo partu producit, adeò, vt propter frequentia fruteta, arborumque numeroſam vbique

vbique ſobolem, tam in planis quã montanis emergentem, per maximam Indicæ terræ partem tranſitus cõmodus nullus pateat. Quos in locis nonnullis, maximis moliminibus machinari oportuit: vt ad quæ commeatione omnino opus fuerat. Ibi ſecuribus detruncandæ arbores, frutices euellẽdi, & retæ ignibus exurendæ omnino fuerunt: cum in principio viarum paſſim omnium tanta aſperitas & intricatio extitiſſet, vt (ſicut à maiorib. rem expertis accepimus) in vno milliari conficiendo perſæpè ſex integris diebus impendendis opus fuerit. Ex ſociorum noſtrorũ quodam fide digno viro accepimus, cum in montanis aliquando exorbitaſſet, quod vepribus & dumis, ſyluiſque continuis ita inuolutus & intricatus hæſerit, vt in illis transſultandis, perrepẽdis & perrumpẽdis dies quindecim integros inſumpſerit, ærumnis & anguſtiis ſanè infandis. Iam enim ſibi arbores editiſſimas aſcendendas fuiſſe, vt aliquem commodiorem tranſitum diſpiceret: iam vi dumeta perfringenda & perrumpenda, vt ex maioribus difficultatibus eluctaretur, atteſtato iurabat. Quod ab ipſo exantlatum iter, cum admiratione digniſſimũ ſit: ideò eius deſcriptionem ſingulari libro in vulgus dedimus: quo Lectorem hinc amandamus. Quod ſi quis incredulus octodecim ſaltem illa milliaria, quę à Nombre de Dios vſque in Panamam excurrunt, emetiatur, is porrò de hac re dubitandi omnem animum abiiciet. Eo loco nunquam hyems gliſcit: Sed perpetuis imbribus terra madidiſſima eſt, vt neceſſe ſit, ex hac ſumma humoris abundantia, tum in montibus frutices arboresque infinitas, tum in planis gramina & herbas innumeras produci & quaſi protrudi.

Porrò verò quod cuiuſque arboris aut fruticis in ſyluoſis iſtis locis nomen aut genus ſit, id à nullo exquiſitè vel ſciri vel dici poteſt. Cedrus, arbor olim præſtantiſſima habita, iſto loco tam frequens naſcitur, vt ex ea tum ædes, tum naues magno numero extruantur. Huius autem diſtinctæ ſpecies ſunt. Alia enim colore alba, alia roſea & fragrans eſt. Harum copia ſumma in Andes, in terræ firmæ montanis, in inſulis Nicaragua & noua Hiſpania, Lauros quoque regio edit, venuſtas admodum & editas; vt & ingentem ſyluam palmarum, çeyuaſque, ex quibus Indi ſuas Canoas fingunt & excauant. Ex Hauana & inſula Cuba (locis ſyluoſiſſimis) pretioſiſſima ligna in Hiſpaniam vehuntur, cuius generis ſunt, Ebanos, Caouana, Granadillo, Cedrus, & ſimilia, quæ omnia à nobis enumerari non poſſunt. In noua Hiſpania quoque grandes pini ſurgunt, etſi æquam cum Hiſpanis craſſitiem non habeant, & poma vacua nucibus ſint. Quercuum ex Guayaquil ſingularis præſtantia eſt; quæ ſi rectè ſeruentur, durationis longiſſimæ ſunt. Cannæ quoque ſeu arundines editiſſimæ enaſcuntur: quarum quodlibet interſeptum Bottigiæ ſeu menſuræ Hiſpanicæ capax eſt. Eæ ſtructuris ædium etiam adhibentur.

Lignum de Mangles, ex quo malos nauium condunt, & antennas, ferri duritiem æmulatur. Molle, arbor eſt, multis virtutibus dotata. Vuæ genus quoddam producit, vnde Indi vinum premunt. In Mexico vocatur arbor ex Peru, quod hinc primum aliò tranſlata ſit. In noua Hiſpania lætius tamen, quam in Peru emergit. Arborum innumeræ aliæ quoque ſpecies ibidem naſcuntur, quarum multitudo comprehendi nequit. Et iſtiuſmodi arbores plerumque vaſtæ & monſtroſæ magnitudinis ſunt. In Tlacochavia, tribus à Guaxaca in noua Hiſpania milliaribus diſtante, à nobis ſponſio de cuiuſdam arboris craſſitudine facta aliquando erat. Iſtius cauitatis 9. ambitus exterioris prope radicem 16. paulò altius vero 12. orgiarum meta erat. Arbor hæc cælitus à fulmine per mediam medullam tacta dicitur. Quam inſignis iſtius cauitatis cauſam afferunt. Ante percuſſionem 1000. hominibus tutam vmbram præſtare potuit. Sub ea enim Indi ſubinde congregabantur, ludos & choreas ſuetas ibi agitantes. Nec dum ramis ac folijs omnino orba eſt. Hæc tamen graciliora & tabidiora profert. Cuius generis ſit, nemo eſt, qui compertum habeat. Cedrum tamen nõnulli autumant. Qui, quæ de hac arbore diximus, fabuloſa iudicat: is Plinium de Platano & Licia legat: quarum cauernam 81. pedes habuiſſe, teſtatur. Quæ ſpecies ædium aut antri potius, quàm arboris videatur. Ramos autem ait, integrã ſyluam adumbraſſe: & vmbram vniuerſum campum obſcuraſſe. Hæc qui audit, deinceps textorem illum mirari deſinet, quem in Caſtanea arbore habitaſſe & operatum eſſe fama eſt. Nec pro fabula habebit illam arborem, in quam octo iunctim equites cum equis ingreſſi, intus ſe conuertentes, inimpeditè rurſus egredi potuerunt, nemine alteri cedente. In prodigioſis & vaſtiſſimis illiuſmodi arboribus Indi pleraſq; ſuas ſuperſtitiones agitare ſolebant: quod idem ab Ethnicis prioribus quoq; factitatum eſſe, ſcriptorum monumentis notum eſt.

Plin lib. 12. c. 1.

Cap. XXXI.

De Plantis & arboribus frugiferis, ex Hiſpania in Indiam delatis.

QVo ad plantas, Indi permutationem Hiſpanis multò meliorem fecerũt. Nam, quæ ex India in Hiſpaniam illatæ ſunt, ægrè emergũt, & numero rariſſimo. Contra ex Hiſpania Indis communicatæ, & numeroſè & lætè erumpunt multiplicanturque. Quod ſi huius euentus cauſam quiſpiam à nobis ſciſcitetur: certè, an vis hæc ipſis plantis, an ſoli aſcribenda ſit, ambigimus. Hoc ratum: In India omnia illa fœcundius & vberius enaſci, quæ probè etiam in Hiſpania proueniunt. Contra, ſunt quædam, quæ in Hiſpania meliora exiſtunt. Triticum, hordeum, hortenſiles herbæ, piſa, lactuca, braſſi-

braſſica, raphanus, cæpæ, porrum, petroſelinum, rapa, radiculæ, ſpinachia, ſpicanardus, & pultiferi fructus, piſa, lentes, fabæ, ſimilesque culinis ſeruientes plantæ; hæ vniuerſæ ibi quotannis educātur. Nam qui ex Hiſpania eo commigrarunt, harum ſemina ſecum vnà attulerunt, quæ terra ea, omnia amplexata eſt. Certum tamen eſt, alia alijs fœcundius pronaſci. Ex arboribus, in India frequentiores exiſtunt fructus Aurantia, Limones, Citri, & ſimiles. Nonnullis in locis integræ ſyluæ ſunt arborum, aurantia ferentium: quod nobis ingenti admirationi fuit. Cumque aliquando, quis tam numeroſam aurantiorum ſyluam plantaſſet, quæſiſſemus: reſponſum eſt, eam fortuitò ſuaque ſponte enatam eſſe. Poma enim matura, ex arbore decidiſſe: quæ cum ſic ſparſim iacentia putruiſſent, ſemina quoquo verſum in terram irrepſiſſe, & ſucceſſu temporis ingentis ſyluæ principium dediſſe. Fructus hic per omnem Indiam notus & familiaris eſt. Nec enim quoquam nos pertigiſſe meminimus, vbi pomorum horum inopia eſſet. Terra ſiquidē omnis calida & humida eſt, qualem hic fructus poſtulat. Non in montanis, ſed in ſolis campeſtribus & littoralibus proueniunt. Quæ in Inſulis condiuntur aurantia, tum cæteris Indicis omnibus, tum in his locis alijs guſtatis meliora multò ſunt.

Perſicorum genera omnia, vt Melocotones, Albercoken, & ſimiles fructus, in noua Hiſpania & Peru vberrimè quoque proueniunt. Excipio tamen Ducaſnos, qui è Perſicorum genere ſunt. Hi ægrè ibi, vt & in inſulis, enaſcuntur. Poma, pyra, facilè: ceraſa non æquè. Ficuum ſumma vbertas, comprimis in Peru: vt viciſſim Cotoneorum in noua Hiſpania. Horum pro vno Regali 50. nos ſeligere permittebant. Mala punica & ipſa copioſa ſunt: at ſaltem dulcia. Acida non germinant aut fœtificant. Melones optimi tum in terræ firmæ nonnullis locis, tum in Peru redduntur. Ceraſis tamen, vt diximus, ſolum illud non fauet. Aliàs, quod ad delitias, nihil deſideratur. Fructus nonnulli, corticibus veſtiti, ipſis adhuc deſunt: vt glandes, caſtaneæ: quorum nos vllibi vidiſſe aliquos non meminimus. Amygdalæ quoque, ſed rariores, reperiuntur. Has tamen, vt & nuces, & auellanas, pro opulentioribus, nauibus inuehunt. An ſorba, Meſpila, & fructus ſimiles viderimus illic: nec hoc ipſum meminimus. Pro quibus tamen omnibus alios longe ſapidiores & delicatiores nacti ſumus.

Cap. XXXII.

De vuis, vitibus, oleis, moris, & cannis ſaccharinis.

SEd iam de præſtantibus & vtilibus alijs plantis, ex Hiſpania in Indiam tralatis, pergamus dicere. Vtiles autem eas vocamus, quæ non domi ſolum nobis pro alimento ſunt, ſed foris etiam quæſtum parant. Ex his primaria vitis eſt, quæ promit vinum, acetum, vuas, omphacinum, ſyrupoſque. Inter hæc optimum vinum. Nec in inſulis, nec in firma terra, vuæ aut vinum naſcitur. In noua Hiſpania vineæ quidem vuas produnt, ſed ad vinum fundendum ineptas, vt quæ nunquam matureſcant probè. Menſibus etenim Iulio & Auguſto, ibi frequentiores pluuiæ gliſcunt. Ita tamen pleræque matureſcunt, vt edendo ſint. Vinum ergo ea loca ex Hiſpania aut Canaria accipiūt. Et hæc vniuerſæ propè Indiæ ſors: niſi quod in Peru & Chile approbum vinum naſcatur: quod ſubinde generoſius fit. Nam iam tādem vitium colendarum artem addiſcunt: quæ magni theſauri loco ipſis eſt. Vineæ autem plerumque in conuallibus Peruanis viſuntur: iuxta quas, foſſas aqua colligendæ gratia excauarūt: ex quibus vites ſubinde irrigant. Nam, vt diximus, tam in planis, quam mōtanis illis niſi ſtatis tēporibus, nunquā pluit. Nonnullibi vites nec pluuiali, nec collectitia aqua irrorātur: & vuarum tamen nihilominus feraciſſimæ ſunt. Id fit in valle Yca, & in montanis Villacuri: vbi in ſolo arido & ſabuloſo campi reperiuntur, toto anno, admodum virentes vernantesque, etſi illic nec pluuiæ ſentiantur, nec paludes videantur, nec terra vlla ab hominibus arte irrigetur. Cauſam vero huius rei arbitramur hanc eſſe, quod terra illa, rara & ſpongioſa, riuos ex montibus delabentes, inſenſili attractu imbibat: aut quod madorem aliquem, vt nonnulli cenſent, imperceptibili modo ex mari hauriat & alliciat. Ex quibus intelligi poteſt, aquam non (vt Philoſophi contendunt) ſterilem & infœcundam eſſe. Vites bonitate hactenus adeo increuerunt: vt ſexies plus decimarum reddant iam quàm ante annos viginti.

Loca vino ferendo iam celeberrima ſunt, Victor in Arequipa: Yca in ditione Limæ: Caracato, in territorio Chuquiano. Ex his locis vina in Potoſi, Cuſco, & alia plura, negotiationis ſpecie tranſuehūtur. Et licet vini multum in India proueniat, vna tamē Bottigia ſiue Arrobe minus 5. vel 6. Ducatis non venit. Quod verò Hiſpanicum eſt, id 10. aut 12. Ducatis redimitur. In regno Chile, æquè bonum, ac in Hiſpania vinum fit. Vtriuſque enim loci vna temperies à cælo eſt. Illud tamen ſi in Peru inferatur, perit. Vuæ nonnullibi quidem proueniunt, vbi vinum non fit. Sic toto anni decurſu in ciuitate Cuſco

vuas

Vuas inuenire licet. Rei cauſa iam explanata eſt, nimirum, quod valles in circuitu poſitæ diuerſis menſibus fructus edant. Vtrum verò hoc diuerſis amputationum temporibus, aut peculiari terrę proprietati cuipiam aſcribēdum ſit, ambigo. Hoc interim admodum compertum eſt, diuerſas valles integro anno fructus promere.

Hæc etſi mira videantur: id tamen admiratione multò dignius eſt, quod in Peru arbores reperiantur, vno ſemeſtri ex hoc latere ſeu parte, altero ex alia fructus protrudentes & gignentes. In Mala 13. milliarium interuallo à ciuitate de Los Reyes, ficus eſt, quæ parte dimidia, qua auſtrum ſpectat, frondet, & fructus fert, hoc ipſo anni tempore, quo in montanis æſtas viget: altera verò contrario aut oppoſito omnino anni tempore, cum in planis terræ (quæ ſpectat) æſtas eſt. Diuerſitatis autem huius cauſa, diuerſum aëris temperamentum eſt, vel ab hoc vel illo latere arborem afflantis & percutientis. Vino illic operoſe negotiantur: quod tamen ex finibus ſuis non efferunt. Sericum verò, quod in noua Hiſpania paratur, tum in extera regna, tum in Peru traijcitur. Prima Indorum ætas ſerico caruit. Nam mori in Indiam primum ex Hiſpania illatæ fuerunt: quæ tamen lætum illic nunc incrementum habent, comprimis autem in prouincia Misteca, vbi & bombyces aluntur, & ſericum laudabile fit. Veſtes ibi texunt, tum ſericas, tum Damaſcenas, tum Sarranas: minimè holoſericas. Commercia, quæ ſaccharo fiunt, frequentiſſima ſunt. Eius enim tum illic plurimum abſumitur, tum copioſe aliò exportatur. In inſulis Peruque, ac alijs locis artificio peculiari ſaccharum effingunt: quo deinde ampliſſimæ negotiationes inſtituuntur. Has in Naſca quotannis 30000. Peſos ſeu Regales octonorum fiſco fundere, fama eſt. Quæ in Chicama apud Truxillo agitantur, cenſus & ipſæ ampliſſimi ſunt. Noua inſuper Hiſpania pendebat nihilo minus, quam India de conſeruis & ſaccharo. Toties iam dicta claſſe, ex Inſula S. Domingo 898. ciſtæ ſaccharo confertæ (quarum meo iudicio quæuis, 8. Arroborum pondus habebat) aduehebantur. In hac inſula dicta, commercia ſacchari omnium ampliſſima fiunt.

Oleæ porrò etiam in India, comprimis in Mexico Peruque naſcuntur: ſed quibus oleum exprimant, nec molas nec præla vlla parata habent. Fructum ipſum libentius eſitant. Quem ob id exquiſitius matureſcere permittūt. Multis perſuaſum eſt, expreſſionem olei plus ſumptus quam lucri habere. De oleo autem quantum neceſſe habent, tantum ex Hiſpania ad illos infertur. Sed iam tandem materiem de plantis abrumpamus: & porrò de animalibus & pecoribus narrationem continuemus.

Cap.

Cap. XXXIII.

De pecudibus Indicis, tam magnis, quam minoribus.

ANIMALIVM India tria genera alit. Vnum ab Hiſpanis in Indiam illatum. Alterum Hiſpanicis ſimile. Tertium ſoli Indiæ proprium & natiuum eſt. Ex prima claſſe ſunt, oues, vaccæ, capræ, ſues, equi, aſini, canes, feles, & his ſimiles: quæ iam in ipſa quoque India propagantur. Pecudes admodum multiplicantur. Nam pro ipſis paſcua lætiſſima ſimul & vberrima ſunt, adeò, vt quid depaſtum ſit, cenſeri non poſſit. Hæc vbiuis in Peru publica & communia ſunt. Hæc cauſa eſt, quod tam ęquum pretium carnium, lactis, caſeorum & lanæ. Hanc Indi, diu quidem contemptam, nunc à pannificio introducto, diligentius aſſeruant. Quod in magnum pauperum vſum ceſſit. Panni enim Caſtiliani, qui ante ſoli introferebantur, pretio nimis magno venibant. Panno nunc mercaturæ ingētes exercentur, maximè in noua Hiſpania. Hi tamen Hiſpanicis viliores exiſtunt: aut quia lana Indica craſſior: aut quia parandi induſtria deeſt. Hic è plebecula quoque nonnulli 70. aut 100. pecudes poſſident: qui apud Europæos diuites admodum haberentur. Secus apud Indos. In multis, imò præcipuis Indiæ locis, pro minoribus pecudibus paſcua non admodum bona ſunt: quod tum herbæ, tum gramina, propter ſoli luxuriem altius æquo excreſcant. Illa enim non tam promptè ac maiora animalia demetere poſſunt.

Vaccarum boumque hic mira copia. Eaque duûm generum. Aliud Cicur, & obeſum, quod in paſcuis ordinarijs apud Chaocas, & in prouincijs regni Peru, nec minus in omni noua Hiſpania, iugiter agit. Hoc non ſecus, ac in Hiſpania quæſtum faciunt, vendendis caſeis, butyro, vitulis. Mactatorum etiam carnes vendunt. Boues terram vertunt. Genus alterum ferinũ eſt, nemini priuatim addictum. Hoc capientis fit. Ratio hæc tum taurorum tum vaccarum eadem eſt. Iſta enim pecora iugi propagatione in tantum multiplicata ſunt, vt millenario perſæpè numerò in montanis diuagentur. Horum ſaltem coria Indis petuntur. Venationes agunt eorum, ſerui æquè ac liberti. Secures miſſiles manibus librãtes, vaccas aut tauros inſequuntur. Quot ferire eorum poſſunt, proſternunt, & excoriant. Carnem ſub dio linquunt. Ea dein putreſcit: cum, qui auferat, nemo ſit. Ea enim carnis vbiuis copia & abundantia, vt ex ea paſſim putreſcente aura ſubinde grauiter afficiatur. Commercia coriacea in noua Hiſpania omnium celeberrima agitãtur. Tergorum enim innumerus numerus in Hiſpaniam effertur. Anno 87. ex Sant Domingo 35444. corijs bouinis vacciniſque naues onerabantur. Ex noua Hiſpania autẽ 60350. iungebantur: quæ pretio æſtimata, 96532. Peſos ſiue Regales octono-

octonorum reddunt. Merces has qui in Seuiliæ littoribus expoſitas luſtrat, eo ſpectaculo in ſtuporem datur.

Sed quæſtui ſingulari etiam capræ ſunt. Præter enim hœdorum & lactis vſuram, ſeuo lucri multum paratur, quod candelis tum pauperiores tum opulentiores adhibent. Nam & id præter abundantiam miram oleo vilius aut minoris venit. Ex capris nullum colligũt, aut vſurpant. Ex corijs calceos, ocreas, & coriacea alia concinnant. Quæ tamen cum corijs Hiſpanicis conferri non poſſunt. Indici equi æquè generoſi ac Caſtiliani, tum ad metam, tum peregrè agendi. Et hodiè pleraque itinera etiam vulgarium, equis conficiuntur. Mulis, ad geſtanda tantum onera vtuntur. Idem & in terra firma fieri ſolet. Aſinorum non æqua cum equis abundantia: vt quibus pauci quoque labores obeantur. Cameli, quales in Peru ſpectauimus, ex Canaria illati ſunt, numero non amplo. Canum in Hiſpaniola inſula incredibilis turba. Hi admodum grandes & rabidi, damnis varijs inſulam peruagantur. Gregratim in pecudes irruentes, eas lacerant, diſcerpuntque. Horum vnius interfector, certa mercede donatur: vt in Hiſpania luporum. In initio India Canes nullos nouerat, præter genus quoddam pumilum, quod patria voce Alco nominabant. Iam propter ſimilitudinem, canes, ab ipſis Hiſpanis illati grandiores, hoc nomen quoque obtinent. Pumilos hos canes Indi tantoperè amant, vt ſibi demant, illis quod obijciant. Peregrinantes, eoſdem aut dorſo aut ſinu receptos ſecum ferunt. Ægri, non ſecus ac congerrones aut conſolatores eoſdem ſecum habẽt: conuerſatione ipſorum dolores ſibi minui credentes.

Cap. XXXIV.

De animalibus nonnullis, Europæis ſimilibus, quæ in India Hiſpani offenderunt: & quomodo illa in has oras ingreſſa ſint.

RATVM conſtitutumque eſt, prædicta omnia animalia ab Hiſpanis in Indiam illata eſſe: quorum ſimilia primò apertis & inuentis illis terris, nuſquam comparuerũt. Id annorum ſpatium millenorum ne dum eſt. Præterquam enim quòd teſtibus viuis ea res confirmari poſſit: idem vel ex hoc euidentiſſimum eſt, quod Indi peculiaria & priuata nulla nomina norint, quibus hæc animalia indigetent. Sed vocibus meris Hiſpanicis vtuntur, iiſque corruptis. Cum enim ignota ea animalia nunquam anteà vidiſſent: neceſſariò vulgata nomina retinuerunt, cum fingere recentia difficulter poſſent. Quo argumento iam nobis ſcire facile eſt, quæ animalia Indiæ natiua, quæque illatitia ſint. Quæ enim peregrina acce-

perunt: peregrinis quoque vocibus appellabant. Et hæ meræ Hiſpanicæ ſunt. Sed & in India reperta animalia ſunt, ab Hiſpanis neutiquam introducta quidem, ſed tamen cum Europæis ſimilia. Huius generis ſunt, Leones, Tigres, Vrſi, Apri, Vulpes, & feræ aliæ à nobis libro primo recenſitæ, vbi ſimul contendimus, credi nec poſſe nec debere, feras illas per amplum Oceanum in has terras traiectas eſſe, cum res iſta vel primo auditu admodum ridiculoſa appareat. Sed ibidem & id confecimus, fieri minimè potuiſſe, vt tranſnatando Oceanum ad loca iſta peruenerint. Vnde tandem concluſimus, per ea omnino loca, iſthæc animalia in has oras ingreſſa eſſe, quibus extremitates terrarum quadantenus iungerentur aut cohærerent. Ab eo deinde, congreſſu mutuo genus ſuum propagaſſe. Nam, ſi ſacris literis ſua ſarta debet eſſe autoritas, tum ſtatutum erit, omnia in vniuerſum animalia, quæ vitam ſeruarunt, in arca Nohæ concluſa fuiſſe. Ex quibus ſolis poſteà dimiſſis, animantum genus vniuerſum propagatum ſit.

Quos in India ſpectauimus Leones, non æquè fului aut iubati ſunt, ac Europæi pinguntur: ſed color eorum ſubcineritius eſt: & animum non habent vſq; adeò ferocem. Horum venationē inſtituētes Indi, eos vndiquaq; gregatim cingūt ambiuntq;: ac vel exturbatis lapidibus conficiunt; vel fuſtibus & ſudibus obtundunt. Hi Leones arbores quoq; inſiliunt: vbi ab Indis vel haſtis, vel arcubus, vel ſclopetis deijciūtur. Leonibus tigres Indi multò ferociores & immaniores exiſtimant: quorum inſultus quoq; periculoſiores, & curſus pernicio-res exiſtūt. Cute variegata ſunt, prout apud Zographos traditum ſcimus. Sæpius cōmemorari pro veriſſimo audiuimus, Tigres Indorū veſtigia accuratiſſimè internoſcere; cum tamen Hiſpanorū nulli vim faciant. Imò, quod grauius, addi meminimus, ex medijs Hiſpanis Indum quendam à Tigre correptum & abductum eſſe. Vrſi, in Cuſco Olroncos dicti, noſtris non diſſimiles ſunt, in antris ſpeluncisque & ipſi agentes. De aluearijs apum Indis nihil conſtat. Faui enim aut ſupra arbores, aut ſubtus terram cōduntur. Horum quos in prouincia Chaocas, ibi Lechiguanas dictos vidimus, colore cineritio ſunt, ſubſtantia nō admodum liquida, ſtramini potius congeſto, quam melli ſimiles. Apes ipſas aiunt muſcarum molem non excedere, & ſubtus terram ſtabulari. Harum mel acidulum & ſubnigricans eſt. Alijs in locis mel fauiq; multò præſtātiores reperiuntur, vt in prouincijs Tucaman, Chile, & Cartagena. De apris, parum eſt, quod dicemus. Nam vix pauca quædam ab alijs accepimus, qui viderunt raros. Vulpium & ferarum cæterarum noxiarū maior copia eſt, quam quæ pro opinionibus faciat. Præter has noxias & infeſtas, feræ in India aliæ quoq; noſcūtur, ab Hiſpanis illatæ. Præcipuè cerui ſunt, qui in montanis totis gregibus vagantur. Maxima tamen eorum pars ſine cornubus eſt. Nam alios non vidimus. Ex cornutis ſunt, Tragelaphi.

Hæc

Hæc porrò vniuerſa animalia propter natiuam pernicitatem & leuitatem, qua quocunq; profugiunt, ex vno orbe in alium migraſſe, non ſaltem credimus, ſed & pro immota veritate aſſerimus. In maioribus ſiquidem inſulis, quæ à terra firma longius abſunt, ſicut exquiſitiſſima indagine comperimus, eorum nihil vſpiam cernitur aut obſeruatur.

Cap. XXXV.

De auibus Indicis: & quo modo iſtæ in Indiam deuenerint.

QVæ paulò antè de quadrupedibus cōmemorata ſunt: eadem de auibus multò facilius credi poſſunt, cōprimis illis, quę cum Hiſpanicis vno genere concurrunt, vt ſunt perdices, turtures, turtures coronarij, coturnices, accipitres, quæ aues in magno pretio ſunt. Huius generis ex noua Hiſpania & Peru, nonnullæ magnatibus Hiſpaniarum donariò aliquando miſſitatæ ſunt, vt & ardearum & aquilarum diſtinctæ ſpecies. Et has quidem aues volatus tum pernicitate tū diuturnitate in nouas terras migraſſe, longè facilius credi poſſit, quàm de quadrupedibus, vt Leonibus, Tigribus, Vrſis, & ſimilibus. Sed & Pſittacorum volatus pertinax: quorū copia in India frequens, cum primis in Andes, in Inſulis Puerto Rico, & S. Domingo. Plenis turmis ibi volitant, vt columbæ. Auibus ſua via ſemper & vbiuis patet: quam vibratis alis moliuntur, quocunque ſe incitantes, quocunque impetum vrgentes. Vnde mare quoque volatu tranſmittere, ipſis non admodum difficile fuit. Vel Plinij ſiquidem teſtimonio certiſſimum eſt, auium plurimas ipſum mare tranſuolare, & nouas ſedes quærere. Et licet à nemine quidem traditum legamus, aues ipſum quoque vaſtum Oceanum tranſmittere: nobis tamen idem non vſqueadeò impoſſibile videtur. Nam rerum maritimarum peritiſſimi quidam atteſtatò confirmãt, quod nonnullas volucrum à terra 200. milliarium ſpatio volitantes aliquoties conſpexerint. Sed & ipſe Ariſtoteles tradidit, ſub aquis aues iſtiuſmodi commodè aliquandiu degere poſſe, cū reſpirationis minimè validæ ſint: cui ſimile quid in iſtius maritimis auibus videre licet, quę ſe infra vndas mergentes, longo tempore non emergunt. Ex his ergò non ineptè ſtabiliri noſtra ſententia poteſt, quod volucres & animalia volatilia, quæ nunc in inſulis Indiæ & terra firma reperiuntur, volatu ſuo ipſum Oceanū permearint, & nonnullibi in inſulis minoribus, aut ipſius maris ſcopulis quieuerint. Quin &, aſtipulante Plinio, in aquas feſſæ ſe demittentes, & his aliquandiu innatantes, viæ reliquum commodè conficere potuerunt.

Lib. 10. c. 33.

Volucres, quæ in inſulis, terreſtribus animalibus omnino orbis, reperiuntur, citra cōtrouerſiam hoc quidem modo, nouum orbem

inuaſerunt. Cæteræ verò, quæ ad volatum propter pondus ineptiores erant, ea omnino via, qua quadrupedes, terras iſtas ingreſſæ ſunt. Nam & in India aues terreſtres grauiores reperiuntur, vt ſunt Struthiocameli in Peru, naues oneratas plerumque perterrefacientes. De Gallinis mirandum meritò eſt, quas ea terra vel ante Hiſpanorum ingreſſum iam aluerat. Quod vel ex eo quoque ſuſpicari licet, quia nominibus Indicis appellantur. Ipſis enim gallina Gualpa dicitur. Prouerbium vetus, quo Gallinam hominē quadratum, inſipidum & inconditum vocamus, ipſis Indis etiam in vſu eſt. Qui Salomonis inſulas detexerunt, gallinas illic noſtris omnino ſimiles repertas eſſe, affirmant. Sed par credi eſt, primos inſularum illarum occupatores has gallinas, ceu animal cicur & admodum vtile, intuliſſe: ſicut & hodiè Indos peregrinantes gallinas ſubinde ſecum portare conſpicimus. Indicorū animalium plurima Europæis ſimilia, ſunt ibi ab Hiſpanis reperta: quæ ſingula tamen in ſpecie enumerare præter inſtitutum noſtrum eſt.

Cap. XXXVI.

De animalibus montanis.

DE prima quidem Indicorum animalium, quorum genera veteri orbi ignota ſunt, origine ac progenie commentari, difficile admodum atque laborioſum eſt. Quod ſi enim à Deo in iſtis locis (vt autumant quidam) creata ſunt: tum fruſtraneum ſanè eſt, vt eadem ex arca Nohæ deducamus. Sed & nulla omnino receſſitas fuiſſet, animalium omne genus in arcam condi, ſeruarique, ſi à diluuio Deus noua omnino conditurus fuit. Nec id inſuper verum perſiſteret, ſex dierum ſpatio Deum omnem mundum, & quæ in eo ſunt, perfeciſſe & abſoluiſſe: cum poſtea noua quædam animalium creatio ſubſecuta fuerit. Iam ſi animalia hæc in arca Nohæ aſſeruata dicamus, tum concedendum quoq; erit, eodem omnino modo, quo cætera animalia ex veteri orbe in nouum migrarunt, hæc quoque, quæ veteri orbi omnino incognita ſunt, ingreſſa eſſe. Quod ſi detur quidem: iam non iniuſtè quærimus, quî factum ſit, vt ex iſto genere nobis nihil relinqueretur, ſed vniuerſum in peregrinas terras concederet? Quæ ſanè quæſtio animum noſtrum diu multumque torſit ac fatigauit. Exempli gratia: Oues Peruanæ, & quæ animalia Pacos aut Guanacos vocantur, in nulla alia vſpiam orbis parte reperiuntur. Hæc, quæri poſſit, quis in Peru importarit? quî eo venerint? Nam ne veſtigium ipſorum in vniuerſo alio orbe vnquam vſquam obſeruatum eſt. Ergo, ſi à nullo alio loco illuc migrarunt, quærimus ſanè, an ibidem ipſa creata ſint, & genus ſuum produxerint. An enim Deus à diluuio nouas animalium creaturas architecta-

tectatus dicetur? Porrò, quę de Panacos aut Pacos diximus, eadem ſimiliter de infinitis quoq; alijs tum volatilibus, tum quadrupedibus, intelligenda ſunt, quæ in veteri hoc orbe, nec de nomine, nec de ſpecie cognita ſunt, & de quibus, nec Latini, nec Græci, nec nationes aliæ vllę mentionem ne quidem minimam vnquam fecerunt. His reſponderi poſſet hoc modo. Etſi quidem animalia vniuerſim omniā ex arca prodierint: attamē tum propter prouidentiam diuinam, tum inſitam cuilibet naturam proprietatemque non diuiſa & diſgregata quoquo verſum eruperūt, ita, vt in diuerſiſſimas terras vnumquodlibet ſe receperit. Poſſet & hoc ab aliquibus ad rem cōferri: quod, quę nobis iam cognita, Indis autem ignota ſunt, tanti temporis diuturnitate interierint, ſicut ea ſors aliarum quoq; plurimarū rerum eſſe, obſeruatur. Sic verò ſors ea Indiæ minime propria erit, verum cum ipſa vniuerſo orbi, tum Europæ, tum Aſiæ, tum Africæ communis omnino exiſtet. Ex hiſtorijs enim conſtat, vel in harum nonnullis quoque animalia degere, quæ in terris alijs minimè reperiantur: aut ſi fors reperiantur, aliunde eò importata eſſe omnino: iſto nihilominus conceſſo, quod ex Arca omnia primitus prodierint. Sed propoſito exemplo rem clariorem reddamus. Elephanti ſoli Indiæ Orientali vernaculi fuerunt. Hinc in oras alias illati. Eadem Peruanorum quoque animalium, & cæterorum omnium, nullibi alias repertorum, ratio eſſe potuit. Conſiderandum autem hic etiam eſt, an hæc animalia à Natura aut Deo ita creata ſint, vt à noſtris diſcrepent: aut an diuerſitas hæc fortuita ſeu accidentalis tantum ſit, ita, vt animalia hæc rerum aliarum occaſione formam diuerſam acceperint, ſicut hæc eadem in hominibus quoque accidere videmus, quorum aliqui atri, alij albi, quidam Gigantes, nonnulli pigmæi exiſtunt. Simile in animalibus quoque, comprimis in ſimijs & cercopithecis euenit: quorum hi caudis donati, illi orbi ſunt. Ex ouibus etiam quædam glabræ, quædam villoſæ: quædam duriores & robuſtiores, cum collo promiſſo, ceu Peruanæ: quædam minores & infirmiores, cum collo breui, vt ſunt Caſtilianæ.

Sed fatendum omnino eſt, eum, qui genera animalium Indicorum cum Europæis per accidentia ſola differre probaturus ſit, laborem Herculeum ſuis humeris omnino impoſiturum eſſe. Nam ſi ſecundum intimas proprietates animalia illa cenſebimus, tantopere eadem inter ſe diſtare videbimus, quantopere ouum (vt aiunt) à caſtanea diuerſum eſt.

Cap. XXXVII.

De auibus Indiæ propriis.

AVIVM, Indiæ propriarum, mentio omnino aliqua facienda eſt. Ex China aues feruntur, pedibus carentes: corpore vniuerſo admodum plumoſo. Terram nunquam attingũt: ſed pinnula quadam, quam habent, quieturæ ex arborum ramis dependent, & captatis muſcis aut inſectis alijs viuunt. Auiculas Peru habet, Tomineios, vſque adeo exiles, vt eas vel apes vel muſcas aliquoties arbitraremur. Veræ tamen aues ſunt. Contrà, Condores tam grandes & robuſti ſunt, vt non ouem ſaltem lacerent vorentq́; , ſed nonnunquam & vitulum. Auras autem (nonnullis gallinæ habitæ) ex coruorum genere ſunt, admodum pondere leues. Acutiſſimi viſus ſunt, purgandis in vrbibus plateis vtiles. Nullum enim morticinum relinquunt. Noctu in arboribus aut rupibus quieſcunt: manè vrbes aduolant, prædam venantes. Pulli harum pennis albis (vt de coruis quoque narrant) primum naſcuntur: quæ deinde nigreſcunt.

Guaca Mayas, aues Pſittacis maiores ſunt, plumarum mira varietate amabiles. In noua Hiſpania alia frequentiſſima auis, pennas ſupra modum ſpecioſas & ſubtiles oſtẽtat, quibus ſimiles Europa non vidit. Id ex imagunculis illis videre eſt, quas ſubtili ingenio manuq́; ex pennis iſtiuſmodi ad miraculum ſpectabiles effingunt. Perſuaderi multis non poſſet, ex pennis opera tam artificioſa ſtrui poſſe. Diſtinctis enim partibus diuerſi pennarum colores tam cõcinnè iunguntur aptanturque, vt penicillo imaginem pictam deierares. Quin nec penicillo quidem tam ſubtile opus, tam graphicè exprimi queat. Imagunculas has ſi ex latere aſpicias, tanta amœnitate relucent, vt ſpectaculum iucundiſſimum exhibeant. Inter Indos ſunt artifices, qui pennis huiuſmodi viuas hominum imagines tanta ſolertia reddant, vt ne penicilli quidem opera exprimi queant exquiſitius. Qua arte, pictoribus Hiſpanicis ne latum quidem vnguem cedunt. Hiſpaniarum Principi, Don Philippo à pictore ſuo tres huiuſmodi ex pennis fabrefactæ imagines aliquando traditæ dono ſunt. Has ipſius excellentia patri Philippo dono tranſmiſit: qui inſpectis illis, ſe nunquam in tam parua imagine plura contineri vidiſſe, affirmauit. Papa Sixtus V. huiuſmodi tabulam, in qua ſanctus Franciſcus depictus erat, geſtiente animo accepit. Audiens autem ab aſtantibus, hoc opus ab Indis ex meris pennis ita concinnatum eſſe: digitis iniectis, rem ita ſe habere expertus, miraculi id inſtar eſſe teſtatus eſt. Pennatæ huiuſmodi imagines omnium artificioſiſſimæ in prouinciæ Mechoacan oppido Paſcaco parantur. Eas autem ita effingunt.

Volſel-

Volſellis pennulas prehendentes ex mortuis auibus euellunt. Eas tenuiſſimo glutino iungunt celeritate promptiſſima. Vnde demuntur pennæ, aues in Peru Tomeneios dicuntur, aſpectu ſpecioſiſſimæ. Ex his præter imagines, alia quoque ornamenta pro decorandis regibus, primatibus, templis Idoliſq;, faciunt. Sed & aliæ grandiores aues ſunt, æquè pulchras & ſubtiles pennas habētes, ex quibus criſtas ſibi nitidas parant, quas in bellum ituri vſurpant. Has auro argentoque innectunt, & magni æſtimant. Nec hodiè quidem iſtarum auium penuria eſt. Verum Indorum nec par induſtria hodiè, nec æqua ſuperbia eſt, ac olim fuit.

India turpes & monſtroſas quoque nonnullas aues alit, quarum prȩter excrementa nullus eſt vſus. In nonnullis inſulis, Peruanis littoribus vicinis, è longinquo nonnullibi montes prominent, ita niuei & candentes, vt ſpectātibus eminus niue obducti, aut albicante terra conſtrati credantur. Ad quos ſi accedatur, mera ibi excrementa videntur, ab auibus marinis, illic continenter degentibus, ibi depoſita. Hȩc nōnullis locis erectæ haſtæ altitudine congeſta ſunt, quod haud paucis fabuloſum videri queat. Ad fimum hunc auferēdum ſcaphis inſulas adeunt. Eo deinde terram ſtercorant, inde feraciſſimam euadentem. Fimum Guano vocant; vnde locus quoque Lunaguana denominatus eſt. Illum in valles Peruanas conuehunt. Nam ad reficiendos agros fimus nullus pinguior. Ibidem, quæ cotonea, punica, & poma alia naſcuntur, cæteris, virtutibus longè præſtant. Cauſam ei aquæ imputant, qua hæ arbores rigantur, per terram nimirum, hoc fimo conditam, diffluenti. Indicarum ergò auium, non ſolum carnes pro alimento, cantus pro oblectamento, pennas pro ornamento: ſed excrementa quoque pro terræ condimento facere, ex his abundè perſpicimus. Quæ vniuerſa à ſapientiſſimo rerum conditore in humanos vſus ac commoditates iſta, diſpoſita eſſe, non eſt vt quiſquam dubitet. Pro qua immenſa beneficentia gratiæ ipſi ſint in æternum.

Cap. XXXVIII.

De animalibus montanis.

PRÆTER ſuperius commemorata animalia, in montanis agentia, alia quoque ſunt, aliunde forſan eò importata: vt ſunt Saynos. Apri forma ſunt, vmbilicum in dorſo gerentes. Horum in montibus integri greges. Feroces admodū & frendentes, nulli homini cedunt, ſed obuios inuadentes, quantum poſſunt, lædunt. Irritati ſetas, vt nouacula acutas, arrigunt, quibus inſectatores ſuos ſauciant perículoſiſſimè, niſi ictus declinent. Horum captandorum & interimendorum hanc artem aut dolum habent. Saynis ſe quis ſpectandum offert. Viſum illi rapidè inſectantur. Tum venator

nator in proximam arborem ſuſſilit, & ad pugnā ſe inſtruit. Interim Sayni arboris radicem mordicus infeſtantes rodenteſque, laborant, vt eam decutiant ſternantque. Qui in arbore eſt, ſparis aut miſſilibus extortis, eorum, quot vult, conficit. Victor prædam occupat. Caro eorum eſu commodiſſima eſt. Priuſquam tamen in cibum detur, vmbilici tumore in tergo prominente, præſecto abiectoq; opus eſt. Ni fiat, vno die caro putreſcet ac corrumpetur. His, in montanis alia quoque ſimilia animalia agunt. Hæc Guadatinayas vocantur. Nobis ſic perſuaſum eſt, ante Hiſpanorū in Indiam ingreſſum iam dum apros illic fuiſſe, Europæis ſimiles. Nam in Hiſtoria occupatæ Inſulæ Salomonis traditur, inibi gallinas & porcos Hiſpanicos repertos fuiſſe. Hoc genus in India vberrimè multiplicatur. Nōnullis in locis horum caro recens, nec ſalita editur, & cibus non minus carne ouilla ſalubris cenſetur. Idem in Cartagena. Aprorum alicubi tanta feritas & immanitas eſt, vt non pro domeſticis, ſed meris agreſtibus habeantur: ſicut id in nouæ Hiſpaniæ montanis vidimus, quo ſe alia quoq; manſueta animalia receperunt. In dicta prouincia, Maiis ſaginantur: quo oppidò pingueſcunt. Plurimos alunt, ſolius pinguedinis ſpe, qua Hiſpani loco olei vtuntur. Ex porcis alicubi pernæ optimæ tolluntur, velut in Toluca nouæ Hiſpaniæ, & in Paria Peruenſi. Fatemur quidem Saynos porcis aliis ſimiles eſſe: ſed iuxtà minores.

Terra illa quoque alces producit, bobus minoribus ſimiles. Hæ, ſi cornua illis erumpunt, mulos humiliores æquant. Harum corium laudatur. Ex quo thoraces, & veſtes alias ſarciunt, ad telorum ictus impenetrabiles. Alces, velut ab externis iniuriis corium defendit, ſic Armadillos animal cruſtæ ſeu ſquamæ thoracis ferrei inſtar tuentur. Animalcula minuta ſunt, in montibus errantia. Armadillos ideò dicta, quod ſub ſcutis ſuis, ceu armis ſolidis, tuta lateant. Carnes horū guſtauimus: ſaporem magnoperè nō commendauimus. His Yguanas ſapidiores & gratiores, Hiſpanicis lacertis obiter ſimiles. In aquis degunt: & arbores, in aquas propendentes, ſubinde aſcendentes, inde ſe rurſus deturbant. Admotis ſcaphis ſuo modo captantur. Aliud genus animalis Chinchillas eſt, vt & Hardillas, quorum pellis admodum mollis, pro pectoris & ventriculi fouendi tegumento vſurpatur. Apprimè enim calefacit. Ex his quoq; tegetes conſiunt. Frequens id animal in Peru montanis: vbi quoque aliud quoddam, Cuy admodum vulgare viſitur. Hoc Indi pro cibo delicato habent. Olim ſacrificiis ſuis adhibuerant. Cuniculos iuniores æquant, & in foueis terræ degunt. Color aliis cinereus, aliis candidus, nonnullis varius. Aliud iterum genus Viſachas eſt. Hoc lepori ſimile, ſed maius. Cuniculos regnum Quito profert. Sed meliores Hiſpania intulit. Præter dicta familiare ibidem aliud quoque animal eſt, quod propter ignauiam Perico ligero, id eſt, canis leuis aut agilis, ironicè vocatur. Ex vtroq; pede primore tres digitos ſeu vngues emittit. Facie cum ſimiis conue-

conuenit. Admodum vocale aut clamoſum, in arboribus degit, & victum captatis formicis parat.

Cap. XXXIX.

De Cercopithecis & Simiis Jndicis.

CErcopithecorvm paſſim in omnibus inſularũ montanis, in terra firma, & in Andes copioſus numerus viſitur. Ex genere ſunt Simiorum, etſi cum his non cõueniant in omnibus. Alijs cauda promiſſior: nonnulli nigricãt: quibuſdam color cinereus, cęſius, varius. Mira eorum agilitas & prudẽtia. Ob quam rationis alicuius participes videri queant. In arborũ ramis ſedent, velut auium cantus æmulaturi. Cum aliquando in Capirà à Nombre de Dios verſus Panamam iter faceremus, Cercopithecum ab vna arbore in alteram latè tranſilientem cõſpicati, hanc eius induſtriã ſatis admirari non potuimus. Caudis ſe ramo implicãt, & ſe, quo volunt, ita ceu eiaculantur. Quod ſi ſaltus interuallum longius ſit, quam vt pręſumptũ locum attingere, queãt: miro & ingenioſo compendio hoc vtuntur. Caudis ſe cõnectunt, vt catenæ more cohæreant. Hoc modo ſe promouent, prioribus ſemper à poſteriorib. adiutis ac quaſi firmatis. In ſaltu medio, ramum quempiam corripiunt, quem firmius tenent, vt dictum eſt. Quę agilitas eorum meritò ſuſpicienda. Tantæ docilitatis ſunt, vt de omnibus diligẽti cura, inſtitui queãt. Ob quam rationis affinitatem non pro brutis, ſed pro hominibus non ineptè haberi poſſint. Cartagenæ in palatio Gubernatoris Cercopithecum vidimus, quem pro vino ex xenodochio afferendo emittere ſolebãt. Hic vna manu Cantharum, altera vini pretium gerebat. Ex cuius manibus pecuniam extorquere nullus poterat, niſi Cantharo prius vinum cõditum accepiſſet. Sannis à pueris in platea obuijs luſus aut exagitatus, poſito cantharo, lapillos prehendit, & in ſannatores eos extorſit. Ita via munita, domum abijt. Etſi verò Cercopitheci ſua natura vini auidiſſimi ſint, citra tamen permiſſum domini cantharum nunquam aperiebat. De eodem id quoq; narrarunt nobis, quod fœminis, quæ facies fuco delibutas habebant, & flammea detraxerit, & eaſdem pugnis probè contuderit. Quod ſi verum fateri fas eſt, noſtro iudicio certè nullum vſpiam animal eſt, quod geſtibus ſuis & actionibus propius cum homine conueniat, quam hoc vnicum. De quo tot nobis mirabilia à diuerſis enarrata ſunt, vt omnia huic tractationi credere nullo modo auſimus: ne pro hiſtoria fumos aut fabulas vendere incredulis videamur. Interim vnicus eorum creator laudandus & colẽdus, qui huiuſmodi animalia in oblectationem & riſum hominũ condidit. Nonnulli aſſerunt, ex India Occidentali Cercopithecos Salomoni tranſmiſſos fuiſſe. Sed nobis is error videtur: & pro Occidentali, India Orientalem potius legendam arbitramur.

Cap. XL.

De Vicunnas & Taraguas in Peru.

EX rebus præſtantiſſimis, quas Peru habet, Vicunnas ſunt, & Oues. Vicunnas feriores ſunt: oues manſuetæ. Sunt, quibus perſuaſum eſt, de his etiam Ariſtotelem, Plinium, ac cæteros autores tradidiſſe, quo loco de capreis egerunt, cum quibus propter agilitatem & montium amorem facilè conferri poſſint. Sed hęc animalia ex caprarum genere, neutiquam ſunt. Nec enim Vicunnas cornua caprarum more habent, quas ſuis Ariſtoteles aſſignat. Multò minus capræ ſunt Orientales, ex quibus lapis Bezoar demitur. Aut ſi omnino huius generis cenſendæ forent: illarum diffuſum genus, ceu canum, omnino eſſe oporteat. Æqua ratione Vicunnas Peruenſes nō id animal ſunt, quod in noua Hiſpania Bezoar promit. Hoc enim ex ceruorum genere eſt, cui ſimile noſtro iudicio non in vniuerſo orbe reperiatur, niſi in Peru ac Chile finitimis. Vicunnas capris maiores, vitulis minores, colore leonino, ſed ſplendentiore ſunt. Cornua non habent, vt in capris & ceruis ſunt. Montanorum loca gelidiſſima colunt, Punas dicta. Eas nec glacies, nec niues lædunt: imo potius firmat reficiuntque. Gregatim oberrant, & miræ celeritatis ſunt. Peregrinantibus tum hominibus tum pecoribus occurrentes, feſtinò in fugam ſe dant, cum ſint timidiſſimæ. Fugientes pullos ſuos ante ſe agunt. Hæ an genus ſuum propagent, nulli ſcitum eſt. Qua cauſa Ingæ Reges mandato cauerunt, ne figerentur, aut quouis modo ferirentur: niſi id iuſſu priuato diebus liceret feſtis. Multi queruntur, Hiſpanos in Indiam ingreſſos, venationibus crebris harum numerum nimium confeciſſe: vnde iam pauciores ſint. Venatibus operam daturi, vno numero 3000. aut 4000. viri congrediuntur: qui montis partem inſignem ambientes, ex omnibus locis in vnum pecudes compellunt coguntque. Ex harum medio poſteà 300. aut 400. quantum volunt, ſeligunt: cæteras, comprimis fœmellas, procreandæ ſobolis gratia dimittunt. Eas tondere quoque ſueuerunt: Ex lana pallia & tegetes texentes, quæ magni æſtimantur. Lana ſiquidem ſerici æmula, durationis longæ eſt. Colorem natiuum ſeruat: tinctura non variatur. Veſtes huiuſmodi in calidis aëris cōſtitutionibus perfrigerāt, & renum comprimis ardorem mulcent. Sed & alio modo adhibentur, nimirum in lectis. Haud pauci lana, in genere pro totius corporis ſanitate firmanda vtuntur: cuius vires non inualidas experiuntur. Ex hac confectas tegetes, podagricos dolores mulcere aut arcere affirmant.

Vicunnas caro proba non eſt: etſi hanc Indi edant, fumoque indurent.

durent. Quam verò vim medicatoriam habeat, noſtris peregrinationibus didicimus. Nam cum aliquando per montana Peruenſia profecti, veſperi in Tambo ſeu hoſpitio diuertiſſemus, dolor inæſtimabilis oculos noſtros inuaſit, tanta crudelitate, vt oculos nobis eliſum iri omnino videretur. Quo morbo ij ferè corripi ſolent, qui per aſſiduas niues iter faciunt, nec præter has oculis quicquam diſpiciunt. Nobis ergò cum intenſo dolore acriter luctantibus, fœmina quædam Indica cubile ingreditur, de carne Vicunnas, recens captæ (nam vel dum cruor emanabat) aliquid promens, iubénſque, vt oculis imponeremus. Quo facto, oculorum ægritudo quaſi in momento deſæuijt, & nos in tutum illicò reſtituit. Præter ſupra dictam venatus rationem, Vicunnas alia quoque arte captant. Eas in locum tam anguſtum cogunt, vt emiſſis glandibus aſſequi queant. Ex lineis funiculis plumbi glandem ſeu maſſam religant. His excuſſis, animalium pedes inuoluunt, innectuntque, ne quò fuga proſilire queant. Hoc modo, quot volunt, captant. Præcipuum, quod habent hæc animalia, Bezoar lapis eſt, in ipſis conditus: de quo infrà.

Sed & aliud animalis genus Taraguas vocant, ferum & ipſum, at pernicitatis maioris, & corporis grandioris. Color aduſtior: aures propendulæ. Non, vt Vicunuas, gregatim errant: ſed ſingulis paſcua ſolitaria: idque in locis editioribus. Ex ipſis his quoque Bezoar eruitur, cæteris tum magnitudine tum virtutibus præſtantior.

Cap. XLI.

De Pacos, Guanacos & ouibus Peruanis.

PERVANIS nulla res maiori aut vberiori quæſtui eſt, quam pecudes, comprimis oues, ipſis Ilama dictæ. Quibus, vt verè dicam, nihil vnquam vtilius eſſe poſſit. Vt alantur, ſumptu nullo opus eſt. Et tum cibos tum veſtes incolæ ex hac pecude accipiunt: velut Europæi ab ouibus ſuis. Præter has commoditates Indi hanc quoque ſentiunt, quod ouibus omnia neceſſaria ipſis apportantur. Quæ tamen vt equi nec ſufferrantur, nec frenis incinguntur. His nec auena obijcienda. Nam gramine ſatiantur. Videre tamē hinc eſt, voluiſſe Deum Indis hoc animal & pro oue ſimul & equo ſeruire. Cumque populus magna parte paupertinus eſſet, ſuffecto copioſo gramine penuriam hanc Deus ipſis demptam voluit. Ilamas autem duorū ſunt generum: Vnum, Pacos, laniferum: alterum lana carens, ſed geſtandis ſarcinis & oneribus aptius. Europæis ouibus maiores: minores vitulis ſunt, collo oblongo, & Camelorum modo porrecto. Quod natura ita ſtatuit, vt erectiori corpori proceritas colli re-

ſponderet. In colore variant. Nam reperiuntur albæ, nigræ, cæſiæ, variegatæ. Indis Mocomoro dicuntur. Incolæ loci, in ſacrificiis olim faciendis, colorem diligenter attendebant: quem anni temporibus & votorum generibus reſpondere oportuerat. Pecudis caro eſilis quidem: ſed durior & tenacior. Agni in cibum delicatiores. Sed horum paucos mactant. Earum vſus eſt, vt lanam, pannis aptam, promant, & onera portent. Lanam detonſam Indi parant, & ex ea pannos texunt, quibus veſtiantur. Sed hi craſſiores ſunt: quos Hauaſca nominant. Subtiliores & pretioſiores, Cumbi appellantur. Ex his mappas, tegeteſque & ſimilia texunt; quæ tum durabiliora ſunt, tum ſplendidiora ſerici modo micant. Texturæ peculiarem modum adhibent: Et Ingæ ad præſtātiſſimos pannos faciēdos opifices ingenioſiſſimos olim adhibebant. Textores artificioſiſſimi in prouincia Capachica, apud latum Titicacæ fluuium habitabant.

Cumbi diſcretis coloribus, ex herbis paratis, & tingendis pannis admodum idoneis, imbuuntur. Hos pannos tum viri, tum fœminæ, in montanis habitantes iam parare didicerunt. Inſtrumenta textoria quilibet domi ſuæ propria habet. Vnde pannis emptis nemo opus habet. Occiſæ animalis carnes in fumo exiccāt. Ita paratæ diu ſeruātur. Portādarum (vt diximus) ſarcinarum cauſa hoc quoq; animal alunt. Vnoq; grege nōnunquam 400. interdum 1000. pluresq; aguntur. Onera quæ gerunt, ſunt, Vina, Coca, Maijs, Chunno, Hydrargyrum, & merces ſimiles, generis promiſcuè vniuerſi. His oneratæ pecudes, paucis cuſtodibus aguntur. Sed & Barras ſiue quadras argēteas ex Potoſi in Aricam baiulant, quod interuallum 70. milliarium eſt. Has olim vſque in Arequipam importabant, quod iter leucarum eſt 150. Hoc perſæpè admirati fuimus, oues has interdum 2000. Barras (quæ ad minimum 300000. Ducatis cenſeri poſſunt) per tantum locorum interuallum progeſtare, nullo comitatu aut ſatellitio ſtipatas. Nam præter pauculos Indos, qui viam præirent, & onera moderarentur, præſidij nihil habebant: adeò, vt diuitijs iſtis vix vnus Hiſpanus præſes congrederetur. Noctu ſub dio quieſcunt, ſolis modò dictis vigilibus cuſtoditæ. Et tamen ne ſemel argenti vel minimum detrimenti fit: vſque adeò ſecuræ in Peru viæ ſunt. Onus cuiuſlibet ouis quatuor aut 6. ferè Arroborum eſt. Quod ſi lōginquum iter futurum eſt, de die vltra 4. milliaria non conficiunt. Pecudū actoribus peculiaria loca cognita ſunt, quibus illæ commodius habeant. Ibi & paſcua & aquas vicinas eſſe oportet. Ipſi deoneratis ouibus, ſua tentoria ſurrigunt, ignes ſuccendunt, & pro viæ moleſtijs leuandis, largius coquunt ac lautius epulātur. Nam præter hoc viam admodum tædioſam habituri ſint. Si iter vnius ſaltem diei ſit futurum, pecudes onus octo pluriúmve arroborum geſtare poſſunt, diurnū iter octo decémve milliarium emetientes.

Vniuerſum hoc pecudis genus locis frigidis gaudet, in quibus probè

probè augeſcit & ſaginatur. In campeſtribus æſtu facilè tabeſcit & emoritur. Tum pruinis tum glacie perſæpè horridæ oues incedunt; & tamen optimè ſaniſſimeque habent. Lanæ quæ breuioris ſunt, vultum amabilem admodũ & iucundum habent; quæ nonnunquam in media via reſtitantes, erecto collo actores ſuos & alios quaſi admirabundæ longo tempore aſpiciunt aut intuentur, nullo interim vel metus vel gaudij ſigno edito. Quæ res multis riſum excutere poſſit. Facilè tamen terrentur & in pauorem dantur, adeò vt rapida feſtinatione altiſſimos ſæpè ſcopulos aſcendant. Quod ſi accidit, ne cum ipſis profugis argentum quoque pereat, ſclopetis ex edito præcipitandæ & decutiendæ ſint. Pacos quin etiam vſq; adeò ira incandeſcunt interdum, vt cum onere in terram procumbentes, ab iſto loco abigi non poſſint, etſi fuſtibus fruſtillatim comminuantur. Hinc in Peru de iis, qui nullorum monitis aut iuſſis parere volunt, natum hoc prouerbium eſt; Hic impacatus eſt, id eſt, Pacos æmulatur. Quo dicterio, reo contumaciam exprobrant. Ergò ſi quæ fors iratior ita procubuit, tum cuſtodes eius ſuſcitandæ remedium nullum habent aliud, quàm vt iuxta Pacos conſideant, illis abblandiantur, & quocunuis verborum lenocinio deliniant, dum ſponte ſua reſurgant. Quibus blandimentis ternæ interdum horæ conficiuntur. Vitio quodã, ſcabiei ſimili infeſtari ſolent, ex quo perſæpè moriuntur. Id Carache vocant. Contra hoc veteres id remedij excogitarunt, vt ægrotas viuas humo tumulent, ne malum ſerpat longius etiam ad alias. Is enim morbus contagioſus eſt. Harum ouium, qui binas habet, nõ inopulentus ſibi videri ſolet. Vna plerunq; 6.7. vel pluribus argenti puri Peſis venditur. Quod tamen pretium pro loci & temporis ratione vel minuitur vel augetur.

Cap. XLII.

De Bezoar lapide.

IN omnibus animalibus, quæ Peru peculiaria habet, Bezoar lapis inuenitur, de quo nõnulli autores noſtro tempore integros libros condiderunt. Quos legant, qui tractationem perfectiorem requirunt. Noſtro inſtitutò ſatis eſt factum, ſi, vbi lapis iſte inueniatur, ſaltem indicauerimus. Conditur autem in vẽtriculo antedictorum animalium: aliàs vnus, ſæpè bini, interdum terni, nonnunquam & quaterni. Differunt forma, magnitudine, colore. Alij auellanis minores ſunt: alij nucem iuglandẽ æquant. Hi oui columbini, illi gallinacei magnitudine viſuntur. Vidimus, qui pomum aurantium æquarint. Formam alij exquiſitè rotundam, alij oualem, alij latam compreſſamque, alij aliam exprimunt. Coloris ſunt nigri, cæſij, albi, ſubfului, ſubaurei. In prouincia Xauxa & finitimis Peru aliis, in di-

in diuerſi generis animalibus, tam feris, quam cicuribus illi reperiuntur. Ex quibus ſunt Guanacos, Pacos, Vicunnas, & Taraguas. His caprarum quoddam genus adiungunt, quas Cipris vocant. De cæteris autem animalibus abunde tractauimus. Guanacos ſeu oues terræ illius, vt & Pacos, lapides plerumque geſtant omnium minimos, colore nigros, quorum nec pretium magnum, nec vis peculiaris medica eſt. Apud Vicunnas lapides reperiuntur grandiores, vel cæſij vel cādidi, vel ſubfului. Hi prioribus præſtantiores habētur. Optimi ex Taraguas eruuntur, quorū aliqui admodum magni, colorem ex albo cineraſcentem habent. Tum & cortices huius craſſiores ſunt, Hi maribus æquè ac fœminis familiares ſunt. Quæcunque verò animalia hunc lapidem fouent, plerumque ſub niue aut ſuper Punas paſcua carpunt.

Memorant Indi à maioribus ſuis ſe accepiſſe, in prouincia Xauxa, & alijs Peruanis locis tum herbas multas, tum venenata plurima animalia degere, quæ aquas vnde potent, & gramina, quæ carpant, contagio ſuo inficere ſoleant. Contrà verò herba quoque à natura ſingularis quæpiam ibi producta eſt, quæ arcendorum venenorum vim maximam præſtat. Hanc herbam ſolius naturæ ſolertia & inſtinctu tum Vicunnas tum cætera animalia apprimè nouerunt: quam auidè quoque mandunt & eſitant, vt eius ope contra paſcuorum & vndarum virulentiam probè muniantur. Ex iſta eſitata nobili planta, animalibus Bezoar in ventriculis ſubnaſcitur: qui dotem quoque natiuam proinde retinet, vt tum venena omnia arceat, tum effectus alios mirandos edat. Hæc veterum Indorum ſententia cum
Lib. 10. c. 27. Plinio quoque facit, qui de feris capris tradit, quod venena nulla noxa aut damno ſuo depaſcantur. Nos verò Indorum opinione de primæuo Bezoartici lapidis ortu firmati, porrò ex ipſis quæſiuimus, quî nam fieret, vt, quæ ex Hiſpania pecudes, ceu capræ, oues, vaccæque veniſſent, quæque in eadem paſcua agerentur, eundem cum Indicis lapidem æqua ſorte non nanciſcerentur? Qui tum mihi reſpoderunt, non ſe credere, pecudes Hiſpanicas quoque de iſta herba depaſci. Cæterum lapides hos in regno nouæ Hiſpaniæ cerui quoque promunt, quo tamen loco nec Vicunnas, nec Pacos, ſiue Taraguas vſpiam reperire liceat.

Bezoar lapidis vis princeps eſt iſta, vt venenis & morbis venenatis aduerſetur. Etſi de his diuerſorum diuerſæ ſententiæ ferantur. Multi eum pro miraculo habent. Virtus tamen eius, tempeſtiuè adhibiti, neutiquam temnenda eſt. In morbo illo Epidemio, per Tauardetten ſiue Tauardillam paſſim graſſante, auxilij Bezoar lapides plurimum tulêre: non æquè autem in Hiſpania, Italia, nec adeo in ipſa Peru. Vſus illorum præcipuus, in pectoris oppreſſionibus, febribus peſtilentibus, & alijs contagijs. Triti aut læuigati cum aquis ſtillatitijs, vino aut aceto, prout morbi natura poſtulat, & medico viſum

ſum eſt, bibuntur. Ipſi ex ſe nullo ſapore donati ſunt, ſicut Rhazes Arabs teſtatur. Probationes quorumdam memorabiles, faciunt, vt huic lapidi meritò inſignes virtutes aſcribantur. Bezoar, qui ex India Orientali oliuæ colore afferuntur, præſtantiſſimi ſunt. Ab his ſecundi Peruani. Tertij, ex noua Hiſpania. Poſtquam huius lapidis pretium augeri cæpit, aiunt Indos arte hunc lapidem effinxiſſe. Non deſunt, qui rentur, lapides hos æquo aut ſolito maiores, neceſſario adulterinos eſſe. Sed horum error manifeſtus eſt. Reperiuntur enim, qui grandiores ſunt, optimi; & econtra minores, nauci & inefficaces. Probatio tamen falſitatis index eſt. Lapides hi ſæpè ramentis ferreis, aut aciculis, nonnunquam & lignorum fragmentis obuoluti ſunt, ita, vt in diffractis illis intus hæc conſpiciantur. Qui ob id improbi non habendi ſunt. Iſta enim cum gramine ſimul animalcula ingerunt: quibus in ventriculo reſtitantibus lapis deinde ſenſim annaſcitur. In Peru binos vidimus lapides, qui nuculis pineis ceu fundamento adhæreſcebant. Id ſpectaculum multis admirationi fuit, qui Pineas nuces antè non viderant. Tantum de lapide Bezoar.

Cæterum ex India lapides quoque alij medicabiles, pro lienis obſtructionibus, & matricis torminibus ac hæmorrhagia, & lactis cõcretione in mulieribus afferuntur. Sunt & alij pro corde roborando. Quæ tamen omnia cum extra claſſem animalium ſint, hoc loco non attingemus. Id ſaltem hic repetitum volumus, hæc omnia, de quibus hactenus pertractauimus, ad hunc vnum finem referenda eſſe, vt nobis inſtitutioni ſint, quod Deus, ſapientiſſimus rerum omnium conditor, vniuerſis orbis partibus dona, ſecreta & miracula ſua, cumulatiſſimè contulerit. Cui laus & gloria & honor, in ſecula ſeculorum,

AMEN.

LIBRI QVARTI FINIS.

NATV-

NATVRALIS ET MORALIS INDIÆ OCCIDENTALIS, LIBER QVINTVS.

Cap. I.

Diaboli arrogantiam cauſam Idolatriæ & ſuperſtitionis eſſe.

TAM faſtuoſa & violenta Sathanæ ſuperbia ac
arrogantia ſemper ab initio fuit, vt pro Deo &
numine ſemper haberi colique poſtularit, ho-
norem illum, qui ſoli æterno Deo debetur, ſibi
proteruè vēdicans & aſcribens. Hunc cultum
autē apud eos ſibi ſtruere annititur præcipuè,
quib. ſacro ſancti Euangelij clariſſima lux nō-
dum apparuit. De ſcelerata huius præuaricato-
„ ris tyrannide ita apud Iobum legimus, quod oculi eius ſublime vide-
Iob.41.v.vlt. „ ant, & inter vniuerſos filios ſuperbiæ Rex ſit. Perditiſſima hæc & ma-
" litioſiſſima temeritas eius, qua thronum ſuum Dei maieſtati alloca-
re audet, clariſſimè & planiſſimè in ſacra ſcriptura nobis depingitur,
„ vbi Propheta inquit: Dicebas in corde tuo; In cælum conſcendam,
" ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti,
Eſa.14.v.13. & 14. in lateribus aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, Simi-
Ezech.28. „ lis ero altiſſimo. Itidem apud Prophetam Ezechielem legimus: Eò
v.2. " quod eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti, DEVS ego ſum, & in cathe-
„ dra Dei ſedi in corde maris, & dediſti cor tuum, quaſi cor Dei, &c. Sa-
crilega hæc cupiditas, vt Deus fiat, vel dum in penitiſsimis medullis
Sathanæ gliſcit vigetq́;. Nam etſi quidem potenti manu, ſua ſancti-
tate penitus exutus, & à Deo ad infernum vſque humiliatus & detur-
batus ſit, ſicut apud citatū Prophetam legere eſt: Præfractam tamen
ſuam arrogantiam ne dum omnino poſuit, ſed quacunque occaſio-
ne poteſt, vetera vulnera vlciſci ſatagit, & velut rabidus canis, gladiū,
„ quo ſauciatus eſt, morſibus impetit roditque. Nam qui Deum ode-
Pſalm.37. " runt, eos ſuperbia pertinaces tenet, ſicut in Pſalmis ſcriptum eſt. Hinc
porro & cupiditas illa pullulat, quam hoſtis Dei in principio habuit,
vt nimirum ab hominibus pro Deo ipſo coli adorariq; velit. Quam
in rem obtinendam infinitis ſuperſtitionibus hominū ſecuras men-
tes hactenus miſerè excæcauit, tantaque ſub iugum ſuum tyrannide
mundi

mundi partem ferè maximam dedit, vt Deo ex electo ſuo populo Iſraël vix angulus aliquis ſuperſtes manſerit. Poſteà verò, cum victorioſa Euangelij voce peſſundatus arma nefaria perdidiſſet, & regnis ſuis præcipuis, quæ violenter occupata, diu tenuerat, expulſus eſſet: tum in abiectiſſimas terras & loca Barbaricis hominibus pleniſſima furtim irrepens, cæpit omnes vias modoſque comminiſci, quibus mendacia ſua & Idololatriam poſtliminiò obtruderet, iam in ſancta Eccleſia, à Chriſto ex omnibus fidelibus collecta & conſtituta, turpiter exactam & exploſam. Cum ergò, vt dictum eſt, ex præcipuis mundi partibus ſe iam turpiter relegatum ſentiret: callidus perplexator mundi alteram partem inuaſit & occupauit. Quæ etſi repurgatâ, nobilitate inferior ſit: tamen & latitudine & longitudine eadem longè maior exiſtit.

Quibus verò ex cauſis tanto niſu & tot technis in diſſeminanda illic idololatria ſua laborauerit Sathanas, id non obſcurum eſt. Duos enim præcipuè impulſus habuit. Primus innata illius ſuperbia eſt. Nam ſacrilega impudentia vel ab ipſo Chriſto, Dei filio, poſtulare auſus eſt, vt is ante ſe procideret & adoraret. Ad quam inauditam arrogantiam, quis pius non exhorreſceret? Ideò non mirum eſt, ſi idem impudens impoſtor, à ſimplici quoque popello, vt adoraretur, poſcere ſuſtinuit. Alter impulſus, quo ad condendas ſuperſtitiones actus eſt, hic eſt, quod irreconciliabili odio aduerſus genus vniuerſum humanum æſtuet. Nam, vt ipſe ſaluator noſter teſtatur, Sathanas ab initio homicida eſt; quæ malitiæ eius compendiaria deſignatio eſt. Cui cum compertum ſit, hominum hanc infirmitatem eſſe, vt facili perſuaſione ad defectionem à Deo, & Idolorum creaturarumque adorationem compelli poſſint: ideò ad excitãdas in ipſorum animis Idolomanias machinator indefeſſus eſt, vt hoc pacto Deum homini infenſum & iratũ reddat. Superſtitionibus enim & Idololatria duo grauiſſima peccata, quæ Deus ex animo odit, cõmittuntur. Primum eſt, quod Idololatræ à Deo creatore ſuo turpiter deficiunt: ſicut ſcriptum eſt: Deſeruiſtis me creatorem veſtrum. Alterum eſt, quod eo cultu homines ſe rei multò viliori & abiectiori, quam ipſi ſunt, ſubijciunt: ſiquidem omnes creaturæ, homine inferiores ſunt. At licet ſecundum perfectionem ſuam, quam ſub angeli forma habebat, ipſe olim Lucifer homine multò ſanctior & nobilior fuerit: iam tamen poſtquam à perfectione ſua degener factus eſt, homine infinitis modis abiectior eſt, adeò, vt cum eo, ne quidem vlla parte conferri poſſit. Homo enim vitæ æternæ hæres eſt: ad quam lucifugæ illi ne quidem aſpirare licet. Ita ergò idololatriâ honor & gloria Dei multis modis euertuntur: ipſiq; homines de ſalute ſua decipiuntur: diabolo interim ſuperbia, odio, ambitione & liuore crepante.

Cap. II.

Quam variæ olim Indorum ſuperſtitiones fuerint.

Sap.14. IDOLORVM cultura, vt ſpiritu Dei actus ſapiens teſtatur, omnis mali cauſa eſt, & initium & finis. Hinc iuratus ille humani generis hoſtis tot & tam diuerſas idolomanias humanis cordibus inſtillauit ac infudit. Nam qui ſuperſtitionum omnia genera excogitata in medium afferre velit, næ is infinitum opus omnino aggredererur, ſuis viribus longe maius. Veruntamen, ſi in generalia quædam capita conferantur, illarum genera præcipuè duo erunt. Vnum earum rerum eſt, quæ à natura verè exiſtunt. Alterum eſt hominum figmentis excogitatarum. Primum genus in duo diuiditur. Nam aut, quæ generalia, vulgata & paſſim nota ſunt, adorantur, vt Sol, Luna, Ignis, Terra & cætera Elemēta: aut res etiam ſingulares, vt flumina, fontes, arbores, montes, quorum cultus ſpecialis eſt. Huiuſmodi ſuperſtitio in Peru nimioperè viguit, quam Guala dixerunt. Alterum genus, quod rerum imaginariarum eſt, ſuas & ipſum differentias habet. Alia enim ab arte & ingenio hominum ſunt, vt idola lignea, ſaxea, aurea, quæ aut Mercurij aut Palladis, aut ſimilium nomina acceperunt, qui tamen niſi ſculpti aut picti in rerum natura nuſquam extiterunt. Alia eorum ſunt, quæ aliquid fuerunt, & adhuc ſunt, nec id tamen, quod ſuperſtitioſus adoratione ſua indicat, cuiuſmodi ſunt mortui, & res ſimiles, quas homo ex mera vanitate adorat. Ac ex his iam liquere arbitror, quot genera ſuperſtitioſorum cultuum Ethnici habuerint: de quibus deinceps ordine pertractaturi ſumus.

Cap. III.

Indos veri Dei quandam notitiam habuiſſe.

ETSI tenebræ quidem incredulitatis, animos menteſque gentis Indicæ miſerè obſcurarint: ipſo tamen naturalis rationis lumine cognouerunt, ſupremum aliquod numen, & rerum vniuerſarum creatorem aliquem exiſtere. Hunc Peruani Viracocha nominarunt. Aliàs ipſi nomina quoque ſublimiora indiderunt, vt Pachacamack ſiue Pachayachachik, id eſt, Creator cæli & terræ. Item, Vſapu, hoc eſt, mirabilis, & ſi quæ alia nomina Dei ſint honoraria. In cælum oculos erigentes, Deum honorant adorantque: quam conſuetudinem Mexicani & Chinenſes adhuc ſeruant. His non abſimile illud eſt, quod in actis Apoſtolorum de diuo Paulo le-
Act.17. gimus, qui Athenis aram inuenit, Ignoto Deo inſcriptam. Vnde ad popu-

populum concionandi occaſione ſumpta dixit:Hoc,quod ignorantes colitis,annuncio vobis. Idem hodiè faciunt,qui ſanctum Chriſti « Euangelium Indis annunciant. Credere autē non admodum difficile eſt Indis,quod Princeps aliquis Deus & rerum omnium Dominus exiſtat,& quod is Chriſtianorum Deus reuera ſit. Et hāc quidem notitiam de Deo etſi quidem gentes diu aluerint in India, in parato tamen ne vocabulum vllum habuerunt,quo Dei proprietatem definirent. Et ſi vniuerſa Indicæ linguæ nomina euoluamus, ex omnibus tamen ne vnicum inueniemus,quod Deo genuinū ſit æquè,ac apud Latinos eſt Deus, apud Græcos θεὸς, apud Hebræos El, apud Arabes, Ala. Idque tam in Cuſco,quàm Mexico.Ideoque hodiè Hiſpanicum vocabulum Dios imitantur,illud definiunt ac explicant per proprietates Indicorum idiomatum, quorum frequentia & varia ſunt.

Ex quo colligi poteſt,quàm leuem & ſuperficiariam Dei cognitionem habuerint,cum illum ne nominare quidem, niſi vocabulis noſtris nôrint: etſi de eo aliquātum verbis diſcurrere interdum poſſent. In Peru etiam ditiſſimum & ſpecioſiſſimum templum condiderant, quod Pachamack nominabant, & ipſum pro re in regno iſto omniū ſacerrima colebant.Pachamack verò ipſis idem deſignat,quod nobis Creator. Et tamē nihilominus vanis & irritis ſuperſtitionibus in iſto templo diffluebāt, Deiq; creatoris loco fœdam Cacodæmonis imaginem adorabant. Suo quoque Viracochæ ibidem victimas offerebant,locumq; iſtum ex domibus precatoriis Regum Ingarum ſupremum & ſacerrimum æſtimabāt. Quin & Hiſpanos Viracochas ideò nominabant,quòd eos pro Dei filiis haberēt;æquo modo ac alij Paulum ac Barnabam pro diis olim colebāt, & hunc Iouem, illū Mercurium nominabant,in quorum honorem, iam etiā ſacrificia adornaturi erant. Idem Barbari quoq; in Malta factitabant, cum ſerpentem diuo Paulo noxium non eſſe aduerterent; quem ob id Deum eſſe exclamabāt. Porrò, vt in nullo dubio eſt, quin ſupremus aliquis dominus ac Rex cælorum atque terrarum exiſtat,ſicut id vel gētes, etſi ſuperſtitioſæ & Idololatræ, in cordibus ſuis agnouerunt, velut id apud Platonem,Ariſtotelem,Aſclepium,Homerum & Virgilium videre licet:ſic concionatoribus Indicis in principio difficile admodum non fuit,vt Deum aliquem eſſe,Indis perſuaderent, etſi nationes quidem omnes, ad quas verbum edebatur, Barbaræ ac pecuinæ eſſent. Sed in id magnus labor impendendus erat,vt docerentur & cōfirmarentur, Deum ſaltem vnicū eſſe, ſine cuius vnius voluntate cætera vniuerſa nihil quicq̄ eſſent,nihil agere ac moliri poſſent,nec in ſeipſis quidem conſiſtere poſſent, vllo modo, niſi à primo creatore ſuo Deo diuina benedictione vegetarētur & firmarētur.Hæc ipſis ſeriò & indeſinenter inculcanda,& cōtrariæ opiniones efficaciter diluendę erant,dum vnū Deum adorarent tandē, ac aliis fictitiis diis nuntium mitterent, nec eos in poſterū ſuis neceſſitatibus & votis auxiliares ſollicitarent.

Cap. IV.

De primo ſuperſtitionis genere, quod fiebat rebus naturaliter exiſtentibus.

POST Viracocham, id eſt, ſummum Deum gentes Solem præcipuè veneratæ ſunt & adorauerunt. Ab hoc etiam res alias, cælis & elementis cognatas, vt Lunam, Venerem, Mare & Terram. Poſt Viracocham & Solem Ingæ, tertium Guaca ſiue cultum Tonitrui præſtabant, cui tria nomina indebant, Chuquilla, Caruilla, & Intillapa, tonitrumque virum eſſe fingebant, qui in cælo ſtaret inſtructus funda, & cuius in manibus ac poteſtate eſſent, pluuiæ, grandines, fulgura & tonitrua, quæ omnia pro nutu & arbitrio ſuo moderaretur. Et hæc ſuperſtitio, omnium in Peru Indorum, animos occupauerat, adeò, vt Tonitrui frequenter ſacra facerent. In Cuſco Metropoli ſacrificijs in Solis honorem datis, mactati infantes quoque offerebantur. Tria hæc fictitia numina, Viracocha, Sol & Tonitrus à diuerſis diuerſimodè (vt Polus commentatur, qui ſe rem ſuis oculis vidiſſe ait) colebantur. Adoraturi, rem quampiam Chirothecæ ſimilem, manibus tenentes, in altum porrigebant. Sed & Terram adorabant, Pathamamam ipſis vocatam, ſicut olim veteres Deam Tellurem quoque venerati ſunt. Mare verò Mamacocham appellabant, quod veteres ſub Thetidis aut Neptuni nomine complexi ſunt. Porrò autem & Iridem, quam cum duobus exporrectis anguibus Ingæ pro inſignibus habebant, venerati ſunt. Ex ſtellis Colca, quem nos Cabrillas ſiue Capellam vocamus, inuocârant. Et ſtellis quidem alijs hoc, alijs aliud munus iniungebant: quæ deinde ſingulæ à ſingulis adorabantur, prout cuiuſuis neceſſitas poſcebat. Ouium paſtores ſtellam Vrcuchillay adorabant, quam arietem varijs coloribus interſtinctum fingebant, cuius hæc vnica eſſet cura, vt cuſtodiret pecora. Hāc putāt id aſtrum fuiſſe, quod Aſtrologi Lyram nuncupant. Præter has duas etiā alias inuocabant, Catuchillay & Vrcuchillay vocatas. Prætendebantq; alteram ouem, alteram agnum eſſe. Sunt qui ſtellam aliā Machacuay venerarentur, ſerpētibus imperantem: à quibus hoc pacto ſe tutos fore perſuaſum habent. Iterū aliam ſtellam Chuquichinchay, id eſt, tigrem vocatam adorāt, quam tigribus, vrſis ac leonibus imperantem faciunt. Nullum vſpiam animal, tam quadrupes quā volatile in terra exiſtere credebant, cuius idea ac ſimulachrum in cælo nō ſplenderet, vnde ſimile in terris ſuam generationem & accretionem ſeu multiplicationem acciperet. Itaq; cum diuerſiſſimis ſtellis ipſis res erat, quas Chacana, Topatatca, Mamana, Mirco, Miquiquiray & aliter nominabant: adeoq; cum Platone, vbi de Idæis tradit, apprimè cōſentiebant. Mexicani poſt ſupremū Deum & creatorem, Solem adorant. Hi Ferdinādum Cortês (ſicut ipſemet

ſcripto

ſcripto ad Imp. Carolum V. edito recenſet) Solis filium nominarunt, propter potentiã & miram agilitatem, quâ vniuerſam terrã ſimul inuaſiſſet & occupaſſet. Nihilominus tamẽ Idolũ Vitzliputzli omniũ deuotiſſimè venerantur, quem totius mundi ſummum dominum habent, vt qui vniuerſa cõdiderit pariter, & eadem perpetuò ſumma prouidẽtia ſuſtentet & gubernet. Cuius in honorẽ cultumq; templũ in Mexico auguſtiſſimum extructũ erat. Illius magnitudo, eminẽtia, pulchritudo & præſtãtia cum opere quouis certare poterat: ſicut rudera, vel dum hodie in ciuitate Mexico conſpicua, id apertè teſtãtur.

Mexicanorum idolomania longè tetrior erat Ingarũ, ſicut deinceps clarius tradetur. Ea rerum merè erat fictitiarum, nõ ex ſe naturaliter ſubſiſtentiũ. Iſtis peculiares operationes aſſignabant, vt pluuias, pecora, bella, rerumq; generationem & multiplicationem. quo fine Græci quoq; ac Latini quõdam Phœbum, Mercurium, Iouẽ, Mineruam ac Martẽ colebant. Hæc ergò ſi quis accuratius inter ſeſe cõferat, is pol videbit, eodẽ planè modo Sathanam Indos excæcaſſe ac demẽtaſſe, quo olim Græcos, Lat. & gentes cæteras priſcas in fœdas ſuperſtitiones præcipitauit. His enim callidus veterator perſuadet, Creaturas, vt Solem, Lunam, ſtellas, Elementaq;, vim potentem & inſignem habere, qua hominibus vel noceant, vel proſint. Verum elementa in vſus & ſeruitia hominũ primò condita ſunt. Quibus ſe tamẽ homines cum non accõmodare poſſent, altera parte Deo ſapientiores eſſe voluerunt; altera verò creaturis ſe lõgè vilioribus & contemptiorib. abiecerunt. Opera ſiquidẽ creatoris venerationis cultu proſequẽtes, Creatorẽ ipſum ſupinè præterierunt & neglexerũt, ſicut id vir ſapiens oppido perſpicuè explanauit, dũ dixit: Vani ſunt omnes homines, in *Sap. 13.*
„ quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt, neq; operibus attendentes, agnouerunt, quis eſſet artifex. Sed aut ignẽ, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, & Lunam, rectores orbis terrarum Deos putauerunt. Quorum etſi ſpecie delectati, Deos putauerunt: ſciant, quantò dominator eorum his ſpecioſior eſt. Speciei enim generator hæc omnia conſtituit. Aut ſi virtutem & opera eorum mirati ſunt: intelligant ab illis, quoniam, qui hæc fecit, fortior eſt illis. A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri, &c. „

Hæc ipſiſſima verba libri ſapientiæ ſunt: quæ efficaciſſima nobis argumenta & pondera contra idololatras, qui maiori cultu creaturas quã ipſum creatorem (ſicut D. Apoſtolus ipſis exprobrat) venerãtur, *Rom. 1.* ſubminiſtrant. Sed cum hæc vniuerſa concionibus, ad Indos habitis, & contra ſuperſtitionem eorum ſcriptis, abundè ſatis explanentur: noſtrumq; inſtitutum in hac materia non verſetur: ideò longiorem rei deductionem hoc loco ſuperuacaneam exiſtimamus. Hoc ſaltem velut obiter & ſummatim indicatum voluimus, quod ſummi

creatoris & fictitiorũ Idolorũ inuocandorũ Indi Græciq; vbiq; eundē omnino modum tenuerint. Indi tamen præ Græcis Viracocham quoq; , ac Solem, ſtellaſq; & cæteros Guacas venerati ſunt. Iidē complosis manibus, labijſq; vibratis tacitum murmur edebant, quolibet priuatim id, quo maximè egeret, erogante. His & ſacrificia addebāt. Etſi verò voces, quibus Ticciuiracocham, cui vni omnē potentiam & rerum moderationem aſſignarant, alloquebantur, variæ & diſcrepantes eſſent: cætera tamen omnia Idola, velut particularia, à quouis domi ſuæ ſeorſim & condebantur & colebantur, vt velut interpellatores apud Magnum Ticciuiracochā intercederēt. Hæc Idololatrias genera, quæ manuum exporrectibus, exoſculationibus, & geſtibus alijs perficiebātur, à diuo Iobo præciſè tacta ſunt, dicente: Si vidi Solem, cum fulgeret: & Lunam incedentem clarè? Et lætatum eſt cor meum in abſcondito, & oſculatus ſum manũ meam, ore meo? Quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.

Iob.31.

Cap. V.

De ſuperſtitionibus in rebus ſingularibus commiſſis.

ETsi diaboli ſeductio iſta, qua Indos ad Solis, Lunæ, ſtellarum, terræ, mariſq; ac cęterorũ generalium adotionem pepulit, ſatis grādis & nefaria eſſet: his tamen patratis non contentus, ſuperſtitiones etiā plures inuexit, ita, vt res quoq; viliores & contemptiores, nonnunquam etiā ipſo aſpectu horrendas ac fœdiſſimas homines inſani venerari occiperent. Quæ ſimplicis iſtius Barbaræq; gentis leuitas ijs excuſabilis quidē videri poſſet, qui recordātur, ipſos quoque mundi ſapientes Philoſophoſq; , qui (vt Apoſtolus teſtatur) » Deum eſſe apprimè norāt, in cogitationibus ſuis vanos factos fuiſſe, » & digno honore Deum vnum verumq; nō coluiſſe. Cum ſe ſapien» tes putarent, ſtulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis » Dei in ſimilitudinē imaginis corruptibilis, hominis, & volucrum, & » quadrupedum, & ſerpētum. Enimuerò nimis quàm verè notum eſt, quod Ægyptij Canem, Oſiridem, Vaccam Iſidem, Arietem Amon: Romani verò Deam Febrim: Tarpeiani anſerē, Athenienſes Gallinaceum coruumq; , & res ſimiles putidas, quibus omnes Ethnicorum libri confarcti viſuntur, quaſi diuino cultu venerati ſint. Imo eo vſq; inſaniæ tandē coniecti homines fuerunt, vt vel ſupremi vniuſq; veri Dei legibus quaſi dedita opera recalcitrarēt & malitioſè aduerſarentur: ſicut id Athanaſius contra Idololatras perſpicuè docuit. Peruani verò inſuper etiam fluuios, & fontes, rimaſq; ſaxorum, rupes grādiores, mōtes, horumq; faſtigia, Apachitas vocata, adorauerunt. Quam ſuam religionē comprimis etiam ſanam exiſtimauerunt. Et vt compendio dicam, res naturales promiſcuè vniuerſas, quæ ſingulare quid habebant, venerati ſunt, affirmantes, in ijs quid diuinum eſſe.

Rom.1.

Apud

Apud Caxamalcam in Naſca, ſtrues arenarum nobis maxima quæpiam cōmmōſtrata eſt, quam rem diuiniſſimam arbitrati ſunt, & coluerunt olim. Cum verò rogaremus, ecquidnam ibi diuini eſſet: reſponderunt, grande miraculum eſſe, montem illum ex mero ſabulo in tantam altitudinem ſurrexiſſe, cum tamen in omni eius ambitu montes ex puris ſaxis ſurrigerētur. In ciuitate de Los Reyes tempore quodam campanam fundebamus. Sed ligno deficiente, arborem quandam detruncabamus, quam propter magnitudinē ſuam & ætatem Indi diu adorauerant. Ita, quidquid inſolens rarumque erat, etſi fœdum interdum monſtroſumque appareret, cultu diuino venerati ſunt, exiſtimantes, quia quid ſingulare haberet, diuinitatis omnino alicuius particeps eſſe. Et hunc honorem præſtabant lapidibus, Metallis, radicibus, & terræ fructibus, quos Papas nominabant. Horum, qui formæ aut ſpeciei peregrinæ erant, eoſdem tum adorabant, tum deoſculabantur, & Ilallakuas vocabant. Quinimo bruta quoque, vt Vrſos, Leones, Tygres & Serpentes, ne ipſis damnum darent, venerabantur. Aliquò profecturi, tum aut veteres calceos, aut plumas, aut manſam Cocam (cuius magna ibi copia eſt) in viarum diuaricationibus, vel in montanis, ac eorum faſtigijs, quæ Apachitas nominant, diſpergebant. Illis fors deſtituti, ad minimum tamen biuiis lapidem imponebant, qui inſtar ſacrificij eſſet, iuxtaq; de itineris felicitate & incolumitate vota faciebant: quorum tunc pro ſomnio ſuo compotes quoque reddebantur. Et hæc in concilio quodam prouinciali Peruana ita enarrata fuerunt. Sacrificiorum huiuſmodi in vijs integræ perſæpè ſtrues poſitæ reperiuntur. In hanc ſuperſtitionis inſaniam vetus detortum prouerbium eſto: Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercuij: ita qui tribuit inſipienti honorem. Sicut enim Mercurius lapidum vim non ſentit: ſic inſipiens non attendit aut curat beneficia ſibi præſtita.

Con. Limenſ. 2.p.2.c.99.

Prouerb.26.

Mirum eſt id ſacrificium, quod inſtituunt in ſuperciliorum depilationibus. Illa enim crinibus nudant. Euulſos crines nōnunquam Soli, interdum montibus ſeu Apalchitis, aliquando etiam ventis, ac rebus alijs, quas metuunt, ſacrificio offerunt. Hac in cæcitate tam enormi Indi quondam obduruerant: Et ſimili vel noſtro tempore plures percuſſi exiſtunt, qui Sathanæ filij ad quaſuis nugas & fabulamenta credenda præcipitantur, ſicut huius in quadam Epiſtola D. Hieronymus meminit. Diuini verbi præcones autem, qui Indos de rebus ſalutem æternam concernentibus inſtituturi ſunt, laboris in id multum conferre debent, vt eos à tam craſſis & fœdis erroribus, æternam damnationem ſecum trahentibus, fideliter abducant, & de via vera rectaque efficaciter commonefaciant. Verum quidem eſt, ex rebus creatis corporeis omnibus, nullū Sole efficacius & ſpecioſius aut præſtantius exiſtere. Qua cauſa etiam ab vniuerſis gentibus præ cæteris adorabatur. Et tamen Capitaneus quidam nobis recen-

ſuit, quod ab eius adoratione Indos leui perſuaſione auocarit aliquando, vt illum deinceps non pro Numine aut Deo, ſed Dei ſaltem creatura habuerint. Id hoc modo contigiſſe narrabat. Capitaneus aliquando Caçiquen ſiue loci primatem rogauerat, vt curſorem Indum aliquem conduceret, qui literas ſuas feſtinò aliquò proferret. Gratificatus petitioni illico Caçique eſt. Ex hoc ergò Capitaneus his verbis percontatus eſt: Quis iſte dominus ac primas Indiæ eſt, qui tanta celeritate curſorem ferendis literis præſtituit. Ego ſum, reſpondit Caçique. Nam cui id equidem mandati dedi, nihil quicquā aliud agit, quam vt mihi morem præſtet. Optimè, reſpondit Capitaneus. Et omnino eadem Solis quoque, nobis vniuerſis conſpicui, ac ipſius Dei creatoris eſt ratio. Sol enim non niſi miniſter eſt ſui creatoris, cuius vnius iuſſu tanta rapiditate voluitur & rotatur, vt lucem omnibus terris præbeat, nunquam fatigabilis, nunquam viæ pertæſus. Ex quibus, inquit Capitaneus, iam intelligere poteſtis, quæ hæc inſania aut fatuitas ſit, quod Soli eam laudem honoremque aſſignetis, qui vni eius & rerum omnium creatori debetur. Hic Capitanei ſermo Caçique apprimè probabatur, adeo vt cum aſtantibus omnibus diceret, ita reuera rem ſe habere, & de hac inſtitutione Capitaneo gratias ageret. Sed & de Ingarum quodam viro prudente & ſagace affirmant, eum dixiſſe aliquando, Solem aut Deum eſſe, aut eſſe poſſe, ſibi verum non apparere. Deum enim potentem eſſe dominum, qui magna manſuetudine & lenitate opera ſua faciat. Contrà autem, Solem nunquam quieſcere, ſed moueri aſſiduo. Quaſi dicturus fuiſſet, Rem tam irrequietam, Deum eſſe nullo modo poſſe. Qua opinione non intempeſtiuus fuit.

Indis ſi quis recenſet, quàm miſerè à Sathana ſeducti & excæcati fuerint, & eos ſimul de recta via erudit: id & cum gratiis agnoſcunt, & in veritate ſe erudiri placidiſſimè ferunt.

Cap. VI.

De alio ſuperſtitionis genere, quod in defunctis admittunt.

SED & defunctos illos, quos viuos præ cæteris amauerant, gentes adorationis cultu veneratæ erant. Quod ipſum, ſapiente atteſtante, primum fœdæ ſuperſtitionis initium fuit. Inquit enim: Propter hoc & in idolis
Sap.14.v.11. nationum non erit reſpectus: quoniam creaturæ Dei
„ in odium factæ ſunt, & in tētationem animabus ho-
„ minum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Initium enim for-
„ nicationis eſt exquiſitio Idolorum: & adinuentio illorum, corruptio
„ vitæ eſt. Neque enim erant ab initio: neque erunt in perpetuum. Su-
„ peruacuitas enim hominum hæc adinuenit in orbem terrarum, &
ideo

ideò breuis illorum finis eſt inuentus. Acerbo enim luctu dolens pa- «
ter,citò ſibi filij rapti fecit imaginem:& illum, qui tunc quaſi homo «
mortuus fuerat,nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit in- «
ter ſeruos ſuos ſacra ac ſacrificia, deinde interueniente tempore,con- «
ualeſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex conſtitutus «
eſt,& tyrannorum imperio colebantur figmenta. Et hos,quos in pa- «
làm homines honorare non poterant, propter hoc quod longè eſ- «
ſent, è longinquo figura eorum allata, euidentem imaginem Regis, «
quem honorare volebant, fecerunt, vt illum qui aberat, tanquam «
præſentem colerent ſua ſolicitudine.Prouexit autem ad horum cul- «
turam & hos,qui ignorabant, artificis eximia diligentia. Ille enim «
volens plus placere illi, qui ſe aſſumpſit, elaborauit arte ſua, vt ſimili- «
tudinem in melius figuraret. Multitudo autem hominum,abducta «
per ſpeciem operis, eum, qui ante tempus tanquã homo honoratus «
fuerat,nunc Deum æſtimauerũt.Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: «
quoniam aut affectui,aut regibus deſeruiẽtes homines, incommu- «
nicabile nomen lapidibus & lignis impoſuerunt. Hæc ad verbum ex «
libro Sapientiæ, diligenter ab omnibus expetenda, hactenus à nobis deſcripta ſunt. Cęterũ,ſi quis diligentius rem ipſam trutinet,is reipſa, defunctorum imagines omnino cauſam & principiũ fornicationis (vt ſapiens loquitur) extitiſſe comperiet. De creaturarũ autẽ, vt Solis, Lunæ, aut aliorum cæleſtium corporum, quorum apud Prophetas paſſim mẽtio fit,adoratione,non ſatis conſtat,quo præcisè tempore cæperit.Hoc ſaltẽ notum eſt,quod in Solis,Lunæ ac Terræ honorem idola condita & erecta fuerint. Sed ad Indos noſtros iam reuertamur:quorum ſuperſtitio (vt S.Scriptura loquitur) ad extremum venit.Hi in principio Regum ac dominorũ ſuorum cadauera aſſeruare ſatagentes, eadem citra corruptionẽ vltra 200. annos cuſtodiuerunt. Et hoc modo,ſinguli Ingarum Regum in Cuſco,ſuis ſacellis conditi, aſſeruabãtur. Ex quorum tamen numero Vicerex, Marchio de Cannette,tria vel quatuor cadauera auferens,ſuperſtitionis tollẽdæ & excindendæ gratia,eadem in ciuitatem de Los Reyes transferri curauit. Plurimis autem ingenti id admirationi fuit, quod cadauera iſta,iam à tam multis annis aut ſeculis nullam putredinẽ aut corruptionem ſubijſſent.Solebat autem quilibet Ingarum ſacello illi, in quod condendus erat,vniuerſa ſua bona, redituſq; ac theſauros legare, & in ſacelli miniſterium ſeruos ac famulas ordinare. Vni defuncto, qui Rex ſucceſſor fiebat,anteceſſoris ſui bona non attingebat,ſed pro ſe ſuiſq; noua ſubinde bona colligebat. Indi verò defunctorum cadaueribus non contenti: idolum ſeu ſtatuam inſuper,quam adorarent, faciebant.Et Regum quilibet, vel dum in viuis agens,lapideam ſibi excindi ſtatuam curabat, quam Guaoiqui, id eſt, Fratrem appellabat: cui erectæ, rege adhuc viuente tantum honoris & venerationis aſſiduò impendebatur,quantum Regi ipſi, cuius Idolum eſſet. Eaſdem

ſtatuas, in bellum egredientes, ſecum efferebant: eaſdem in proceſſionibus quoque circumferebant. His dies feſti & ſacrificia fiebant ab Indis, hoc cultū commodas pluuias & rerum felix incrementum ſibi pollicentibus. Statuarum verò harum in regno Cuſco quam plurimæ colebantur: quarum partem maximam Licentiatus Polus demolitus abrogaſſe dicitur. Is enim Sacellum Ingarum Roca, quod quaſi Caput in Hanon Cuſco erat, euertit ac vaſtauit.

Cap. VII.

De alio quodam ſuperſtitionis genere, defunctos attinente.

INDI, qui in Peru habitant, animas hominum immortales eſſe, ac pios vitam æternam, impios autem æternam damnationem manere, credunt. Ideoque ad huius articuli fidē accipiendā adduci facilè poſsūt. Corpora verò vnà cū ipſis animab. aliquādo reſurrectura eſſe, omnino ignorabāt. Ideo diuturno admodum tempore aſſeruandorum corporum, tantam curam gerebant. Poſteri ſuos defunctos veſtibus induere ſolebant, & ijſdem iugiter ſacrificia præſtabant. Id Ingis potiſſimum fiebat. Horum, ſi quis aliquando terræ mandabatur, maximus tum coniugum tum ſeruorum numerus defunctos pari fato comitabantur, vt his in altera vita à miniſterijs eſſent. Ingis diem obeuntibus, vniuerſæ eorum coniuges, ac officiarij, ſeruique & famuli vnà occidebantur, vt ſuetis officijs etiam in altera vita Regi ſuo defungerentur. Cum Guanacapa (is Atagualpæ parens erat, quo regnante Hiſpani primùm in Peru ingreſſi ſunt) fatis ceſſiſſet, eius cauſa vltra 1000. promiſcuæ ætatis ac conditionis homines, vnà occidebantur, qui ipſi ſatellites ac miniſtri in ſeculo futuro ſeruirent. Priuſquam cæduntur, potionis quodam genere ebrij redduntur, vt quaſi cantillando emoriantur. Qui hoc genere mortis obeunt, ſortem ſibi longè feliciſſimam obtingere perſuaſum habent. Nonnulli liberos quoque ſuos mactant, quorum deinde cruore defunctos illinunt, maculam ſeu lineam ab vna aure ad alteram per tranſuerſam faciem ducentes. Sed & alijs quondam Nationibus barbaris deteſtandus iſte tum viros tum fœminas mactandi mos ſolennis fuit: vnum hunc ob finem inſtitutus, vt comites, miniſtri ac famuli in altera vita illi præſto eſſent, qui viui ipſis chariores fuiſſent. Quam conſuetudinem plurimi vel dum tenent, quæque, vt Polus ſcriptum reliquit, per vniuerſam propè Indiam vſitata admodum & familiaris fuit. Præterea, reuerendus quoque vir Beda, commemorat, Anglos etiam priuſquam Chriſto nomen dediſſent, eundem hunc ritum familiarem habuiſſe, mactatis hominibus defunctos demerendi, vt ſua nimirum miniſteria neceſſaria in altero ſeculo parata haberent.

De

De Luſitano quodam cui aliquando teli iactu oculus eliſus erat, rem ridiculam narrãt. Is, vbi cum defuncto hero ſuo mactandus eſſet, prætendit, monoculum ſe in altero ſeculo domini ſui apud alios exiſtimationem non admodum aucturum & allaturum, ſed ei potius dedecori futurum eſſe. Sibi ergo conſultum videri, vt pro ſe alius, qui binis oculis nitẽtem faciẽ haberet, in domini miniſteria mitteretur. Quod conſilium cum & ipſis Barbaris illico ſalutare viſum fuiſſet, dimiſſo Luſitano mactandum alium elegerunt, qui vtriſq; oculis ſanus eſſet. Cæterum præter hanc ſuperſtitionem, qua defunctorum gratia viuos homines mactabant (id quod primatibus tantum contingit) alia quædam generalior & inculpatior apud eoſdem inualuit, vt in defunctorum tumulos tum cibos tum potus collocarent, quibus eos victitare & ſuſtentari perſuaſum habent. Eadem conſuetudo, teſtante diuo Auguſtino, etiam apud antiquos vſitata fuerat: quam nonnullorum Indi præfractè etiam hodiè tenent: qui defunctos tumulis furtim iterum eximunt, & eoſdem aut in ſpecus montanos, aut domos proprias recondunt. Quinimo mortuis quoque argentum in os manuſque ac ſinus imponunt, ac duplici veſte cadauera induunt: ſiquidem perſuaſum habent, defunctorum animas paſſim oberrare, & varias affectiones, frigoris, inediæ, ſitiſque ac dolorum perpeti. Qua cauſa etiam quotannis vigilias & ſupplicationes ordinarias inſtituunt: & defunctis tum cibos, tum potus, ac veſtes neceſſarias ſubinde conferunt. Hinc etiam factum eſt, vt præſules in Synodis habitis, ſerio ſacerdotibus mandârint, ne aliud Indis, ſuis concionibus proponerent, quam quod ea ſacrifica, quæ ſepulchris imponerentur, non pro animabus, ſed pro ſolis pauperibus aut miniſtris facerent: quod itidem ſolus Deus animas in altero ſeculo ſuſtẽtet, & quod nullo corporeo cibo potúve ibi opus habeant. Quibus in momentis plurimum ſitum eſt, vt de ijs probè informentur, ne rerum illarum conſuetudine in Ethniciſmum reuoluantur, ſicut id è multorum exemplis videre eſt.

Auguſt. in Epiſt. 64.

Cap. VIII.

Quibus ceremoniis Mexicani ac gentes nonnullæ cæteræ erga defunctos vtantur.

POSTQVAM de Peruenſium ac aliorum conſuetudine, ſuos mortuos tractandi nonnihil recenſuimus: iam quoque deinceps, quam pompoſa ſuperſtitione Mexicani mortuos humare aſſueuerint, nonnihil commemorabimus. Hi peculiares ſacerdotes alebãt, qui defunctis tum ſepulturam, tum Exequias accurabant. Mortui autem in fundis proprijs iuxta domos ſuas ſepeliebantur. Nonnullos in montanis humabant, & ſua ibidem ſacrificia præ-

ſtabant. Alij defunctorum cadauera exurebant, cinereſque collectos in templum condebant. Omnes verò in vniuerſum cum ſuis veſtimentis, ornatibus ac clenodijs tumulis ſubdebantur. Combuſtorum verò cinis cum ornamentis omnibus in ollas inditus conferebatur: ad quas deinde exequiæ, reſponſorum modo fiebant, cadaueribus interim in ſublime aliquoties elatis. Rituum huiuſmodi plurimos agitabant. In tumulis tum comedebant, tũ perpotabant. Quod ſi defunctus opulentior ac honoratior eſſet, quicunque in ſepeliendo eo nonnihil operæ impendiſſent, hi veſtibus donabantur. Mortuus autem, primo in cubiculum quoddam exporrectus locabatur. Ad hunc deinde omnes ex omnibus locis cognati amicique ingreſſi, donaria conferebant, extinctumque non ſecus ac viuum alloquebantur & ſalutabant. Regibus verò aut magnatibus defunctis ſclaui offerebantur, qui in futuri ſeculi miniſteria cæſi cum domino ſuo tumulabantur. Sed & horum ordinarij ſacerdotes ſimul occidebantur. Suus enim cuilibet domino domi ſacrificus eſt, qui ceremonias & ritus ſuetos peragat. Sed & aularum magiſtri, & pincernæ, & Eunuchi, qui dominis frequentius à miniſterijs erant, eadem ſorte conficiebantur: vt & interdum horum qui fratres erant. Et hæc omnia maioris pompę gratia fiebant. Et, vt compendio dicam, quoſcunque viui domi aluerant, hi cum defunctis mori cogebantur, vt eaſdem dominis ſuis in altero quoque ſeculo operas præſtarent, ne qua fors re aut commoditate illi ibidem deſtituerentur. Eodem fine etiam vnà cum defunctis tot theſauros, auri, argentíue, ac gemmarum, & armillarum, vno tumulo conſepeliebant. Eadem ſimiliter etiam fiebant, dominis in pyra crematis: quorum dein cinis magna & illuſtri ſolennitate defodiebatur. Exequiarum tempus dierum decem ſpatio durabat, quibus omnia lugebant, & threnis perſonabant. Mortuos ipſi ſacerdotes efferebant, & ceremonias eas peragebant, quas quiſque poſtulaſſet. Nam horum modi infiniti erant. Bellorum duces defuncti, ſuis trophæis ornabantur, quæ cadaueri præferebantur vſque ad locum ſepulturæ deſtinatum. Proceſſum autem ſacerdotes ac ſacrifici condecorabant, veſtibus ac ornamentis peculiaribus amiciti. Horum nonnulli thura adolebant; aliqui cantabant, hi lamentabile quidpiam fiſtulis inflatis edebant: nonnulli tympana lugubria pulſabant: quem ſtrepitum deinde cognati & amici clamoribus & eiulatibus additis augebant. Qui rei ſacræ præerat ſacerdos, imagine quadam, quæ defunctum exprimebat, cinctus erat. Cremando in locum pyræ perducto, eius vniuerſa inſignia ex ſerie in terram ſuffigebantur, quæ aridiſſimis lignis ſubinde iniectis, vnà cum defuncto poſtea exurebantur. Quo facto, ſacerdotum quidam Cacodæmonis veſte, quæ quoquo verſum foraminibus & oculis ſpecularibus conſpicua erat, indutus prodibat, manibus baculum gerens, quo ſuperciliosè quaſi cum indignatione quadam cineres ſubi-

gens,

gens, aſpectu horrido aſtantibus vniuerſis timorem quendam incutiebat. Sed idem nonnunquam alia quoque veſte amicitus prodibat, prout defuncti ratio aut conditio poſcere videbatur. Sed hæc hactenus de ſuperſtitioſis Indorum exequijs dicta ſufficiant. Iam autem ad propoſitum noſtrum reuertamur.

Cap. IX.

De quarto & poſtremo ſuperſtitionis genere, quod Indi comprimis Mexicani, imaginibus & ſtatuis cultis committebant.

ETsi prænominatis ſuperſtitionibus, quibus Dei creaturæ adorantur & coluntur, Deum creatorem grauiſſimè offendi certiſſimum ſit: comprimis tamen eam abominationem ſpiritus Sanctus, perfectè execratur, qua imagines ac Idola, ex lapidibus, ligníſve ac ære ab ipſis hominibus condita & facta, nec quicquam præter nudam vmbram habentia, venerationis cultu homines proſequuntur. Hoc qui faciunt, à Sapiente infelices nominantur, dum inquit: iuſtè infelices haberi, & inter mortuos ſpes *Sap.13.v.10.*
illorum eſſe, qui appellauerunt Deos opera manuum hominum, au- «
rum & argentum, artis inuentionem, & ſimilitudines animali- «
um, aut lapidem inutilem, opus manus iniquæ. Eodem modo Pro- «
phetæ quoque Eſaias, Ieremias, Baruch, & Dauid, contra hanc inſa- *Eſai.44.*
niam & fœdam ſuperſtitionem prolixè & neruosè ad gentes con- *Hierem.10.*
cionati ſunt. Qui Scripturæ loci ob id illis diligenter excutiendi ſunt, *Baruch.6.* *Pſal.113.*
qui cum fructu abominabiles hos errores refutare ſatagunt. Nam eo
ferè omnes reſpiciunt, quô Propheta Oſeas attendens, eleganter & *Oſeæ 8.v.4.*
breuiter ita concludit: Aurum & argentum ſuum fecerunt ſibi ido- «
la, vt interirent. Porrectus eſt vitulus tuus Samaria: quia ex Iſraël & «
ipſe eſt: artifex fecit illum, & non eſt DEVS, quoniam in aranearum «
telas erit vitulus Samariæ. Statuis quidem & idolis faciendis Indi o- «
peroſè ſemper ſtuduerunt: quæ ex diuerſis materijs vario opere ac artificio extruebant. His diuinum cultum præſtantes, Guacas nomen indiderunt. Iſthæc verò idola plerumque aſpectus truculenti & horrendi erant: quibus ſanè Cacodæmonem, cuius in honorem exſculpebantur, ſingulariter oblectatum fuiſſe, haud diffidimus. Et multoties factum eſſe ſcimus, vt Cacodæmon ex iſtis idolis reſpōſa quærentibus hominibus dederit. Sacerdotes ac miniſtri illorum ad oracula animum applicabant: quæ tamen omnia, vt Sathanas ipſe pater mendaciorum & homicidij eſt, lubrica, fallacia, & doloſa edebantur. In prouincijs nouæ Hiſpaniæ, Mexico Tezcuco, Tlaſcâla, Cholula, & finitimis alijs iſtius regni locis, cultus huiuſmodi Idolorum

frequentiſſimus erat; adeò, vt commentarius noſter libri metam exceſſurus ſit, ſi de ſingulis ſuperſtitionibus ſigillatim narrationem inſtituere velimus. At tamen fors haud iniucundum erit, de iis aliquid ſaltem obiter quaſi delibare.

Primarium Mexicanorum idolum, vt diximus, Vitzlipuzli erat, ex ligno cælatum forma viri, in ſella, quæ ſupra arceram ſeu lecticam fundabatur, conſidentis. Ex huius vtriſque lateribus, baculus, colubrino capite præeminens, porrigebatur. Per ſellam autem, ſignificabatur, eum eo geſtu in cælo reſidere. Idoli præputium vndiquaque liueſcebat. Per tranſuerſum naſum liuida macula ab vna aure vſque ad alteram ducta erat. Caput eius criſta pretioſiſſima, roſtro auium ſimili, tegebatur. Huius apex aut extremitas leuigato auro obducta erat. Ipſum idolum læua manu rotundam candentemque parmam, quinque albis pennis in crucis morem decuſſatis, gerebat: ex cuius ſummitate palmæ ramulus ex auro factus, prominebat. In latere eius quatuor tela conſpicua erant, quæ Mexicani ipſi cælitus miſſa prætendunt, vt iis facinora illa, de quibus ſuo loco dicemus, deſignaret. Ad dextram fulcrum quoddam, anguis forma ſtatutum erat, granis ac ſtriis cæruleis vndiquaque exſculptum. Omnibus & ſingulis his ornamentis, quorum adhuc multò plura erant, ſuæ peculiares interpretationes conueniebant, quæ apud Mexicanos tales erant. Vitzliputzli nomen idem eſt, ac inuerſa, & cõſpectu pulchra criſta ſeu penna. De tẽpli verò inſigni ornatu, ac ſacrificiis, ieiuniis, & ceremoniis, idolo exhibitis, in ſequentibus mentio fiet. Dictum idolum in aram editiorem locatum, pannis integebatur, & inſuper ornamẽtis variis, ex auro, pennisque, ac pennatis clypeis, opera exquiſitiſſima & ingenioſiſſima fabrefactis, cingebatur. Cuius quidem veneratio vt eſſet illuſtrior, ante eius faciem perpetuò Gordiin ſuſpẽdebatur. Iuxta huius ſacellum, aliud quoque aditum, non vſqueadeò excultum erat. Hoc aliud idolum Tlaloc vocatum condebatur, quod Vitzliputzli ſemper proximum ſtatuebatur, vt quod eiuſdem cum illo potentiæ particeps eſſet. Præter hæc etiam tertium quoddam idolum colebatur apud Mexicanos, quod remittendis peccatis deſtinabatur. Hoc Tezcathlipuca vocabatur. Id ex nitente nigro ſaxo exculptum, veſtibus pretioſis habitu Mexicanorum ſartis tegebatur. Aures eius aureis, labra verò inferiora argenteis annulis tranſmiſſis, cõſpicua erant. His interdum virides, nonnunquam cæruleæ pennæ, externa facie Smaragdos aut eranos referentes, inſerebantur. Capilli pars inferior filo aureo innexa erat: in cuius extremitate auris aurea, fumo quodã volitante (is autem idea precum, à peccatoribus fuſarum, ac ab idolo exaudiendarum erat) inſignis, figebatur. Intra verò aures geminas Clenodiorum magna vis cõſpiciebatur. Ex collo etiam clenodium, totum pectus anterius integens, ſuſpenſum erat. Bracchiis vtriſque aureas armillas gerebat: at vmbilico, nobiliſſimam ſtellam, virentem

oſtende-

oſtendebat. Læua ſpeculum, ex nitidiſſimis pennis tum viridibus, tum cyaneis & flauis, concinnatum, prætendebat. Pennæ verò ex lance tota aurea, adeò polita & ſplendēte, vt radios ſuos quoquò verſum diffunderet, emittebantur. Hoc ſpeculo, idolum, quicquid in toto orbe eſſet vel fieret, quaſi præſenter videre, innuebant. Nomen ſpeculi Itlacheaia, erat. Dextra, quatuor tela idolum librabat; quæ pœnas referebant, quas improbis immitteret. Æquo terrori Indis nullum Idolum præter hoc erat. Quod admodum metuebant, ne facinora patrata in propatulum ferret. Feſtis illis diebus, quæ ſingulis quaternis annis inſtituuntur, peccatorum remiſſio publicè denunciatur eo modo, quo deinceps dicturi ſumus. Idem hoc idolum rtiam pro Deo ac domino habebatur, ſiccitatis, inediæ ac famis, ſteeilitatis, & peſtis. Quod ob id alia quoque ſpecie effingebant, in ſolio inſigni conſidens, & purpureo prætenſo velo (Gardyn vocant) in quo hominum defunctorum crania & oſſa depicta erant, recinctum. Siniſtrâ ſcutum rotundum, quinque pennis ex goſſypio formatis, conſpicuum, exerebat. Dextrà verò telum miſſile librabat. Hoc bracchium, non ſecus ac iam iam feriturum, compoſitum erat. In ſcuto orbico quatuor tela defixa erant. Coloribus vniuerſum corpus delibutum viſebatur. At caput Coturnicum plumis omne intectum erat.

Non procul à Mexico, apud Cholulā, quę Reſp. peculiaris eſt, idolū quoddā mercatoribus deſtinatū venerantur, quod Quetzaâlcoalt nuncupāt. Hoc in edito quodam templi loco ſurrectum, vndiquaq; in circuitu auro, argentoq;, ac gemmis, & pennis pulcherrimis, vt & pannis vario colore tinctis, ſuccinctū erat, corpore reliquo viri quidē imaginem exhibens, ſed vultu ac facie volucri ſimili, roſtrū rubrum promittebat, & in capitis vertice criſtam proferebat. In eius ore ſeries dentium maiuſculorum conſpiciebatur: & ex faucibus lingua exerta eminebat. Capite papyraceum pileum oblōgum & acuminatum, coloribuſq; variatum geſtabat. Crura verò auro inducta micabant. Huiuſmodi ornamenta idoli innumera erant, omnia peculiarem ſuam ſignificationem habentia. Hoc idolum adorabant, qui opes ac diuitias efflagitarent, non ſecus ac veteres gentes Barbaræ Mammona aut Plutona venerabantur. Vox ea, qua Choluani ſuum idolum inſigniebant, cum re ipſa apprimè quadrabat, etſi ſenſum eius propriū nec ipſimet intelligerent. Quetzaalcoalt etenim idem eſt, ac ſerpens, pulcherrimis & pretioſiſſimis pennis exornatus. Barbari verò huiuſmodi ſtatuis maſculis necdum contenti, inſuper fœmineas quoque imagines colendas fingebant, ſicut idem olim quoq; apud gentes tam Gręcas quàm Latinas ſolenne fuiſſe, ex fabulis poëtarum & hiſtoricorum monumentis cognoſcimus. Dearum, quas venerabantur, præcipue erat Tozi, id eſt, Auia, quæ, atteſtantibus Mexicanis annalibus, Regis Culguacan filia fuit, Vitzliputzli iuſſu ac mandato

viua

viua excoriata, qui eam ſibi hoc pacto in ſororem aſſumeret aut adoptaret. A quo deinde tempore alij quoque homines pro ſacrificijs mactari & excoriari cæperunt. His mactatorum corijs viui pòſt induebantur, ita ſe Deo ſuo placituros exiſtimantes. Ex mactatis etiam corda euellebant: quod à Deo ſuo ita edocti erant, qui eorum, quos in Tula puniebat, corda euulſerat: ſicut ſuo loco dicemus. Vni Dearum harum filius erat, nobilis admodum venator, quem in Tlaſcala poſteà dijs annumerarunt. Tlaſcalanorũ ope Hiſpani primò Mexico occupauerant olim, cum acerbis odijs mutuò flagrarent. Prouincia Tlaſcala ſitu commodiſſima, & venatibus aptiſſima erat. His & ipſi incolæ admodum dediti, Deum ſuum ſpecie ſingulari condebant, de qua longius commentari fruſtraneum arbitramur.

Feſti, quod agebãt, ſolennitas hoc ferè modo fiebat. Aurora prodeunte, tubam inflabant. Ad huius ſonitum paſſim multi confluebant, tela, arcus, retia, & his alia venationibus idonea ſimilia portantes. Poſteà arrepto idolo ſuo, ex ordine procedentes, verſus montem quendam commeabant, turba plurima ponè conſequente. In montis faſtigio Prieel ſeu tabernaculum quoddam, ex virentibus frondibus contextum ſtabat: in cuius medio ara, concinnè & eleganter erecta, ſpectabatur. In hanc Idolum ſuum collocabant: circa quod cornubus, lituis, tibijs & tympanis continenter perſonabant. Cæteri, vniuerſam montis baſin coniectis lignis obuallabant, quibus vndiquaque accenſis, omnis generis feras, vt Lepores, Cuniculos, Vulpes, Lupos & ſimiles è latibulis excibant. Quæ ignis ſplendore perterrefactæ, vno impetu vniuerſæ ad montis faſtigium profugiebant. Has ergò à tergo venatores magno clamore edito inſectantes, impulſis tympanis inflatiſq; tibijs, quaſi ad ipſos ſui idoli pedes agebant. Porrò autẽ cedendi nullo loco relicto, inſectatione continua feras in eas anguſtias agebant, vt ex editioribus locis illarum pars aliqua in mediam turbam, pars alia in ipſam aram deſiliret & præcipitaretur. Quo ſpectaculo admodum iucundè afficiebantur. Ex illis ergò captatis, aliquammultas idolo ſuo ſacrificabant: quibus non ſecus, ac ipſis hominibus, corda euellere & offerre ſolebant. Iis peractis, & retibus collectis, cum idolo ſuo eadem proceſſione, qua exierant, domum reuertebantur: quod tibijs & tympanis comitibus, ſingulari ritu in templum ouantes reponebant. Ferarum autem carnes coquentes, publicum deinde epulum ſeu conuiuium adornabant. Lautè conuiuati, ad idolum redibant, ad cuius conſpectum choreas & varios ludos agitabant. Præter dictos Deos deaſque, diuos alios quoque magno numero venerabantur. Nam hi Mexicanis, quorum ſuperſtitio omnium maxima erat, ſubditi fuerant.

Cap.

Cap. X.

De peculiari quodam ſuperſtitionis alio genere, Mexicanis familiari.

SVPERIVS à nobis commemoratum fuit, in more apud Ingas Reges Peruanos, ac conſuetudine fuiſſe, vt ſuas ſibi imagines conderẽt, Guaoiquies vocatas, quas ſubditi non minore cultu ac ipſos Reges venerarentur. Hos Mexicani adeo obſtinatè æmulabantur, vt ipſis etiam ſuperiores fierent. Nam ex viuis hominibus Deos conſtituebant, eo modo, quo iam dicemus. Mancipium quoddam ſeu ſclauum, è medio numero eligebant. Ei priuſquam mactaretur, Dei nomen indebant illius, in cuius honorem mactandus ſeruabatur. Quin & huius habitu conſueto ſclauum induebant: vt hoc pacto omnibus, quis futurus eſſet, repræſentaretur. Interim dum hæc fierent (quod tempus menſium plerumque ſex, pluriúmve ac pauciorum erat) ſclauus nullis honoribus non cumulabatur, nec minus, ipſo Deo excultus, delitiis omnibus tũ cibi tum potus miniſtratis largiter ſaginabatur. Eo per plateas commeante, agminatim populus confluebat, vt ipſum adoraret, & largas Eleemoſynas impertiret. Quin & ægros infantes, vt ipſos ſanaret & bene ominaretur, apportabant. Eidem quicquid libebat, patrare licebat. At ne quo fors aufugeret, duodecim viris aſſiduo ſtipatus incedebat. Porrò autem, vt nihil, quod ad venerationem cultumq́ue eius faceret, omitteretur, ambulans nonnunquam fiſtulam inflabat, vt eo ſigno vndecunq; populos, à quibus adoraretur, exciret & eliceret. Tãdem vero abundè ſaginato ipſo, cum dies feſti appropinquaſſet, correptũ eum medium diſſecabant, & exenteratum comedẽtes, id ſolenni pro ſacrificio habebant aut venditabant. Hæc qui ſeriò apud animum ſuum euoluit, is abundè ſatis intelligit, quàm miſerè miſeros iſtos homines Sathanas ſuo imperio ſubiugarit, dum perditis tot cum corporibus, ipſis etiam animabus, quaſi ludos & feſta egit, & horrenda iſta tyrannide inſuper ipſas gentes veluti ſupina nare ſubſannarit.

Sed cum hactenus de Indorum fœdis ſuperſtitionibus abundè pertractauerimus: iam deinceps, de eorum cultibus, ſacrificiis, templis, & quæ his ſimilia ſunt, nonnihil quoque dicere pergamus.

Cap. XI.

Quomodo Sathanas, tum ſacrificiis, tum religionibus & ſacramentis inſtitutis, Deum æmulatus ſit.

ANTEQVAM in materia præpoſita pergamus, rem prius attingemus conſideratione attenta digniſſimā, qua nempe audacia Sathanas ipſi quoque Deo bellum mouerit, in rebus illis, quæ ad ſalutem humano generi conciliandam primò & vnicè inſtitutæ fuerunt. Ab illis etenim bonis diabolus homines ſubmoturus, & in ſuum honorem cum mortalium æterna damnatione, omnia conuerſurus fuerat. Sicut enim ab æterno & immortali Deo, tum Sacrificia, tum Sacerdotes, ac Sacramenta, & religiones, & Prophetæ ideò ordinata & conſtituta primitus ſunt, vt iſtis omnibus & ſingulis pro vna omnium hominum communione ſancienda, & diuino ſuo cultu illuſtrando & continuando vteretur: ſic ad Dei illicò exemplum, flagitioſo liuore inſtigatus Sathanas & ipſe tum ſacrificia, tum ſacerdotes ac myſtas, tum ſacramenta & certum populum ſibi conſtituit, vt ex ijs omnibus ceu in vnam maſſam coactis, infinitas ſuperſtitionum varietates excluderet. Et quidem, quam technis ingenioſis iſta ſingula condiderit, narratu ſanè vtile eſſet: niſi accuratior omnium deductio contra inſtituti noſtri conſilium pugnaret. Hoc tamen in genere ſciēdum eſt, Sathanam, qui, teſtante Euangelio, princeps & pater mendaciorū eſt, id omni tēpore omni niſu ac molimine ſerio agitaſſe, vt proteruo ſacrilegio Deo debitum honorem ſibi appropriaret, & cimmerijs tenebris, clariſſimam ſalutis noſtræ lucem offuſcaret. Æqua ratione Ægyptii Magi quoque, *Exod. 7.* ſui præceptoris Diaboli inſtinctu nutuque Moyſis ac Aaronis miracula eludere auſi ſunt. *Iud. 17.* Similiter & in Iudicum libro legimus de Micha, idoli vani cultore, qui veſtes in Dei tabernaculo ſolum induendas, ante idolum factum induit. Sic, quicquid dicant alij, à Domino & ſeruatore noſtro Ieſu Chriſto propè nihil vſpiam in Euangelio ſuo conſtitutum & ordinatum eſt, quod Sathanas varijs modis æmulari, & in ſuperſtitiones gentiles conuertere non anniſus ſit. Id quod ex deinceps dicendorum attentione clarius & manifeſtius elucebit.

Cap. XII.

De Templis, in India repertis.

SED de Templis exordium ducamus. Vt verò Summus & æternus Deus, rerum vniuerſarum conditor, ſingulari mandato domum, qua nomen ipſius præcipuè ſanctificaretur, & requiſiti cultus præſtarentur, ſibi extrui voluit: Sic quoque infeſtus Sathanas blando

blando inſpiratu incredulos eò inſaniæ præcipitauit, vt ipſi templa pretioſiſſima extruxerint, & cultus admodum religioſos condiderint. Nam in Peruano regno nulla ferè prouincia erat, quæ non peculiare Guaca ſeu templum ac delubrum haberet: Præter quæ tamen inſuper alia quoque Generalia pro ſolis Ingis regibus ſolemnia erant. Ex his duo primaria & pretioſiora colebantur: quorum primum, Pachacama dictum, quatuor à Lima milliaribus diſtabat, cuius ruinæ ac fundamenta, vel dum hodie adhuc ſpectanda, de eius magnitudine teſtari queant. Hoc ex templo Franciſcus Piçarro, & ipſius commilitones ingentes & infandas diuitias vaſorum tum aureorum, tum argenteorum acceperunt, cum Ingam Atagualpam captiuaſſent. Et veriſſimum eſt, in hoc templo Sathanam ex loco ſuo, viſibili ſpecie reſponſa quærentibus ſubinde dediſſe. Quod & per cæterã Indiam paſſim tam diu fecit, dum illis oris ſanctiſſima Euãgelij lux tandem effulſiſſet, & S. Crucis ſignum in terrorem luridi hoſtis erectũ eſſet. Hoc enim facto, perplexator vniuerſus obmutuit illicò, ſicut id Plutarchus, eo loco, quò quærit, cur ceſſârit Pythias fundere oracula, oppidò teſtatur. Sed & Iuſtinus Martyr, de ſilentio iſto, quod Saluator Ieſus Chriſtus diabolis, ex ſtatuis & idolis reſponſa dãtibus, impoſuerit, accuratè & prolixè diſſerit. Hæc enim ita futura, in ſacris literis diu anteà prædicta fuerant.

Modum verò ac rationem, ex Idolis neceſſaria percontandi, luridus Sathanas hanc ferè inſtituit, vt ſub noctem præcipuè à miniſtris ac ſacerdotibus conſulerentur: Quod hoc geſtu perficiebatur. Retrò & conuerſi idolum accedẽtes, corpus ita inflectebant, vt caput quaſi reſolutum propenderet antrorſum. Hoc habitu miras, fœdas & inconditas geſticulationes edentes, quã de re opus erat, quærebant. Reſponſum autem non niſi per altos clamores & tibiarum ſtrepitus horrendos accipiebant, ita plerumque compoſitum, vt aduerſa & infeliciſſima quæuis portenderet. Sed hæ iam illuſiones magna ex parte, illuſtri Saluatoris noſtri potentia detectæ, euanuerunt. Alterum in Peru templum, priore multò auguſtius & ſanctius habebatur. Illud olim in ciuitatis Cuſco eo loco poſitum erat, quo nunc cœnobium S. Dominici erectum viſitur. Inter eius rudera cætera, columnam, adhuc ſaluã & inconfractam videre licet, ex qua de templi magnitudine, præſtantia, & eminentia certiſſima documenta deſumi poſſunt liquidiſſima. Delubrũ hoc Romanorũ Pãtheo, Deorũ omniũ domicilio, quadamtenus ſimile erat. In hoc templum Inge, ex omnibus regionib. deuictis collecta idola, ſingula peculiari loco ſtatuebant & condebant, vt cuilibet ſuus à natione addicta honor cultuſq; præſtari poſſet. Quam in rem ſumptus certè impendebãtur profuſiſſimi: cum perſuaſum eſſet vniuerſis, ab ijs ſe omnino populis tutos ſecuroſque fore, quorum Deos in templis ſuis aſſeruarent & colerent. Ipſo hoc quoque templo Punchao aſſeruabatur, qui

Solis faciem gerens, auroque ac pretioſiſſimis gemmis pulcherrimè ornatus, faciem orienti Soli obuertebat. Sole ergo emergente, & radijs ſuis rectà in idolum, ex nitidiſſimis metallis factum, impingente, tantus ſplendor & lumen quoquo verſum fundebatur, vt nouus omnino Sol prodiiſſe videretur. Ingæ hoc Idolum pro Deo ſuo venerabantur, vt & aliud Pachayachachic vocatum, quod creatorem cæli credebant. Pro vero narrant, in templi huius direptione militum quendam pretioſiſſimam hanc laminam prædatum, cùm poſteà aleæ pertinacius indulſiſſet, eandem vniuerſam vna nocte perdidiſſe. Ex qua re enatum prouerbium, poſteà in decoctores & aleatores torqueri ſolitum eſt, Hic Solem perdidit, priuſquam ortus fuit.

Cap. XIII.

De inſigni templo, apud Mexicanos conſpicuo.

SVPERSTITIONIS Ingarum cum Mexicanorũ collatione inſtituta, horũ multò fœdior & abominabilior apparitura eſt: idq; non tam propter ipſum templum, quod Hiſpani olim Cu (vocabulo ab Inſula S. Domingo ſiue Cuba mutuato) vocitabant, quàm propter res plures alias nec Hiſpanicæ linguæ, nec ipſi in alijs locis Indicæ notas, vt ſunt, Maijs, Chicha, Vaquiano, Chapeton, & ſimiles. In Mexico, Cu ſacerrimum Vitzliputzli templum erat, cuius ambitus exterior diffuſiſſimus, intus aream latiſſimam pandebat. Hoc ex ingentibus ſaxis, anguium modo conſertis extructum erat: qua cauſa etiam ipſe locus, Coate Pantli, id eſt, anguibus circumdatus nuncupabatur. Summitates ſiue faſtigia, aditorum, quibus Idola condebantur, ex innexis & contortis lapidibus nigris, carbonum inſtar, extructa erant, viſu aut ſpectatu non iniucunda. Templi circuitus colore albo & rubro depictus, ſpectaculum & ipſe amœnum præbuit. In faſtigiis dictis pinnæ affabrè factæ prominebant: in quarum angulis, duo ex lapidibus exciſi ſedentes Indi ſpectabantur, lucernas manibus prætẽdentes, ex quibus duo veluti criſpata bracchia exporrigebantur. Ambitus interior multis cellis ſeu cubilibus, pro religionis ſocijs conditis, interſtinctus erat: ſupra quæ, plura alia editiora poſita, Sacerdotibus ſiue Papis (ita ſacerdotes ſummos vocabant) Idolo ſeruientibus addicta conſpiciebantur. Area exterior patore tam magno effundebatur, vt vniuerſi Regni conuentibus & ludis ordinarijs agendis ſufficeret. In hac nonnunquam 8000. vel 10000. homines conueniebant, nemine quoquam alij obſtante, aut impedimentum faciente. Et hoc haud paucis præter veritatis fidem eſſe videri poſſet. Quatuor foribus templum acceſſum erat, quarum aliæ ab ortu, aliæ ab occaſu, aliæ à meridie, aliæ à ſeptentrione ſpectabantur. Ex quauis autem ianua, via peculiaris, duorum

triúmve

triúmve milliarium ſpatio, lapidibus concinnè conſtrata proſpici poteſt,ita,vt in medio lacu,ſuper quē ciuitas Mexico poſita eſt, quatuor latę viæ, crucis in morem coëant & iungantur:quod ornamentum ciuitatis ſingulare eſt. Supra quatuor ianuas,quatuor ſtatuæ locatæ erant, quarum quælibet faciem viæ ſibi oppoſitæ aduertebat. In templi huius turrem triginta anabathræ aſſurgebant, quarū ſingulæ 30. orgyarum altitudinem habebant. Hæ verò media quadam platea intercurrente dirimebantur. Scalarum ſummitates, circuitus ſupernè latus excipiebat, planuſque ex mero cæmento ſtratus. In huius ambulacri medio ædificium ex arboribus admodum proceris ita extructum ſtabat,vt à ſe inuicem arbores Orgyæ vnius interuallo diſtarent. Arbores hæ admodum craſſæ & argilla vndiquaque oblitæ aut inductæ erant:ita,vt ab vna arbore ad aliam perpetuæ perticæ defixæ à ſummo ad imum porrigerentur,ex quarum ſingulis ad minimum 20. Capita ſeu Crania humana dependerent. Et hæ craniorum ſeries,vt diximus, à ſummo ad imum ab vno termino ad alium ita ſedulò ducebantur & collocabantur, vt aſpectu res horrenda eſſet. Hęc autem capita illorū erant,quos ante id tempus in faciendis ſacris mactaſſent. Cæſorū etenim hominū carnibus abſumptis & deuoratis, capita deinde ſacerdotib. offerebantur: qui eadē reliquis prioribus pro more addebant aut appendebant,tam diu ibi manſura,dum ſponte deciderent. Quod ſi locorum quis vacuus fortè fiebat,iam de eo ſupplendo admodum curioſi, nouam victimam ſubinde meditabantur. In euectiore templi parte duo veluti ſacella erant, geminis idolis deſtinata,nempe Vitzliputzli, & eius ſocio Tlaloc. Hæc ſacella duo imaginibus operoſè exculpta, in tantam euecta altitudinem erant, vt gradus 120. prius conſcendendi eſſent, quam in ea ingreſſus daretur. Ante ſacella hæc area patens 40. pedum vt in longitudine ſic latitudine quoque forma quadrata pandebatur: in cuius medio lapis quidam, forma viridis pyranidis, quinque ſpithamarum altitudinem habens ſurrectus ſtabat, in quo homines mactari ſolebant. In quem, ſi ſupinus homo illidebatur, ei dictum factum ſpina dorſi vniuerſim crepabat & diffringebatur. Hoc facto inciſis abdomine & pectore, cor ei palpitans euellebatur, vt deinceps dicetur.

Præter hoc alia quoque in Mexico octo nouemque templa erant, ſibi inuicem velut in ambitu contigua, in quorum medio area lata relinquebatur. Cellæ verò & in his ſuæ ſingulis propriæ erant. Fores partim Solis ortum, partim eius occaſum, partim meridiem, partim ſeptentrionem ſpectabāt, omnes turriculis primis pulcherrimis intectæ, & variorum colorum viuis imagunculis exornatæ. Hæc peculiaribus idolis ſacrata erāt. A templo Vitzliputzli proximum erat delubrum Tetzcatlipucā. Id numen pœnitentiæ & probitatis colebatur, cuius templum admodum editum ſurgebat: vt ad cuius ingreſſum 80. gradus paterent. Altitudine hac cōſcenſa, in aream, 120. pedes

 latam,

latam, deueniebatur: in cuius latere conclaue quoddam, varij coloris pannis pretioſis tectum viſebatur: cuius porta humilis velo aſſiduò recingebatur, nulli niſi ſacerdotibus acceſſa. Ipſum alioquin templum varij generis, ac coloris icunculis ſeu imaginibus approbè exornatum, ſpectatu amœniſſimum erat. Hæc ſiquidem templa gemina, inſtar Cathedralium erant, tam ſpatioſa & in ambitu magna, vt & collegijs ſcholiſque, & ſacerdotum habitationibus ſufficerent.

Ex hactenus commemoratis iam nemo non intelligit, quàm miſerè Sathanas, omni faſtu ac ambitione ebrius, gentes cæcas & ſuperſtitioſas dementarit, & eò compulerit, vt tum ampliſſimis opum ſumptibus, tum crudelibus corporum propriorum impendijs, ipſi, tot laboribus & ceremonijs deſeruiuerint. Quod omne tamen hoc vnico fine ſatagebat, vt cum animabus ipſa quoq; Indorum corpora in exitium æternum præcipitaret. Indi interim ſomniabāt, potentiſſimos & robuſtiſſimos ſe Deos habere, quorum cultibus & venerationi iure meritò tam religioſè vacarent.

Cap. XIV.

De Sacerdotibus & eorum officiis.

INTER omnes totius orbis nationes ac populos ſemper extitere aliqui, ꝗ aut vero veri Dei cultu, aut fictitijs idolorū miniſteriis facilè caperentur. Et hi Deorū, quos venerantur, voluntatē, populis enunciare ſolebāt. Iam vt Deus Opt. Max. ſuæ eccleſię ſanctos miniſtros præfecit, qui cultib. & ceremonijs, ab ipſo mandatis, ſedulo vacarent: ſic ad eius æmulationem Sathanas quoq; miniſtros ſibi conſtituit & ordinauit, quorum aliquos ſummos ſacerdotes, alios Acoluthos, nonnullos Leuitas confirmaret. Et admiratione, imò deteſtatione omni dignum eſt, quod horridus cacodæmon tanto ſacrilegio, tum meritum Chriſti, tum cultus eius ſacra officia, ſibi quæque aſcribere auſis ſit. Nam ſummum ex ſacerdotibus Mexicani olim Papam vocitabant, quod vel hodiè ex ipſorum geſtis & annalibus videre eſt. Sacerdotes Idoli Vitzliputzli ordinata ſerie ſecundū generationes quaſi hæreditario ſibi inuicem ſuccedebant. Aliorum verò Idolorum miniſtri ſorte & arbitrio eligebantur, niſi ſi qui fortè à teneris huic vel illi templo oblati & conſecrati ſint. Summa miniſterij hæc ferè erat, vt idolis thure cremato ſuffirent. Id quater de die faciēdum erat: aurora prodeunte: ſub meridiem: veſperi ſub ſolis occaſum: ſub noctem tandem mediam, quo tempore ſacerdotes vniuerſi ſurgentes cum campanis carerent, tubis & lituis ſignum clarum inflatis edebant, aliquandiu ſonitum lugubrem fingentes. Hoc ſtrepitu finito, veſte candida quidam prodibat, altera manu thuribulum, carbonibus ignitis (quos ex vaſe quodam iuxta altare

altare aſſiduò ardente arripiebat) refertum, altera verò ſacculum thure plenum geſtans. Ex quo grana multa carbonibus inijciens ad Idolum propius accedebat, & cum veneratione quadam ante ipſum, ſuffitum faciebat. Hoc præſtito, linteum arripiens, tum aram tum vela eius exquiſitè tergebat. Sacrificio peracto ad reliquos collegas in area ſtantes pergebant, & peccata ſua ſeria pœnitentia expiaturus, flagris ſeipſum tam diu cædebat, dum è corpore ſtillatim ſanguis emanaret. De quo plenius eo loco percenſebimus, quo dicturi ſumus, quo modo Sathanas ſuos cultores pœnitentiam agere inſtituerit. Ab hac nocturna miſſa nemini emanere licebat: ſolique ſacerdotes ſacra peragere cogebantur, prout ordo quemque & ſeries vocabat. Diebus feſtis ad populos conciones habebant. Sed & reditus ſuos peculiares, & oblatorum magnum numerum habebant. De ſacerdotum vnctione poſteà tractabitur. Sacerdotes Peruani, ex Idolorum ſuorum bonis patriis ſeu hæreditariis Chacaras vocatis, ſuſtentabantur: quibus cenſus quotannis ampliſſimus redibat.

Cap. XV.

De monaſteriis virginalibus, in culturam ſui à Sathana fundatis.

SICVT in Romana eccleſia diuerſi Religioſorum ordines exiſtunt: ita pariter Sathanas, mendacij pater, in his locis ita conſtitutũ voluit, vt miniſtri ipſius duram, religioſam & doloroſam vitam agerent. In Peru virginum puellarumque tam numeroſa cœnobia erant, vt in omnibus paſſim angulis prouinciarum plurima conſpicerentur. Virginum aliæ annoſiores erant, quæ iuniores in neceſſariis inſtituebant. Has Mamacônas vocabant. Cæteræ iuniores, aliquandiu ad miniſteria Idolorum aut Ingarum educabantur. Et hoc monaſterium Acllaguaci, id eſt, domus ſelectarum appellabant. Cuilibet monaſterio ſuus Vicarius aut Gubernator, Appopnâca dictus, præſtituebatur. Huic, quas videbatur eligendi poteſtas & arbitrium erat, cuiuſcunque illæ vel ordinis vel ſtatus ac conditionis eſſent, modò annos octo completos nedum attigiſſent, & cœnobiis idoneæ eſſe poſſent. Quæ in cœnobium puella aſſumeretur, ad Mamacônas ducta, de variis tum ad cultum Idolorum, tum ad ceremonias, tum ad vitæ caſtitatem pertinentibus erudiebatur. Annos quatuordecim aſſecutæ, cœnobiis rurſum eximebantur, & in Guacas ſeu domos precatorias abſtrudebantur, vbi diſciplina dura & accurata coërcebantur. In his perpetua caſtitas vouenda erat. Harum ergò nonnullæ Sacrificiis ordinariis, à ſolis virginibus præſtandis: quædam extraordinariis, vt ſanitatis impetrationi, ſi Ingarum quis aut obiiſſet, aut in bellum aduerſus hoſtes egreſſus eſſet, adhibe-

hibebantur. Earum quoque nonnullæ pro Ingarum, & horum cognatorum Ducumq; coniugibus ac concubinis educabantur. Quarum ſi quam Ingæ alicui dono dabant, munus præſtantiſſimum obtuliſſe videbatur. Et hæc diſtributio in anno ſemel fiebat. Pro harum virginum ſuſtentatione, quarum frequentiſſima multitudo erat, peculiares reditus ordinabantur, quibus viuerent. Si quam ex puellarum medio numero Appopnâca in cœnobiũ ſelegiſſet, ne ipſis quidem puellæ parentibus aduerſari aut abnuere licebat. Quinimo filias ſuas iſtis ordinibus parentes plurimi vltro offerebant, eas hoc pacto, Ingis copulatum iri ſperantes. Si quæ à Mamacônis ſiue Acclis, virginitatem temeraſſe deprehendebatur, ea aut viua ſub terrã defodiebatur, aut alio ſupplicij acerbiſſimi genere plectebatur. In Mexico Sathanas ſibi quoque Moniales parturiuerat: quarum tamen profeſſio vnius ſaltem anni erat. Harum iſthæc ratio erat. In patente illa area, de qua ſuperius diximus, duæ ædes ſibi ex aduerſo poſitæ ſtabant; quarum vna virorum, altera fœminarum erat. In æde virginum, puellæ 12. annorum alebantur, vſque dum annum ætatis 13. attingerent. Et hæ filiæ pœnitentiæ aut caſtitatis dicebantur, idolorum cultibus præſtandis præfectæ. Harum munus erat, templum aqua conſpergere & verrere, & mane tum Idolo tum eius miniſtris, cibos, ex oblationibus & Eleemoſynis collectis paratos, offerre. Cibi verò, qui idolo apponebantur, paruæ placentæ erant, manuum aut pedum, vel rerum aliarum ſpecie formaque confectæ. Præter verò placentulas iſtas panem commiſtum alium quoque pinſebant: quem ſingulis diebus Idolo obiectum, Sacerdotes poſteà vorabant, ſicut ſimile quid de Baal apud Prophetam Danielem legimus. *Dan. 14.* Virgunculis his primo capilli tondebantur, quos deinde ad definitum quoddam tempus renaſci permittebant. Eædem, ſub noctis medium quoque non ſecus ac viri ad miſſæ celebrationem (quæ in æde iſta continuo peragebatur) ſurgere cogebantur. Illis & Abbatiſſæ ordinariæ erant, quæ quaſlibet ad officij ſui opera compellebant. Pannos etiam & cortinas pretioſiſſimas vario genere texere addiſcebant, quibus idola & templa præuelabantur. Habitus earum candidus erat: nec quoquam colore alio veſtiri audebant. Noctu pœnitentiam agentes, flagris ſe incutiebant, & aurium ſummam partem ſauciabant. Cruore ex vulneribus manante faciem ac genas tingebant: ad quas iterum emaculandas, in cellis ſuis vaſa aqua plena aſſeruabant. Vitam omni modeſtia & caſtitate commendabilem agebant. Si quæ ſecus vel in minimo facere depræhendebatur, nulla exceptione morti dedebatur, vt quæ Dei domum libidine fœda conſpurcaſſet. Commiſſi autem piaculi ſuſpicionem captabant, quoties aut glirem diſcurſantem, aut veſpertilionem volantem, aut Idoli velum arroſum conſpicarentur. Arbitrabantur enim, nec glirem nec veſpertilionem, tantum arrodendorum velorum facinus patraturos fuiſſe,

fuiſſe, niſi Deus, flagitio admiſſo irritatus, hanc ipſis poteſtatem indulſiſſet. Itaque exquiſita indagine omnia explorabant. Rea deprehenſa, illicò ſupplicio afficiebatur. In hæc cœnobia nullæ virgines admittebantur, niſi ex ſex illis ditionibus, in hanc rem ſelectis, oriundæ eſſent. Hæ, veluti dictum eſt, vnius ſaltem anni ſpatio, quo in Idoli miniſterium à parentibus deuouebantur, in cœnobio iſto morabantur. Eo exacto, ad parentes, ſi luberet, redibant, & nubebant.

Porrò, quæ hactenus de virginibus cœnobialibus Peruanis enumerauimus, iis ferè ſimilia ſunt, quę de virginibus Veſtalibus Romanis ab hiſtoricis tradita legimus. Sed cur diabolo volupe fuerit, vt etiam à puris, caſtis & illibatis hominibus, ſingularibus miniſteriis coleretur, ſciendum eſt, iſthæc omnia non eo animo facta eſſe, quaſi is caſtitate & innocente vita delectaretur, cum fœdus & ſpurcus ſpiritus à natura ſit: verum hāc potius ob cauſam, vt in vniuerſis Dei honorem prædaretur, & per proteruiam æmularetur: cum prima & præcipua hæc ſummi Dei voluntas ſit, vt in perfecta & conſummata caſtitate & ſanctitate ipſum colamus & veneremur.

Cap. XVI.

De aliis monaſteriis religioſis, quibus Sathanas adſerendas & propagandas horrendas ſuperſtitiones vtitur.

EX literis illis, quas noſtræ ſocietatis quidam ex Iapan miſit, ſatis abundè notum eſt, in locis illis maximum Religioſorum (quos Bonſos vocant) numerum exiſtere. Ex ijſdem etiam, quàm miras & inauditas ſuperſtitiones agant, quamq; putida mendacia euomant, clariſſimè conſtat. Itaq; de his nos quoq; hîc breuiter aliquid dicemus. Qui in China Patres egerunt, Bonſos ſiue Religioſos diuerſis ordinibus diſcretos eſſe, recenſent. Nonnulli enim veſtibus vittiſq; candidis vtuntur: alij atris; Et hi nec vittas nec crines habēt, nec admodum magni fiunt, cum non minus quàm vulgata populi fex à Mandarynis ſeu magiſtratu ſontes plectātur. Nec piſces, nec carnes, nec quicquā aliud, quod vitam habuit, guſtant, Sola oryza & herbis paſcendi. Furtim tamen & in abſcondito nihil non, quod ſuaue ſit, comedunt, & populo promiſcuo multo nequiores ſunt. Religioſi aulici, in Paquin habitantes, maximæ apud omnes æſtimationis ſunt. Mandaryni perſæpè in dictorum monachorum Varellas ſiue conuentus animi gratia ſe conferunt: à quibus raro non probè appoti dimittuntur. Monaſteria frequenter extra vrbem ſunt. Intra vrbem ſunt Templa ac delubra. In China nec tēplis nec Idolis multum tribuunt. Hæc enim omnia Mandaryni in riſum ludumq; conuertunt, affirmātes, præter officium & poteſtatem Mandarynorum nullam aliam vitam aut Paradyſum: præter ſontium verò carceres &

ſupplicia, nullum infernũ reſtare. Iidem etiam prætendunt, cultus I-
Ariſt.12.c. Metaphyſ. dolorum vniuerſos ideò ſaltem excogitatos eſſe, vt hoc q. freno po-
puli ferocia coërceretur, quod ipſum Ethnicus quoque philoſophus
ſtatuiſſe legitur. Hoc quoque velo ipſe Aaron vtebatur, cum inſani-
enti populo aureum vitulum extruxiſſet. Chinenſium mos eſt, vt in
nauium puppis ſacello, quod plerunque ſuperimponunt, diſcin-
ctam quandam virginem aut fœminam factitiam in ſellam collo-
cent. ante quam duo Chinenſes, ſpecie angelorum in pedes conſe-
derunt, ſuperius verò Candela ſeu lumen, noctibus ac diebus iugiter
ardens, ſuſpenſum eſt. Quoties ergò vela demiſſuri ſunt, multis riti-
bus & ceremoniis idolo iſti ſacrificant, tùm tympana tùm campa-
nas ſimul impellentes, & telis igniuomis aërem percutientes. Sed de
Religioſis pergamus dicere. Ex nullis odorari veſtigiis poſſumus, v-
ſpiam in Peru peculiarem aliquam domum extitiſſe, in qua Religioſi
congregati vixerint. Cæterorum verò ſacerdotum ac Magorum nu-
merus propè infinitus fuerat. Mexicanis conſuetudo peculiaris quæ-
dam haud dubio ab ipſo Sathana introducta, ſolennis fuit. Nam in-
tra magni templi, de quo antè diximus terminos duo monaſteria e-
rant, quorum hoc (vt iam comprehendimus) virginibus, illud viris,
annos 18. aut 20. natis cõſecratum habitabatur. Hi Religioſi vocaban-
tur: qui monachorum more radebantur quidem, ſed pilos aliquãtò
longiores, & ad aures vſque promiſſos alebant. Capillos autem per
directum verticem tranſuerſorum quatuor digitorũ latitudine tam
promiſſos enaſci permittebant, vt q. cæſaries propendens, dorſum
integeret, quos etiam flocci more torquebant aut innectebant. Hi
iuuenes, qui ſuas Idolo Vitzliputzli operas vouerant, in paupertate &
caſtitate ſumma vitam trahentes, Leuitico officio fungebãtur, tem-
plique ſacerdotibus primariis ſubſeruiebant, thuribula & cereos ac-
curando, veſtes ſacras cuſtodiendo, loca ſacratiora purgando, & li-
gna congerendo, vt loco lampadis perpetuus ignis ante Idoli faciem
arderet. Præter iuuenum horum certum numerum, pueri quoque
quamplurimi velut horum ſimiæ alebantur, quorum opellæ & of-
ficia varia erãt, ſertis & herbis, ac roſis aut iuncis templum ornandi;
aquas loturis ſacerdotibus miniſtrandi: nouaculas ad ſacificia ne-
ceſſarias acuendi: eos, qui ſtipem rogaturi eſſent, comitandi: & tan-
dem ipſas victimas ad aras procurandi. Singulis his Religioſis ſui
priores attendebant, vt caſtè & innocẽter vbiuis ſe gererẽt. In locum
fortè aliquem, quo fœminæ eſſent, ingreſſi, capitibus pronis nuta-
bant, & oculos in terram defigebãt, aſpectum earum minimè feren-
tes. Veſtes eorum retium inſtar textæ erant. Conuentuales autem
pueri Eleemoſynæ rogandæ cauſa in ciuitatem quotidiè mitteban-
tur, quaterni quaternis, aut ſeni ſenis ſemper iuncti. Horum inceſſus
admodum religionis & deuotionis plenus erat. Quod ſi diutius ob-
errando ſtipis nihil impetraſſent, licentia data in agros irruebant, &
fru-

frumenti tantum, quantum neceſſe eſſet, vellebant, nemine contrà hiſcente, aut eoſdem loco eijciente. Nec enim vllos, quibus fruerentur, reditus alios habebant præter Eleemoſynas. Horum numerus quinquagenarũ nunquam excedebat. Pœnitẽtiam acturi de media nocte ſurgũt, & tubis lituiſq; inflatis populos ad preces excitant. Certo & ordinario numero Idolo ſeruiunt: & ligna, ne ignis emoriatur, tempeſtiuè inijciunt: & thuribulũ, quo ſacerdos ſuffitum Idolo ciet, neceſſariis inſtruunt. Dicti pueri ſuis maioribus in omnibus promiſcuè obedientiſſimè parebant. Sacrificio à ſacerdote peracto, pueri in locum priuatũ abſcedebãt, & acutiſſimis ferreis inſtrumentis malas ſibi findebant: extillantemq; ſanguinem temporibus illinebant. Eo facto in alio loco parata aqua cruorem eluebant. Quin & capita ſua, ſacerdotum more bitumine perfundebant. Veſtes ex cannabe craſſa textas gerebant. Hac ſeria contritione, cum ſumma inedia, caſtitate & tolerantia, vniuerſum annum exigebant: adeò vt ſtupendum ſit, vanam vanæ religionis imaginationem apud iſtos pueros potuiſſe tantum, vt tam conſtantia virili pro ordinis ſui inſtituto iſtis fœdis Sathanæ abominationibus operari voluerint, cum verum & vnum Deum, nemo noſtrum vel dimidia quidem religionis ſeueritate, colere ſuſtineat. Sed iſthæc ſuperſtitio præcipuè illis admonitioni & exemplo ſit, qui vel ad quamcumuis ſuorum peccatorũ ſuperficiariam condolentiã illicò inſoleſcunt, & vitæ confidentioris ſordibus ſe de nouo illicò repolluunt. Hæc autem Indorum ſuperſtitioſa pœnitentia ideo ipſis toleratu facilior obueniebat, quia non aſſiduo duraret, ſed vnius anni curriculo finiretur.

Cap. XVII.

De graui alia pœnitentia Indorum, inſtinctu Sathanæ ipſis monſtrata.

AD hunc iam locum deuoluti, operæ facturi pretium ſumus, ſi execrandam Sathanæ ambitionem & faſtum adhuc clarius in propatulum efferamus: vt eo propius conſpecto, natiuam noſtrã ſocordiam mittentes, ad ſerium & purum Dei immortalis cultum alacriores & religioſiores exurgamus. Indi dicti tanta tyrannide & cæcitate à Sathana percuſſi ſunt, vt & Prophetis Baalicis in omnibus ſimiles euaſerint, qui ſe ipſos cædebant ſauciabántque: & ſimul immanitatem eorum æmulati ſint, qui Beel-phegor filios filiaſque ſuas pro ſacrificiis mactabant, & eoſdem per ignes ire iubebant, ſicut de iſtis S. pagina apertè teſtatur. Sathanas verò per hæc id aſſiduè molitus eſt, vt cum perditione generis humani cultũm ſuum latius propagaret. Paulo ante hæc recenſuimus, quo pacto ſacerdotes & religioſi de media nocte ſuo idolo fumigatum exurrexerint Id iam pertexendum. Suffitu peracto, ſacerdotum primas

3.Reg.18. *Pſal.105.* *Num.25.* *4.Reg.21.*

ſiue ſuperintendens in latam aream ſecedebat, in qua ex ordine multa ſcamna ſeu ſellæ poſitæ conſpiciebantur. In harum vna conſidens ille, Puya ex Mangey, id eſt, framea ferrea pedem iuxta digitos tranſfigebat, vt cruor confertim ex plaga emanaret. Eo tempora illinebat partim: partim frameam vniuerſam tingebat: quam ita cruentam in globos ex ſtramine confectos defigebat, vt pœnitentia, quam pro populo vniuerſo feciſſet, eius conſpectu omnibus nota fieret. Poſteà ex lacunæ cuiuſdam, in hunc vſum fabrefactæ & Ezapan, id eſt, aqua ſanguinis dictæ, aſpergine cruorē capitis eluebat. In tēplo huiuſmodi framearum magnus paſſim numerus offendebatur: cum ſingulæ ſingulis vicibus tantum ſeruirent, & ſubinde recentes adhiberentur. Præterea ieiuniis quoque corpora caſtigabant, ita, vt quinque decémve diebus continuis perſæpè nihil guſtarent alimenti, ſi feſta primaria agerentur. Hæc verò quatuor anni temporum primariorum ſimilia erant. Caſtitatis tam pertinaces amatores erant, vt plurimi, ne carnis tentationibus ſuccumberent, ſibiipſis genitalia finderent, & infinitis artibus quæſitis generandi ſeu coëundi potentiam deſtruerent; ſaltem, vt hoc pacto Deos ſuos propitios & pacatos ſeruarent. Sed & à vino, Veneris incitabulo, in ſolidum abſtinebant, & ſomno parciſſimo vtebantur, cum noctis partem maximam ſuis ſuperſtitionibus impenderent: & tandem dolores ac cruciatus infinitos ſibimet ſtudio ac amore diaboli creabant. Hæc verò vniuerſa eo animo & fine patrabantur, vt pro pœnitentiarijs religioſiſſimis, & ieiunatoribus ſtrenuis ab omnibus haberentur. Flagris ſe plerumq; nodoſis cædebant. Eo verò die feſto, quod in honorem Idoli Tezcatlipucæ (is Deus pœnitentiæ erat) celebrabatur, non ſacerdotes ſolum, ſed ipſe quoque populus certatim flagellabatur. Flagella autem ex funibus recentibus, vlnæ maioris longitudinem habētibus, & ex cannabe tortis conſtabant. Funium extremitates nodis exaſperatæ erāt, quibus ſcapulas & dorſum percutiebant. Ad huic feſto ſolemnitatem maiorem conciliandam ſacerdotes diebus quinq; ieiunabant, de die ſemel tantum cibum guſtantes, & à coniugibus ſuis ſe diſſeparantes. His verò quinis diebus ne latum quidem pedem ex templo efferebant, ſicut hæc omnia ex Ieſuitarum literis ex India miſſis, prolixius intelligi poſſunt. In Peru, cum feſtum Ytu, admodum ſolenne, appropinquaret, populus vniuerſus duobus ad minimum diebus ieiunio ſe macerabat, eo interuallo à coniugibus penitus amotus. Nec quicquam, quod cum Sale aut Axi decoctum erat, interim edebant, nec Chicao potabant. Vt peccata quædam definita expiarent, vrticis ſe nonnunquam feriebant; nonnunquam ſaxis ſeſe inuicem contundebant, tamdiu, dum in cuiuſlibet dorſo conſtitutus plagarum numerus emineret. Nonnullis in locis impulſu cacodæmonis excæcatæ huius gentis aliqui in deſerta & eremias profugiētes, ibi vitam acerbam & duram longo tempore agebant. Interdum pro victimis

ſeipſos

ſeipſos offerebant, ex abrupto ſaxo ſe deijcientes, & in mille fruſta comminuentes. Quæ hactenus commemorauimus, nihil aliud niſi laquei Sathanæ ſunt, qui nihil in votis magis optatiſque vnquam habuit, quàm vt vniuerſum genus humanum in æternum ſecum exitium pertraheret ac præcipitaret.

Cap. XVIII.

Cuiuſmodi victimas Indi diabolo obtulerint.

PROFESSVS Deique ac hominis hoſtis, in omnibus ſacrificiis iſtis, ad quæ varia & diuerſa miſeros homines inſtitutos compulit, frendentis ſui odii radios vbique effulgere fecit. Sicut enim iſta religionis mira proprietas eſt, vt ad culturam & venerationem Dei homines adhibeantur: ſic pariter mēdacij pater conſtituit, vt ſibi velut rerum omnium auctori ac domino, Dei creatura ipſa pro victima offerretur. Primæ omnium oblationes, quas exhibuêre homines, ſimplices rudeſque fuerant. Cain pro ſacrificio fructus terræ: Abelus verò è grege ſuo pecudem pinguem offerebat. Idem poſteà ſecuti ſunt Noha, Abraham, & Patriarchæ, vſque dum ſurgens Moyſes, peculiarem de ceremoniis librum Leuitis condidit, quo multa eáque diuerſa ſacrificia, cum ceremoniis quamplurimis populo Iſraëlitico deſtinauit. Hoc ergò exemplo illectus Cacozelus Sathanas, ad quæcunque ſacrificia ſibi quoque offerenda, fatuas gentes illicò compulit. Illiſdem etiam plurimas leges, ceremonias, rituſque præſcripſit, non ſecus, ac veteris à Deo latæ legis fidiſſimus æmulus eſſet. Vnde ſimiles ab eo in reb. quamplurimis ceremonias ſeruatas videmus. Cæterum, omnia ſacrificia, quæ increduli Sathanæ offerebant, in tria cōferri genera commodè poſſunt. Primum rerum eſt, anima carentium: Alterum animalium eſt: Tertium, ipſorum hominum. In Peru Cocam offerebant, herbam magni æſtimatam. Sacra etiam faciebant oblato Mays, picturatis pennis, Chaquira ſiue Mollo, alga marina, nonnunquam & auro, argentoque ac ex his imaginibus animalium confectis: pannis item pulcherrimis ex Cumbi, fragrantibus & cælatis lignis: ordinariè verò adipe, & ſeuo. Omnium horum ſacrificiorum finis erat, vt commoda tempeſtas, felix plantarum incremētum, optata ſanitas, & periculorum vacantia impetrarentur. Secundum ſacrificiorum genus Cuies dicebatur, ab animalibus hoc nomine vocatis, & plerumque offerri ſolitis. Hęc bufonum facie erant, ab Indis in cibum optari ſolitis. In caſu, viros primates concernente, Oues ſeu Pacos, tam lanigeræ, quàm depiles, ſacrificiis offerebant: vbi ad numerum earum, & colorem, & oblationis tempus admodum curioſè attendebant, & ceremoniis variis vtebantur. Æthiopes albi, Alquible vocati, pecora vel maiora vel mi-

nora ſacrificaturi, hos ritus ſeruabant. Pecudem, dextro bracchio impoſitam, ſoli obuertebant, & pro colore eius mactandæ, diſcreta verba obmurmurabant. Nam ſi colore vario eſſet, verba ad Chuquillam ſiue tonitru fundebantur, vt nulla aquarum ſeu pluuiarum inopia emergeret. Si verò candida & glabra exiſteret, aliis diſtinctis verbis ſoli offerebatur. Vt eo anno is ſerenus luceret, & rerũ omnium incrementum vegetaret. Si Guanaco ſiue Cæſia eſſet, ſacrificium id Viracochæ in honorem fiebat. Singulis diebus in Cuſco huiuſmodi cum ceremoniis ſoli ouis non admodum villoſa offerebatur, quæ cum rubea Camiſia cremabatur. Quibus ſic vnâ ardentibus corbes aliquot Caca pleni iniiciebantur, quod Villacaronca appellabant. Ad hæc ſacrificia peragenda tum populos tum pecudes peculiares ſecernebant, vni huic rei ſeruientes. Quin imò & volucres offerebant, qui tamen mos apud Peruanos non æquè ac Mexicanos, qui coturnices plerumque ſacrificabant, frequens erat. Porrò, Peruani in Puna, id eſt, in locis deſertis vaſtiſque ſacrificabant, quoties bellum meditabantur, vt Deorum ibi impetratis ſuppetiis adiuti, hoſtium vim cõmodius obterere poſſent. Et hæc ſacrificia Cuſcouicça ſiue Conteuicça, aut Huallauicça, vel Sopauicça nuncupabantur. Hæc his ritibus fiebant. Ex deſertis varij generis aues captantes, ſpinea & aſpera ligna plurima Ganlli vocata, comportabant. His accenſis vniuerſas aues imponebãt: quam coniunctionem Quico appellabant. Poſteà tum rotundos tum angulares lapides, depictis tum anguibus, tum leonibus ac bufonibus tigribuſque ornatos arripiẽtes, Vſachum, id eſt, victoriam nobis largire, & his ſimilia alia verba, edebant; quibus hoc vnum dicturi erant, Guacas noſtræ efficacia ac vis, hoſtibus noſtris nihil fortunati, ſed aduerſa omnia, imò ipſum interitum accieat. Finitis iſtis, oues nonnullas, in caueis aliquot diebus fame maceratas & exhauſtas, quas Vrcu nominabant, promebant. Has dum mactabant, hæc verba pronunciabant: Non ſecus ac horum animalium corda deficiunt & langueſcunt: ſic Dij noſtri hoſtium noſtrorũ robur & potentiam confringant & proterant. Quod ſi carnis adhuc aliquid harum ouium cordibus adhæreſcere viderẽt, quæ inedia & fame non abſumpta eſſet: pro augurio non fauſto ſed ominoſo habebant. Nigros quoque Canes, Apurucos occiſos nonnunquam offerebant, quos deinde in camporum plana abiiciebant. Tandem ab his demptas carnes peculiaris quidam populus cum ſingulari ritu vorabat. Aliquando etiam pro Inga ſacrificabant, vt veneno nullo conficeretur. Hoc facturi, à ſummo mane ad concubiam vſque noctem ieiunabant. Inde tum cibo tum potu ſe confertim ingurgitabant. Et hoc ſacrificium, quia contra Dei hoſtes fiebat, omnium ſacerrimũ erat. Etſi verò tũ hęc tum alia huiuſmodi, bellorum longis cõtinuationibus maxima ex parte abolita iam ſint: ſuperſtitionum tamen reliquiæ quædam vel dum in nonnullorum

Indo-

Indorum cordibus gliſcunt, ita, vt obortis fors, inter dominos, quos Caçiques vocant, aut ciuitates Pagoſque diſcordiis aut diſſidiis, algas, Mollo dictas, in riuis ſacrificent, dicantque, eos maris filios eſſe, mare verò vniuerſorum fluminum matrem exiſtere. Pro colorum varietate, algis varia nomina imponuntur. Qua cauſa etiam diuerſis vſibus adhibentur. Algæ vniuerſis ferè ſacrificiis inferuntur. Homines etiam reperiuntur, vel hodiè, qui tritam algam inani ſuperſtitione ducti cum ſua Chica (Potus genus eſt) perfundant commiſceántque. Fuerunt etiam Indi, qui in hoc conducebantur, vt profluentis, riuiſque & canalibus, ciuitates, pagos, & oppida ac Charcos ſiue agros permeantibus, ſacrificia facerent: quæ ſationis tempore præcipuè fiebant, ne flumina deficerent, aut terram rigare deſinerent. Pro ſacrificiis his obeundis Hariolí ſeu magi ſortes mittebant. Quo facto, à communione plebis omnia ea, quæ ſacrificio offerenda erant, colligebantur, & ei, qui laborem hunc præſtaturus erat, offerebantur. Horum ſacrificiorum tempus, initium hyemis erat, quo flumina aliàs ex ſe augeſcere & exundare ſueuerunt: quem tamẽ effectum cæcæ gentes ſuis oblationibus aſſignabant. Fluminibus & riuis deſertorum locorum nihil ſacrificij offerebant. Priſca verò illa, ſcatebris, riuis & fluminibus, oppida agroſque alluentibus ſacrificandi conſuetudo, vel dum hodie apud nonnullorum animos viget. Fontes tamen & flumina deſertorum non omnimodo aſpernantur: ſed ſi quo fors loco duo flumina ſibi aut occurrunt, aut inuicem permiſcentur, ibi ſingulari deuotione eadem venerantur, & hauſtis vndis ſe lauant, ad nonnullorum morborum ſanationem impetrandam. Ante lotionem tamen farina ex Maijs & rebus aliis ſe illinunt, & ritus peculiares edunt: quod ipſum quoque ſimiliter in balneis præſtant.

Cap. XIX.

Quibus ritibus Jndi homines ſacrificent.

EX rebus omnium nocentiſſimis & flagitioſiſſimis, ad quarum patrationem Sathanas, infelix Indorum genus illexit, crudeliſſima certè & immaniſſima fuit mactatio hominum, quos ad ſui ſimilitudinem rerum vniuerſarum conditor Deus initio creauit, vt eius maieſtate & præſtantia præ animalibus cæteris perfruerentur. Multis populis is mos fuit, vt, qui è ſeruis dominis ſuis operas omnium fidiſſimas præſtitiſſent, iiſque chariſſimi fuiſſent, cum defunctis heris occiderentur, quo ſimiles illis operas in ſeculo etiam altero præſtarent: velut ſuperius prolixius dictum eſt. Peruani autem cum fidis ſeruis ac miniſtris, proprios quoque liberos, à quatuor

tuor ad decem annos natos, ſacrificij loco mactatos offerebāt: quod Ingarum plerunque in gratiam fiebat, quoties aut peius haberent, aut in bellum ituri eſſent. Si Ingæ nouo nodo filamētoſo (id ſignum regiæ eſt poteſtatis, nō ſecus ac apud nos ſceptrum ac corona (offer-retur, liberorum ab annis 4. ad 10. vſq;, ducentos circiter vnà mactabant, quod ſpectaculum horrendiſſimū erat. Sacrificandi illi, primò fœdè iugulabantur, quorū deinde corpora truci aſpectu & ritu terra obruebantur. Solebāt aliis temporibus liberos decollare, & ipſorum cruore faciem propriam polluere. Nonnunquam & virgines ſacrificabant, ex iis, quas ex monaſteriis ad Ingam deduci ſolitas ſuperius recenſuimus. Quorum ſacrificiorum impoſtura nocentiſſima ſimul & crudeliſſima extabat. Quoties enim vel ex primoribus, vel inferioribus ac priuatis etiā viris quis ægrius habens, à mago ſuo intelligebat, fatum ſibi ineluctabile omninò impendere: tum ſuos illicò filios ac filias Viracochæ immolabat, ac precabatur, vt hac victima contentus, patrem cæſorum ſuperſtitem ſeruaret. Huiuſmodi immanitatis ſacra quoque ſcriptura meminit, dum ait, Regem Moab primogenitum filium ſuum ſuper muros in ipſo populi Iſraëlitici conſpectu immolaſſe; quo facto horrendo illi eò vſque incanduerint, vt deſerto ſacrilego loco ad terras ſuas reuerſi ſint. Quin & in ſacris legimus, ſacrificia huiuſmodi quoque apud nationes Barbaras, vt Cananæos, Iubuſitas & cæteras, ſolemnes fuiſſe, ſicut de his liber ſapientiæ expreſſe teſtatur, dum inquit: Et non ſuffecerat, erraſſe eos circa Dei ſcientiam, ſed & in magno viuentes inſcientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant. Aut enim filios ſuos ſacrificantes, aut obſcura ſacrificia facientes, aut inſaniæ plenas vigilias habentes, neque vitam, neque nuptias mundas nunc cuſtodiunt, ſed & alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contriſtat, & omnia commiſta ſunt, ſanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio & infidelitas, turbatio & periurium, tumultus bonorum, Dei immemoratio, animarum inquinatio, natiuitatis immutatio, nuptiarū inconſtantia, inordinatio, Mœchiæ & impudicitiæ. Infandorum enim idolorum cultura omnis mali cauſa eſt, & initium, & finis. Hæc tanta ſapiens de iſta gente. Sed & propheta Regius Dauid acerbè conqueritur, quod filij Iſraël à Barbaris iſtis hæc flagitia tam auidè hauſerint, vt filios ac filias proprias Dæmoni immolârint: cuiuſmodi tamen victimas Deus nec vnquam poſtulârit, nec probârit, vt qui vitæ non deſtructor ſed dator ſit, & in hominum vſus vniuerſa alia condiderit. Vnde Deo minimè res grata præſtatur, ſi in culturam eius homo hominem iugulat ac offert. Et licet Iehoua quidem exquiſitam illam Abrahæ obedientiam in vnico immolando filio Iſaac, apprimè collaudârit: vt tamen ipſum factum Abraham deſignaret, non permiſit. Ex quibus iam ſole clarius execranda Sathanæ præuaricatio elucet, qui Deum æmulaturus, ſe non ſaltem adorari patitur, verùm

Sap. 14. v. 22. & ſeqq.

etiam

etiam hominum immolationibus, & innocentis ſanguinis tot profuſionibus factis in ſinu ſuo gaudet,& his flagitiis diſſeminatis tum animas tum hominũ corpora in exitium æternum coniicit. Hæc illa rabies & irreconciliabilis inimicitia eſt : quam aduerſus vniuerſum genus humanum impoſtor peſſimus alit fouetque.

Cap. XX.

De horrendis hominum immolationibus, apud Mexicanos ſolennibus.

Etsi Mexicani quidem non æquè ac Peruenſes liberos ſuos immolare ſueuerint: (Nam de Mexicanis id à nullo Hiſtorico proditum ſcimus) nihilominus tamen propter cæſorum & mactatorum aliorum hominum infinitam multitudinem , inaudita & enormi ſęuitia ac crudelitate non Peruenſes ſolum , ſed omnes vniuerſi orbis populos ac gentes multis paraſangis(quod aiũt) anteuerterunt. Qui quidem populus,quantoperè aſtutia & tyrãnide ſtygij cacodæmonis excæcatus & infatuatus fuerit, ex iis ritibus pius lector abunde colliget, quos, prout ſeruarunt, iam ex ordine enarraturi ſumus. Primum autem homines , quos immolabant, in bellis captos eſſe oportebat. Quod ſi ſclaui captiui deeſſent , ſolenne ſuum ſacrificium ſuſpendebant. Quare veterum morem aut ſenſum ſecuti quidem videntur , qui (vt autores teſtantur) victimas à victis deducebant, vt & hoſtias, ab hoſte, quaſi ſacrificium oblatio hoſtis ſit. Nunc tamen id vocabulum in genere omnibus ſacrificiis accommodatur. Porrò, ne vllo vnquam tempore captiui deeſſent, perpetuis inuicem bellis digladiabantur. Hinc fiebat, vt omni ſtudio viui viuos captare laborarent , quo pro ſacrificiis hoſtiæ ſuppeterent. Hanc ex cæteris cauſam Moteçuma ad Marchionem de Dale prætendit: Qui cum rogaſſet, quì fieret, vt, cum tanta potẽtia auctus plurima ſibi regna ſubiugarit , ſoli prouinciæ Tlaſcâlæ edomandæ nõ incumberet, cũ eius tamẽ occupatio facilis videretur: reſponſum à Moteçuma accepit, eius rei cauſas geminas eſſe: vnam, quod iuuentus Mexicana perpetuis exercitiis & laboribus vireſceret , nec torpore & ignauia perderetur : Alteram , quod captiuorum ac ſclauorum , quantis ad ſacrificia opus eſſet , ſatis inde acciperet. Sacrificiorum hæc norma erat. Mactandi in ſupremam aream capitum mortuorum (de his ſuperius nonnihil percenſuimus) ducebantur: vbi ſua ſerie diſpoſiti , firma cuſtodia diligenter ſeruabantur. Paulò poſt ſacerdos quidam prodibat, amiculo cinctus , cuius extremitas continuis floccis innexa erat. Is ab editiore tẽpli loco deſcendẽs, Imaginem ſeu idolum , ex farina Maijs cum melle ſubacta formatũ manib. gerebat. Idoli oculi ex viridi corallio : dentes verò ex granis Maijs

conſtabant. Qua ſumma verò feſtinatione ſacerdos poterat, per gradus decurrebat. Ibi in media area grandem lapidem, theatri ſpecie poſitum aſcẽdebat, qui Quauxicalli, id eſt, lapis aquilaris vocabatur. Ex hoc theatro, ſcalas aliquot ibi vicinas ſcãſim aſcẽdebat: è quib. tamen breui iterum deſultans, alias in latere poſitas exuperabat, firmis manibus ſuum idolum continuò geſtans. Poſteà ad locum illum itabat, quo captiui conſederant. Horum ſingulis à ſummo ad imum idolum apporrigebat, dicẽs: Ecce, hic Deus tuus. Re peracta, in altero latere per gradus quoſdam ſe proripiebat. Iam ergò omnes & ſinguli, qui pro victimis aderant, ad locum ſupplicio deſtinatum ſe conferebant, & morti præparabant: qui ex ordine quoque ſingulatim neci dabantur. Immolationis autem forma cõmuniſſima illa erat, quod mactandorum pectoribus diruptis, cor viuum extraherent. Ipſum cadauer, cruore vndiquaq; madidũ è gradibus templi deturbabatur. Sacrificium verò ſex ſacerdotes peragebant. Horum binis, mactandi manus, duob. aliis pedes, & quinto collum firmantibus, ſextus pectus ſciſſim dirumpebat, & cruẽtis manibus palpitans cor euellebat. Hoc munus qui obibat, Chachalmua, id eſt, rerum conſecratarum miniſter vocabatur: quod officium omnium digniſſimũ, ſola hæreditatis ſucceſſione in alios transferebatur, quo modo his in locis feudis poſteri ſuccedũt. Homicidij iſte deſignator pro ſummo ſacerdote ac Papa habebatur: cui pro tẽporis & ſolennitatis cõditione diuerſa nomina indebantur. Pro diuerſitate temporis iidem, vt nomen, ſic veſtes quoq; permutabant. Ab officio, Papæ vel Topilzni nuncupabantur. Veſtis illius rubea, fimbriæ vice in extremitate villis appẽdebatur. Capite coronam ex pulcherrimis ac flaueſcentibus pẽnis textam gerebat. Ex auribus annuli aurei, gemmis ornati dependebant. Labiis verſus mentum gemmæ quippiã ſimile inſertũ erat. Sacrifici ſex, qui hoſtiam mactabant, facies manuſq; atras & informes oſtendebant, quorũ quinq; capillos floccis intorſerant, admodũ criſpis & intricatis. Medio capite tænia coriacea reuincti ſpectabãtur. In ſyncipite ſcuta exilia papyracea, variis coloribus depicta ſuffixa gerebãt. Veſtes ex filo candido atroque contextæ variabantur. Hoc habitu ipſi cacodæmoni quadamtenus ſimiles, fœdis vultibus, omnibus aſtantibus terrorem certiſſimum incutiebant. Sũmus ſacerdos, magnum, latum & acutiſſimum cultrum manibus librabat. Alius monile ligneum, ſerpentis forma exciſum geſtabat. Sex hi ſacerdotes, Idolum ſuum prætergrediẽtes, ſubmiſſa veneratione ingeniculabantur. Lapis, in quem ſontes illidebantur, pyramidis formam habebat, & in oppoſito ſacelli Idoli iacebat. Huic tanta acuties erat, vt in illum illiſus facili opera totus diffinderetur. His omnibus ſacerdotibus ex ordine ſtantibus, hi qui in bello capti pro victimis ſeruabantur, magna populi frequentia adducebantur ad eum locum, qui ſupplicio deſtinatus erat. Ducebantur verò nudi. Horum qui primus aſtabat

ſtabat, hinc pedibus, illinc manibus correptus, in acutum lapidem nudus illidebatur. Quo facto, dicto ocyus quintus annulū ligneum collo innectebat. Summus verò ſacerdos mira agilitate cultro pectus diſcindebat, ex quo palpitans euulſum cor, ita, vt fumabat, ſoli veluti oſtendens obuertebat. A quo iterum conuerſus ad Idolum, viſcus in eius faciem cruentum excutiebat. Ab eo cadauer per gradus ſubiectos deuoluebat, qui ſaxo tam propinqui erant, vt vix binorum pedum interuallum intercederet. Hoc ritu conſequenter & alij mactabantur. Porrò in vnum cumulum congeſtis cadaueribus, domini accedentes, quem quiſque in bello cæperat, auferebant, & ex carnibus coctis lautas epulas domi, & ſplendida conuiuia agitabāt. Hoc modo qui vna vice immolarentur, plerunque 40. aut 50. numerabantur. Nam ad hoſtes viuos capiendos, Mexicani admodum agiles & expediti fuerant. Qui Mexicanis finitimi erant, hi magna ex parte tum eorum mores, tum leges & ſtatuta, tum cultus alios ęmulabantur.

Cap. XXI.

De alio quodam ritu, à Mexicanis in hominum immolatione obſeruato.

INDORVM peculiaris alia quoque ratio diebus feſtis ſacrificandi fuerat, quam Racaxipe Veliztli, id eſt, hominum excoriationem vocabant, ideò, quod vni vel pluribus ſclauis, quos ad id ſelegerant, corium detraherent. Hæc detractio à peculiariter ordinatis & deputatis fiebat. Si quis hoc munus obiiſſet, tum oſtiatim per omnes plateas & fora ciuitatis circuibat, ſaltando & cantillando neſcio quid animi exprimens. Quos prehēdebat, ſi quid erogare ſtipis cogebantur. Tergiuerſantibus pellem cruentam in facies illidebat, vt cruore diffluerent. Hoc ludicrum, quamdiu pellis integra eſſet, durabat. Quo tempore ita paſſim diſcurreret, ſtipis quamplurimum colligebat, quæ idoli cultibus impendebatur. Huius feſti ea ratio erat, vt ſacrificus cum hoſtia ſua ſeu homine mactādo aperta lucta prius decerneret, hoc modo. Sclauo de ſaxo religato, in manus gladium cum ſcuto indebant. Qui, ſi antagoniſtam ſacrificum, æquè armatum proſtrauiſſet, non ſaltem à victimæ ſorte liber euadebat, ſed Ducis inſuper & bellatoris titulum ſortiebatur, quo nomine etiam deinde apud vniuerſos magni fiebat. Quod ſi verò in pugna ſuccumberet, nulla mora ſuper lapide iſto, ex quo reuinctus erat, cædebatur & mactabatur.

Porrò aliud quoq; ſacrificij genus colebant: ad quod ſclauum quēdam ſeligebāt, qui Idolū ipſum repræſentaret, & illud in omnib. vinus exprimeret, hoc pacto. Sacerdotib. ſuis quotannis ſclauū vnū

tradebant incolæ, vt viua idoli imago nunquam deficeret. Prouinciam ergò hãc initurus ſclauus, probè primũ lauabatur, & mundabatur. Ita veluti initiato habitum & inſignia Idoli, & ipſum illius nomen quoque conferebant, & integri anni decurſu ſclauum non minus, ac Idolũ ipſum deſtinatis cultibus venerabantur. Duodecim miniſtris velut aſſeclis aſſiduò, ne quo aufugeret, ſtipabatur. Si fors aufugiſſet, cuſtodum primarius in eius locum ſufficiebatur, qui Idolum referret, & immolaretur. Sclauo huiuſmodi conclaue templi omnium ornatiſſimum & ſpectatiſſimũ locabatur, in quo ageret, & cibum caperet. Et huc ad eum ſubinde ciuitatis primates ingrediebantur, honoris cauſa cibum ei miniſtrãtes, & alia officia honoraria deferentes. Animi cauſa fors aliquò per ciuitatem prodeãbulaturum primatum magnus ponè numerus inſequebatur. Is quam manibus gerebat, fiſtula nonnunquã cantillabat in plateis, vt ſui præſentis populis aliquod ſignum daret. Ad perceptum ſonitum ex ædibus certatim effluebant tum viri, tum fœminæ, vlnis infantes geſtantes, quos ante pedes eius deponebant, & diuina veneratione per gentẽ proſequebãtur. Idem & populus reliquus præſtabat. Nocte in admodum firmam caueam ferream illũ includebant, ne fuga ſecurus eluderet. Et hoc vſque ad feſtæ diei appulſum ſedulo ita cõtinuabant: qua pro victima tandem ſiſtebatur. Hoc & ſimilibus dolis ſathanas fatuas gẽtes ludos fecerat. Eorum, qui huiuſmodi inſania ab Indis mactari ſolebant, numerus tantus erat, vt tutò pronunciari vix poſſit. Nam pro compertiſſimo narratur, aliquoties vltra 5000. homines mactatos & immolatos fuiſſe. Ad quam infandam crudelitatem confidentius patrãdam, Cacodæmon ſuperſtitioſos homines hac ferè aſtutia ineſcabat. Si commodum videbatur, Sathanas ſacerdotibus perſuadebat, vt Regulis ſignificarẽt, parum abeſſe, quin dij iam fame & inedia conficerentur & taberent. Facerent ergò, quòd ad rem conferret. His fatui Reges incitati, bellum confeſtim decernebant, & ſubditis ſuis, vt indicto tempore armati confluerent, mandabant. Deos enim ſuos iam victimas & alimenta poſcere. Sed & per feciales miſſos hoſtibus ſuis bellum denunciabant, & denunciationi cauſam addebant. Vbi ergò præſentibus armis vtrinq; cõcurſum eſt, pugna commiſſa nihil aliud moliebãtur, quam vt alter alterum viuum prehenderet. Nec tam ſe inuicem cædere & proſternere, quam capere & ligare ſtudebant: vt nimirum viuas pro diis victimas trophæis adducerent. Hoc loco & id ſciendum eſt, Indos nullum quẽquam regem creaſſe & coronaſſe, quin is prius aliquod prouinciarũ victor factus fuiſſet, & captiuorum plurimos ante ſe ad Deorum ſacrificia egiſſet.

Eo pacto in honorem ſacrilegi & teterrimi Sathanæ, ſanguinis humani inæſtimabilem copiam aſſiduò profundebant.

Cap.

Cap. XXII.

Indos crudelitatis & immanitatis ſuæ tandem ſaturos, morem & conſuetudinem impiam quadantenus mitigaſſe & abrogaſſe.

SÆVITIA ergò iſthæc, & fundendi ſanguinis humani nimia facilitas, nonnullis Indorum tandem, nauſeam & abominationem tantam conciuit, vt rem totam immanem & inhumanam eſſe, vltrò aſſererent. Quibus tamen Idolorum ſacerdotes tot minis illicò & ominationibus obuiabant, vt fœdam conſuetudinem non omnino quidem abrogare & è medio tollere auderent: at tamen ex hoc immani iugo tandem liberari vnicè deſiderarent. Singulari itaque Dei prouidentia ſic conſtitutum erat, vt, quo tempore Euangelium Ieſu Chriſti ipſis annunciari cæpit, iam fœdæ iſtius ſuperſtitionis quandam nauſeam haberent. Concionibus enim aliquot vel ruditer ſaltem informati dicebant, & doctrinam hanc ſimul optimam, & Deum ipſum placidiſſimum eſſe oportere, qui cultu tam ſimplice puroque adorari velit. Nouæ Hiſpaniæ ſacerdos quidam recenſuit nobis, quod, quo tempore primum in Indiam appuliſſet, ſenem quendam Indum rogârit, quî factum ſit, vt Indi prædicatum de Chriſto verbũ tam promptè acceptarint, ſuæq; veteri opinioni valedixerint, cum tamen nouam & peregrinam doctrinam nondum exactè probaſſent, aut vllis diſputationum momentis compulſi, ſuam erroneam deprehendiſſent. Nam ex illis perſpicuum eſſe, quod legem patriam nullis euidentibus cauſis moti, inconſideranter excuſſiſſent. Ad hæc autem reſpondiſſe Indum taliter: Optime pater, obſecro, ne tibi perſuaſum ſit, nos de Chriſto oblatam doctrinam incogitanter & temerario impulſu (vt malè inſimulamur) acceptaſſe. Per viuum enim Deum teſtor, iuroque, nobis leges, ſtatuta ac mandata, ab Idolis recens quotidiè iniuncta, tanto odio iam dudum ac faſtidio fuiſſe, vt conſilium aliquoties obſtinatum pleriſq; fuerit, legem patriam vltrò citroque eliminandi, & nouam æquiorem ſanctioremque adoptandi. Cum ergò veſtræ legis doctrina nobis admodum veritati conſentanea, adque vitam feliciorem & humaniorem accommodatiſſima videretur, neque tantam innocentis ſanguinis profuſionem poſceret, ſed in omnibus innocens, pura & ſancta eſſet: eam certè cum ingenti deſiderio ac gaudio non acceptare non potuimus. Quæ pia pii Indi reſponſio approbè cum illis quadrat, quæ Hernandus Cortês ad Cæſarem Carolum V. litteris nunciauit: quod nimirum, cum ciuitatem Mexico vi occupaſſet, & iam apud Cuyoacan moraretur, ex ciuitate Mechoacan Legati ad ipſum venerint, & prouinciarum nomine petierint, vt

ad illos tum Leges & fidei ſuæ articulos, tum etiam viros, illis clarius & dilucidius explanandis idoneos, mittere dignaretur. Statuiſſe enim ſe, abominabilibus patriæ legibus deſertis & protritis, Chriſtianorum doctrinæ deinceps aſtipulari, vt quæ tum ipſi Naturæ, tum ſummi Dei voluntati apprimè conſentanea videretur. Quibus lubens gratificatus Cortês, fecit, vt vel dum hodiè multa Chriſtianorum in noua Hiſpania agmina ſint. Hiſpani, cum immanes iſtas innocentium hominum mactationes & dilacerationes vidiſſent, magno zelo præſumebant illicò, ad laniones & Anthropophagos iſtos, radicitus extirpandos & excindendos, omnes vires & copias ſuas impendere. Ad quod primo quouis tempore confectum dandum, hac præcipuè cauſa inflammabantur. Cum aliquando aperto prælio cum Mexicanis cõflixiſſent, & in pugna illa 60. circiter aut 70. Hiſpani capti fuiſſent: hos vniuerſos Mexicani ſub Hiſpanorum ipſorum aſpectum crudeli laniena immolauerunt. Alio quoque tempore, in Tezcuco, ad hoſpitii publici parietes carbone hæc verba deſcripta inuenerunt: Hoc loco in vinculis fuit, infelix N, cum ſuis ſociis, quos Tezcucani mactatos immolauerunt. Hiſtoria porrò & alia admodum memorabilis narratur, plurimorum fide dignorum teſtimonio confirmata, quam recenſebimus: Hiſpanos nimirum aliquot iſtiuſmodi ſacrificio ſpectatores aliquando aſtitiſſe: & inter cæteros vegetum quendam & robuſtum adoleſcentem pro victima quoque adductum fuiſſe. Huic per medium pectus diſſecto, pro more cor euulſum, & corpus de theatro deturbatum fuiſſe. Cum verò eo caſu ad aſtãtes Hiſpanos forte fortuna aduolutus eſſet, hæc eum clara voce verba edidiſſe: Caualleros Muerto Mehan, id eſt, ô equites, iſti me iugularunt. Quæ verba Hiſpanos admodum permouêre. Etſi verò, adoleſcentem iſtum vel dum corde exempto locutum eſſe, præter rei veritatem alicui videri poſſit: nihilominus tamen & ipſe Galenus teſtis eſt, accidiſſe aliquoties, vt victimarum quædam, corde iam extracto & in aras ſepoſito, ſeſe non mouerint ſolum & ſpiritum traxerint, verùm etiam altè clamarint, & longo interuallo aliquouſque procurrerint. Sed hæc, quomodo cum ipſa rei natura conueniant, diſputatione exactiore non expendemus hoc loco, ſed ad propoſitum noſtrum, quod ſeruitutem Barbarorum intolerabilem, ad quam à Stygio Sathana præcipitati fuerint, explicabit, reuertemur. Ex qua conſideratione ſimul maxima & inæſtimabilis Dei miſericordia, quam patefacta manſueta ſua lege, miſeris & errorneis iſtis gentibus cumulatiſſimè contulit, clariſſimè elucebit.

Memorabile.

Gal. libr. 2. de plac. Hippocr. atq. Plat. c. 4.

Cap.

Cap. XXIII.

Sathanam vel ipſa S. Eccleſiæ Dei Sacramenta æmulari auſum fuiſſe.

SATHANÆ ſcelerata arrogantia, vt iam aliquoties diximus, & meta & modo caruit. Nam nō ſuperſtitionibus ſolum & ſacrificiis, verumetiam ceremoniis Sacramētalibus, quas Saluator Chriſtus in fidelium ſolatium & refectionem ſtatuit, diuinam ſibi autoritatem conciliare auſus eſt. Comprimis autem ſacram Euchariſtiam, quem theſaurū pretioſiſſimum ſeruamus, diſtinctis aliquot modis æmulari cæpit, vt nulla re inauſa & intentata, dubias hominum mentes perditioni æternæ intricaret: quod hoc ferè modo prçſtitit. Peruanis mos eſt, vt primo anni menſe, quem Rayme vocant, appellente (is cum Decembri noſtro conuenit) feſtum Capacreyme agitent, quo ſacrificijs ſuis ordinariis multiplices ritus ac ceremonias aliquammultis diebus exhibent. Et hoc tempore nulli peregrino in aula Cuſcana morari licebat. Finito feſto, aduenis rurſus acceſſus dabatur, vt ſacrificiis & ipſi intereſſent, quib. deinde Sacramenta hoc modo conferebant. Mamaconas Solis, quas ſuperius moniales diximus, ex farina Maijs, cum ſanguine alborum arietum eodem die mactatorum maſſam pinſebant & ſubigebant, ex qua poſteà placentulas, eodem die hoſtiæ vice offerri ſolitas, concinnabant. Hoc facto, ex diuerſis prouinciis infiniti homines confluebāt, quos in conſtituto loco ſacerdotes ex ordine conſidere faciebant. Hi verò ſacerdotes poſteri ex generatione Iluqui Yupangi erant. Conſidenti vnicuilibet de placentis dictis miniſtrantes, dicenteſque ideò de fragmentis iſtis ſe diſtribuere, vt participantes, illorū medio Ingæ, Peruanorum Regi vnirentur, & fœdere cū eo perpetuo coaleſcerent. Quin & adhortabantur communicantes, ne quam ſiniſtram & diſconuenientem Ingæ mentionem vllibi facerent, ſed in rebus ipſi promiſcuè omnibus toto pectore fauerent, viuoque eundem amore iugiter proſequerentur: cuius debiti hanc porrectam micam teſtem iam acciperent. Quæ periurium & violatam fidem quocunque tempore haud cunctanter proditura ſit. Placentæ vero iſtæ magnis ex auro argentoque lancibus præferebantur, quas huic vni vſui paratas habebant. Peregrini verò, vbi fragmentum de placenta acceperunt, Soli de iſtis beneficiis gratias deuotas fundebant, & tum verbis tum vultibus ingentis gaudij ſignum edebant, deierantes, quòd omni vitæ ſuæ tempore nec contra Solem nec Ingam quicquam vel verbis vel opere, iniquè machinaturi ſint, ſed quod vtriſque in omnibus fidelem operam & obedientiam perpetuo præſtare velint. Cuius in rei teſtimonium indubitatum, micam oblatam quoque in corpus

ſuum

ſuum iam ingerant. Diabolicas has ceremonias æqua ratione menſe quoque decimo repetebant, quem Coyaraime vocabant, in Septembrem noſtrum incidentem. Et hoc eorum feſtum quoque præcipuorum vnum, patria lingua Citua vocabatur. Nec verò ſolum viritim hoc Sacramentum diſtribuebant, ſed placentas iſtas etiam ad omnes Guacas & finitima Idola per omne regnum tranſmittebant. Plurimi eas etiam vltrò acceptum longis viis accedebant: qui domum ad ſuos reuerſi prætendebant, hoc à Sole Sacramentum ſibi traditum eſſe in ſignum & vinculum, vt illum perpetuo honore & cultu venerarentur. Caçique placentas huiuſmodi multas dono accipiebant. Et hic mos ſuperſtitione pleniſſimus vſque ad tempora Ingæ Yupanguy durauerat, qui bono fine pleraſque leges rituſque ac ceremonias abrogans, Numæ Romano quadamtenus ſe ſimilem præbuit. Poſtea tamen ſancta Euangelij vox ſuperſtitiones has omnes in vniuerſum ſuſtulit, & verum viuificumque cibum, qui tum animas tum corpora hominum reficeret, illarum loco ſubſtituit. De his qui plura ſciturit, is, quæ Licentiatus Polus ad Archiepiſcopum ciuitatis de los Reyes Don Ieronymo de Loayſa cōmentatus eſt, euoluat: vbi rerum mirarum & variarum plenum Catalogum, magna diligentia à dicto ſcriptore congeſtum, reperiet.

Cap. XXIV.

Quibus modis Diabolus feſtum corporis Chriſti, quo Sacramenti diſtributio fit, æmulari conatus ſit.

LVRIDVS Dei ac hominum hoſtis Sathanas, princeps omnis faſtus, apud Mexicanos etiam feſtum corporis Chriſti hoc modo imitatus eſt. Feſtum Mexicani omnium maximè ſolenne menſe Maio in honorem Vitzliputzli celebrabant. Biduò antè, virgines illæ, quas monialium ritu in monaſteriis ali ſolitas ſuperius diximus, conueniebant, & magnum numerum Bledos (ſeminis genus eſt) cum toſto Maijs permixti molebant. Farinam hanc cum melle ſubigebant, ex qua deinde maſſa magnum Idolum, ligneo ſimile effingebant: cuius oculos corallio cyaneo & candido, dentes verò granis Maijs inſertis exprimebant, & ipſum inſuper Idolum linteis & velis pulchris exornabant. Hoc facto, & abſoluto, primates confertim accedentes, veſtem pretioſam & pulcherrimam, forma conueniente concinnatam, idolo inijciebant. Hoc idem poſteà in ſellam, cyaneo colore inductam, ac lecticæ impoſitam, vt baiulari poſſet, collocabant. Porrò ipſo feſti die, prius quàm aurora promicaret, dictæ virgines candidis veſtibus & aliis mundis amicitæ, conueniebant. Quo die, ſorores Dei Vitzliputzli illæ vocari incipiebant.

bant. Eædem ſerta ex toſto aut macerato Maijs capitibus, ac ex eadem materia craſſas corollas collis gerebant, ad læuum vſque bracchium propendentes. Malæ & vultus earum pigmentis fucati, bracchia verò à cubito vſque ad manum pulcherrimis ex pſittacis plumis ornata erant. Hoc habitu ſtantes, lecticam Idoli ſuis humeris imponebant, quam ad locum, quo iuuenes ac adoleſcentes, reticularibus veſtibus induti, & ſimilibus cum puellis ſertis coronati congregatique morabantur, proferebant. Adoleſcentes, viſo idolo venerabundi, accurrebāt cominus, & ſuis humeris lecticam ſuſcipientes, idolum ad gradus templi infimos vſque deportabant, quo loco vniuerſus populus expectabat, ad conſpectum idoli flexo poplite ſeſe demittens, & puluere ex pauimento lecto capita ſua conſpergens. Hoc facto, plebs omnis in vnam proceſſionem ſe conferebat, qua maxima fieri poſſet feſtinatione in montem quendam Chapultepec, à ciuitate Mexico vnius leucæ ſpatio diſtantem procurrens. Ibi conciuncula habita, ſacrificia fiebant. Hinc iterum ſeſe magna celeritate efferentes, in vicinum alium locum Atlacuiauaya vocatum feſtinabant, vbi ſecundam concionem agebant. Sed nec hîc diutius perſiſtentes, contentim ad oppidum quoddam, milliaris vnius interuallo inde diſtans, Cuyoacan vocatum, accelerabant: vnde in Mexico, nulla quiete media vtentes, tandem reuertebantur. Hoc iter, quod ad minimum milliarium quatuor erat, tribus aut ad ſummum quatuor horis confectum dabant, quam proceſſionem Ypayna Vitzliputzli, id eſt, acceleratum iter Vitzliputzli vocare ſolebant. In templi ergò gradus infimos reuerſi, ſellam deponentes, fortibus funibus eam circumligabant, & nonnullis attrahentibus, cæteris verò protrudentibus & impellentibus in templi editiora ipſam prouehebant: quò propter graduum anguſtiam humeris impoſita baiulari non poterat. Interim dum hæc peragerentur, populus omnis, cum ſingulari ſubmiſſione metúque ſpectator aſtabat. Sella hæc in ſuperiora promota, porrò in ſacellum quoddam, huic rei extructum, & roſis exornatiſſimum, condebatur. A quo deinde iuuenes confertim irruentes, fragrantiſſimis floribus loca templi vniuerſa quoquo verſum conſpergebant. Hos deinde excipiebant virgines, prædicto habitu inſignes, ex cubilibus ſuis ſpiras de toſto Maijs & herba Bledos factas efferentes. Has oſſium grandiorum forma piſtas, adoleſcentibus tradebant, qui eas tanta ſtrue ante idolum congerebant, vt locus capiendis non ſuppeteret. Eas ſpiras, oſſa ac carnes Vitzliputzli nuncupabant. His oſſibus ita ſtratis, Seniores, Sacerdoteſque ac Leuitæ & cæteri miniſtri continua ſerie, pro cuiuſque ætate & conditione accedebant, quorum quilibet flammeum diuerſis iiſque pulcherrimis coloribus intertextum, prout cuiuſque officium poſcebat, geſtabat. Quin & horum capita ſertis, & colla corollis ex floribus concinnatis

conſpicua erant. Hos ponè dij Deæque, quos varia forma ac habitu venerabantur, inſequebantur. Hi, cum ante dictas ſpiras & idolum ex ordine reuerenter conſediſſent, multis ceremoniis peractis, eas cantu & ſonis harmonicis quaſi conſecrabant, vt non minus quàm ipſum idolum, veneratione digna colerentur. His peractis, ij qui immolandis hominibus deſtinati erant, progrediebantur, & ſuum munus (vt antè percenſuimus) exequebantur. Semper verò hiſce diebus feſtis, plures, quàm alio tempore, homines mactabantur. Sacrificio finito, omnes tum adoleſcentes tum virgines è templo procedebant, binis vno ordine ſemper iunctis. Continua verò ſerie ſe ita locabāt, vt virginibus adoleſcentes ſemper ex aduerſo ſtarent, qui ſaltando & tripudiando motus corporis ad tympanorum ſonitum decoros in honorem Idoli moderabantur. Modulamini illi omnes primores, ſenioreſque populi certatim reſpondebant, choreas & ipſi in orbem agitantes, ita, vt in medio interius cum virginibus adoleſcentes aſſiduo relinquerentur. Ad hunc ludum ſpectandi animo omnis ciuitas gregatim confluebat. Feſtum verò hoc Idoli Vitzliputzli magna deuotione per omnem prouinciam concelebrandum erat: quo die nemo aliud quicquam præter maſſam illam, ex qua idolum effictum fuerat, guſtare audebat. Quin & is cibus ſub auroræ ſaltem exortum ingerendus erat, nec ante meridiem potus quicquam guſtare licebat. Secus qui faceret, ſacrilegus cenſebatur, & ominoſa, neſcio quæ, ex eo facto prænunciabantur. Ceremoniis exactis, iam cuique quod erat, eſſe licebat. Intereà verò temporis, quo hæc agitabantur, filios omnes domi ab aquæ potu arcebant, ne ea guſtata numinis iram incurrerent, & eius manu fors occiderentur. Tandem verò tum ſacrificiis tum ſaltationibus vniuerſis finitis, ornatum ſuum non ſacerdotes ſolùm deponebant, ſed archipresbyteri etiam, idolum habitu ſueto exutum, confringebant, & cum ſpiris conſecratis in fruſta plurima redigebant, quæ poſteà diſtribuentes, primùm primoribus, ab his deinde vniuerſo populo, maioribus, minoribus, viris ſimul ac fœminis offerebant, non ſecus, ac apud nos in cœnæ Dominicæ adminiſtratione diſtributio fieri ſolet. Fruſtilla hæc oblata communicantes cum tanta deuotione ac trepidatione, accipiebant, vt etiam quaſi intimè pœnitentes nonnunquam lachrymas profunderent. Nec quicquam, perſuaſum habebant aliud, quam quod veram carnem & ipſiſſima ſui idoli oſſa manducarent: quibus, vt veſcerentur, ſe nimis quam indignos profitebantur. Ægris per alios ordinarios partes mittebantur, quas ſacerdotes ſingulari religione impertiebant. Synaxi hac finita, quidam è Senioribus ſurgens, ad populum concionabatur, & clara elataque voce de Legibus & ceremoniis ſuetis verba faciebat. Hæc omnia, quis, obſecro, non admiretur, tanta ſolertia & diligentia à Phlegethontæo Plutone ad cultum ſibi ſtruendum, vniformi cum Chriſtianis ritu inuecta &in-

& introducta eſſe. Quæ certè vniuerſa liquidiſſimè demonſtrant, nihil vſpiam Sathanam vnquam molitum eſſe aliud, quam vt vni Deo debitum cultum ac honorem præripiens, miſeros homines in æternum exitium præcipites daret: vt qui ex naturæ ſuæ proprietate totus homicida, ſpurcus, & omnium mendaciorum impudentiſſimus aſſertor ac patronus ſit.

Cap. XXV.

De confeßionibus & confeſſariis Indorum.

IDem ſacrilegus mendaciorum pater, in confeſſionis etiam ritu inſtituendo, Romanam Eccleſiam ferè in omnibus apprimè æmulatus eſt. Peruanis ſiquidem perſuaſit, quod omnium, quibus torquerentur, ærumnarum ac morborum origo à ſolo peccato ſit. Hinc factum, vt pro ijs expiandis ſacrificia plurima conderent & ordinarent. Nec id ſatis quidem: verum etiam ore ipſo peccata ſua contrito pectore confitebantur, qui mos per vniuerſas prouincias eas latiſſimè inundauerat. Hunc in finem certi confeſſionarii creabantur, dignitatum gradibus diſtincti. Peculiaria quædam & definita peccata ſacerdotibus primariis reſeruabantur. Confeſſoribus verò nonnunquam pœnæ graues irrogabantur, ijs comprimis, qui pauperculi quod ſacerdoti penderent, non habebant. Sed & mulieres nonnullibi confeſſionibus audiendis præficiebantur. In prouincia Collaſuyo vel dum hodiè mos eſt, vt pro peccato grauiſſimo habeatur, ſi quis vel leuiſſimum quoddam crimen admiſſum ſacerdotibus (hos Ychuri ſiue Ychuiri appellant) non reuelet. Hi & ſortibus, & quorundam animalium inſpectis extis de populi peccatis diuinabant. Diſſimulatores ſuſpectos, lapidibus aut ſaxis dorſo incuſſis, tam diu verberabant, dum plenam omnium patratorum enumerationem elicerent. Eo facto, pœnitentiæ agendæ ſingulis definitus modus decernebatur. Pro his etiam, diis ſacrificia peculiaria offerebantur. Huiuſmodi confeſſiones iterabant, quoties vel liberi, vel parentes, vel Caçique aut morbo aut alio aduerſo quodam caſu tentarentur. Quod ſi fieret aliquando, vt Inga langueſceret, aut morbo inuaderetur, tum omnes prouinciæ, Collas ſimul confiteri cogebantur. Confeſſione manifeſtata peccata ſacerdos minimè reuelare audebat, niſi fors in caſibus definitis. Quæ enumerari ab ipſis confeſſoribus peccata frequentius ſolebant, hæc erant. Homicidia, extra bellum patrata, furta, adulteria, veneficia, & faſcinationes, Idolorum contemptus, feſtorum profanationes, malæ de Ingis ominationes, & contra hos rebelliones factæ. De internis animi vel cogitationis peccatis nihil angebantur, vſque dum Chriſtiani de his quoque velut nocentibus eoſdem inſtituiſſent.

Ipſe Inga, non ſacerdotibus, ſed Soli tantum, confitebatur, qui peccata ipſius ad Viracocham deferret, & illorum condonationem ab eodem impetraret. Hoc modo confeſſus Inga, corpus abluebat, firmiter ſua ita abſterſum iri peccata perſuaſum habens. Id hoc modo fiebat. In fluentum proximum ingreſſus, hæc verba edebat: Soli mea peccata confeſſus ſum: Ea fluuius hic excipiens, in vaſtum mare abripiat, vt in æternum non appareant. Simili modo & cæteri confeſſi abluebantur, qui mos etiam Mahumetanis ſolennis dicitur, quem Guadoi appellant: Indi verò Opacuna vocant. Si cui ex filiis quidam fato abriperetur, hunc peccatorem maximum arbitrabantur, dicentes, propter illius peccata grauia euenire, vt filius loco parentis moreretur. Eo, quo paulò antè diximus modo lotus, à gibboſo aut alias à natura mutilo diſtortoque homine, legis iuſſu, vrticis cædebatur. Si quis æger, forte magorum & ariolorum, ſibi omnino eſſe moriendum didiciſſet: nulla mora filium licet vnigenitum, obtruncabat, pro ſe mactato filio Deos placatum iri ſperans.

Horum rituum, etſi Chriſtiani partem ſuo aduentu magnam abrogaſſent: nihilominus tamen Indi apud ſe peculiaria quædam confitendi genera furtim diu aluerunt, ex quibus erant, ieiunia, ablutiones, auri argentique erogationes, montanorum viſitationes, & plagarum dorſo excipiendarum toleratus. Superſtitioſorum huiuſmodi ſacerdotum, qui ægros viſitare ſolebant, in prouincia Chicuito multi adhuc ſupereſſe dicuntur. Maxima tamen Indorum pars ad confeſſionis Papiſticæ normam paulatim iam aſſuefit, quam deuotione religioſa amplectuntur. Quinimò ſingulari quadam Dei prouidentia ita fuiſſe conſtitutum videtur, vt confeſſionum vſus ante aduentum Chriſtianorum iam dum apud eos vigeret: quo ad hunc recipiendum adduci poſſent commodius. Sed hic ſingulare quiddam nobis memorandum eſt, quod apud Iapanos vſitatum fuiſſe, fide digniſſimorum hominum literis confirmatur. In Ocaca, rupium quarundam tantæ eminentiæ ſunt, vt nonnullæ 200. orgyarum altitudinem habeant. Ex harum vna, longè quaſi exertum faſtigium quoddam tranſuerſim prominet aut propendet, ipſo aſpectu tam altum, vt Xamabuxis (religioſi peregrinatores ſunt) horrorem & tremorem vel è longinquo incutiat. Ex hac propendentia trabs ſeu tignum ferreum mira arte ita firmatum exeritur, vt orgyarum quatuor menſurâ procedat. Huius in extremitate quiddam libræ aut ſtateræ ſimile annexum viſitur: cuius bilances ita amplæ ſunt, vt virum immiſſum capiant. Goquis autem (Diaboli ſunt, humana ſpecie velati) cum peregrinatorem quemlibet ſeorſim in harum lancium vnam impoſuit, rotula volubuli trabem cum lancibus forâs promittit ac educit. Xamabuxis ergò, iam intra cælum terrámque ſuſpenſus, propter grauitatem cum ſua lance ita ſubſidit,

dit,

dit, vt altera vacua ſurſum vſque ad trabem ſubſiliat. Ita conſtitutum Goquis in rupe ſtans inclamat, & vt crimina ſua, tam verbis & cogitationibus, quam ipſo opere commiſſa confitendo enumeret, adhortatur. Quæ Xamabuxis voce tam clara recenſere cogitur, vt ab aſtantibus omnibus diſtinctè exaudiri queat: quorum nonnulli ad audita ea rident, alij plorant gemuntque. Ad vnius cuiuſlibet peccati confeſſionem lanx vacua nutat, & ſe quaſi demittit, tãdiu, dum peccatorum vniuerſorum enumeratione plena facta, vtræque lances in æquilibrio ſtent. Hoc facto, Goquis trabem retrahit, vt confeſſore primo dimiſſo, alius in lancem imponatur facturus poſt priorem idem. Hanc rem Iaponenſium quidam, ad orthodoxam religionem conuerſus, ita factam recenſuit, & addidit, quod ſepties religionis ergò peregrinatus ipſemet toties è lancibus illis publicè peccata ſua confeſſus fuerit. Idem quoque confirmauit, ſi quandoque peccatum vnum diſſimulare vellet, quod tunc vacua lanx ſeſe ne tantillum quidem dimiſiſſet. Quin & fieri ſolere aiebat, vt, ſi qui aliquoties admoniti non vniuerſa patrata confiterentur, à Goquis ex lance excutiantur, eoq́; caſu in cautium aſperitates illiſi fruſtillatim cõminuantur. Loci huius faciem tam horridam & abominabilem eſſe aiunt, vt illius metu, exquiſitiſſimè ſua peccata appenſi fateãtur, nec eorum vel minimi obliuiſcantur. Hunc Sangenotocoro, id eſt, locum confeſſionis nuncupant. Ex quo iterum inaudita diaboli ſæuitia manifeſtè colligi poteſt. Paganiſmi in Iaponia non minor, ac in prouinciæ Peruenſis Collao vigor eſt.

Cap. XXVI.

De ſuperſtitioſis ſacerdotum Mexicanorum & aliorum vnctionibus: vt & de eorum Magis.

IN lege Moſaica promulgato mandato Deus ſingulariter conſtituerat, qua nimirum ratione Aaron ac ſacerdotes reliqui vngendi eſſent. Sed & in Papatu peculiari chriſmate pro ſacerdotum vnctionibus vtuntur. In lege Moſaica præter id priuatum aliud fragrantiſſimũ vnguentum quoq; ordinabatur, quod in ſola re diuina facienda adhibendũ erat. Hæc verò omnia fœdus ille ex inferno erumpẽs præſtigiator more ſuo æmulaturus, res tam fœdas & abominabiles molitus eſt, vt ex iis, de autore primo documenta certiſſima vel intuitu primo eluceant. Mexicanorũ ſacerdotũ ea vngẽdi ratio erat. A capite ad plantam pedũ vſq; ſe inũgebant. Crines verò, qui ex vnguẽto prolixiores enaſcebãtur, intortis villis ſimiles equorũ iubas religatas repræſentabãt. Capilli hi tẽporis diuturnitate tanta vbertate excreſcebãt, vt in medios poplites propẽderẽt, adeò graues & ponderoſi, vt gerendis illis haud mediocriter fatigarentur. Nec enim

vllo tempore eos tonderi licebat, niſi aut per ingraueſcentem ætatem, aut officiorum, quibus recenter intereà adhibebantur, adminiſtrationem peculiari permiſſu, indulgerent illi quorũ intererat. Crinium hanc luxuriem tæniis xylinis ſex digitos latis reuinciebant aut inflectebant. Fumos, quo ſuffiri ſolebant, ex fuligine parabant. Illâ enim iam ab antiquo idola oppidò gaudebãt, vt re puriore & ſanctiore. Qui ſacra faciebant ſacerdotes, ſemper ſe aut atramento aut fuligine, à vertice ad plantas vſq; prius illinebant, ita vt Æthiopes ad vnguem exprimerent. Et hoc ipſis vngendi genus ordinarium erat, ac q. perpetuum, domi ſi rem facerent diuinam. At verò in ſyluas, aut montium crepidines, aut ſpecus obſcuros diis ſacrificatum ituri, timoris exigendi & ſui ipſius animandi cauſa vnguentum aliud ſingulari cum ritu vſurpabant, ex venenatis & nocentiſſimis animalibus, vt araneis, ſcorpionibus, ſalamandris, viperis ac ſerpẽtibus confectum: quæ venenatiſſima animalia collegiorum alumni pueri in parato ſemper habebant, quoties à ſacerdotibus in vſus dictos poſcerentur. Horum prehendendorum & captãdorum pueri iſti tam ſtudioſi erant, vt paſſim omni induſtria eadem venarentur, ac de iis copia magna colligẽdis non ſecus ac pro aris fociſque certarent. Nam à teneris ita aſſuefacti, beſtiarum illarum nullo pauore tenebantur.

Vnguentum autem dictum paraturi, collecta hæc animalia in templo ante aras cremabant, dum in puluerem abirent: quem mortario exceptum cum Tabaca ſeu peto aut Nicotiana (qua herba populus ad ciborum & crudioris carnis in ventriculo firmandam coctionem, & ad laborum moleſtias mitigandas vtebatur) permiſcebant. Illa enim venenorum vim haud leuiter infringere ſolet. Hæc dum in mortario agitarentur, pulueri illi inſuper viuas araneas, ac ſcorpiones & ſalamandras iniiciebant, & denuo congeriem tundebant, exacteque commiſcebant. Hoc facto, molitum ſemẽ quoddam Ololuchqui dictum, quod Indi pro viſionibus in ſomno ciendis potabant, inſpergebant. Huius facultas ea eſt, vt homines inſenſatos reddat. Cineri huic etiam piloſos atros vermes quoſdam, venenatos ſubigebant; & hæc tandem omnia cum fuligine in vnam maſſam compingebant: de qua fictilia parua implentes, eadem ſuis Numinibus proponebant, & hunc eorum cibum diuinum eſſe affirmabant. Sed & ipſi ſacerdotes hoc cibo guſtato nonnunquam ſe ecſtaticos faciebant, quo tempore velut exanimes Cacodæmonem videbant, & cum eo colloquebantur. Quicunque ſacerdotum hoc linimento perungebantur, pauore & omni conſternatione excuſſa, animum confidentiſſimum & planè ferinum induebant, adeò vt quadam quaſi cum truculentia multos mactare & immolare homines ſuſtinerent. Quin & per noctis tenebras ac nebulas denſiſſimas in antra & ſpelæa pergebant horridiſſima, feras etiam immaniſſimas in ſyluis graſſantes ſpernentes, nec quicquam aliud perſuaſum ha-

habentes,quam quod illiti vnguẽti virtutibus omnes in vniuerſum feræ,vt leones,tigres,lupique ac ſerpentes,ceſſuræ ſint. Ad quam vnguenti vim augendam feritas ac immanitas illa, quam tum vultu tum voce ac geſtibus edebant,tantum inſuper conferebat, vt vel truculentiſſimum quoduis animal ad eorum occurſum expaueſceret, & fuga ſe quoquò verſum proriperet. Idem vnguentum ægrotantibus quoque ac infantibus adhibebant ceu rem per omnia ſacram ac diuinam. Nam adfectus eorum illo inungentes, opera admiranda edebant. Quod tamen ſine dubio vniuerſum Tabacæ ſiue Micocaciæ ac Ololuchqui aſcribẽdum fuerat: quæ vim admodum digeſtoriam & doloris mitigatiuã à natura adeptæ ſunt. Emplaſtri modo Tabaca impoſita, ſola ex ſe, nullius alterius concurſu carnem mortificat: quod venenis acuta & ſtimulata multò promptius factura ſit. Hoc medicamento ſi ablatum dolorem ſentiebant, perfectam ſe ſanitatem illicò adeptos rati, medicinam ad cælos efferebant. Ideóque ad presbyteros hos non ſecus ac ad oraculum & numen quoddam certatim confluebant, à quorum præſtigiis mirificè eluſi, quoquò ipſis libitum eſſet, velut bruta agebantur & pellebantur. Res verò ſuas præſtigiatores hi ita plerunque moderabantur, vt qui pauperiores eſſent, ipſa egeſtatis neceſſitate compulſi, his remediis omninò vti cogerentur. Apud quos ſacerdotum auctoritas tanti erat, vt omnia eorum verba pro articulis fidei acceptarent. Agyrtæ illi nunquam non nouas ſuperſtitiones condebant, iam thura litando, iam radendo pilos, iam anguium oſſicula è collo ſuſpendendo, iam præciſè ſtatuta hora lauando, iam apud focum de nocte definitas vigilias agendo, iam panem, Idolis oblatum, edendo, & ſimilibus aliis dolis fatuam plebem dementando. Iidem auguriis ſuis plus nimio attribuebant, tum exta animalium, tum circulos vndarum obſeruando. In Peru etiam hi magi præſtigias omnem & modum & numerum excedentes, ſubinde miſellæ genti offundebant. Quæ ſanè regio hariolis, ſortiariis, effaſcinatoribus, ſignorum interpretatoribus, & nugatoribus ſimilibus non olim ſaltem tota ſcatebat: verum eorum vel dum hodiè etiam reliquiæ quædam paſſim ſuperſtites ſunt, furtim tamen & clanculum ſuos fumos volentibus offundentes, nec vſquã profeſſo nomine ſuas artes exercentes. De horum præſtigiatorum dolis & fraudibus prolixius & quaſi per partes in confeſſionali, à præſulibus Peruanis congeſto, agitur. Ingarum venia & permiſſu genus quoddã Nigromantiæ Indi exercebant, quo ſe in quamcumuis formã facilè mutarent, & per aëra, quocunque vellent, breui tempore ſpatiis longiſſimis ferrentur. Et his qui operam impendebant, futuras res præuidebant, cum dæmonibus colloquebantur, qui ipſis ex lapidibus ſaxiſque aut rebus aliis reſponſa dabant. Iidem quid in terris aliis fieret; præciſè recenſebant. Solebant hi, de rebus fientibus vaticinaturi in domum peculiarem ſe includere, & confer-

tim

tim ingurgitato potu ſe ita proluere, vt velut amentes omni ratione & ſenſu priuarentur. Poſtero die ſurgentes, ad ea, quæ quærebantur, reſpõſa dabant. Sunt, qui affirment, hanc ad rem eos peculiari quodam linimento vti. Commemorant etiam Indi, in quadam prouincia Guarochiri, vt & in alia Coaillo, pagum ſeu oppidum Manchaî eſſe, cuius fœminæ quoq; hanc artem approbè calleant. Dicti magi res aut furto ablatas aut incuria perditas, quærentibus produnt. Et horum genus vbiuis locorum fœcundum reperire licet. Anacônas ſiue Chinæ, quoties Hiſpanicorum ſuorum dominorũ aut res perditas, aut alias ſciſcitantur, ad hos ſortilegos confugiunt. Sed & Indi, quoties in Hiſpanicas ciuitates rei aut publicæ aut priuatæ cauſa cõmeant, tum de euentu anxiè prius percontantur, an vel infirmi futuri, an verò morituri, aut ſalui & ſoſpites domum redituri, & an, qua cauſa abeunt eã impetraturi vel perdituri ſint. Quib. ita ſciſcitantibus poſtquam ſuos cum Diabolo conuentus in obſcuro quodam loco egerunt, magi vel annuunt, vel abnuunt. Et hi conſultores Diaboli vocem quidem exaudiunt, ſed cum quo loquantur, non vident. Sed ad acciendos & ſuſcitandos Dæmones magi iidem infinitis ceremoniis vtuntur. Quidam ebrij eos conſulunt, hoc modo. Herbam quandam, Villca dictam, ſumunt: ex qua ſuccum exprimunt. Hunc cum ſua Chicha (potus eſt ipſis familiaris) aut cum re alia perfundunt. Eo epoto, velut exanimes ruunt. Ex quibus cui nõ perſpicuum eſt, quanta eorum miſeria & infelicitas ſit, qui omnem ſuum cultum immundo illi ſpiritui impendunt, à quo tamen non niſi infinitis modis eluduntur ac turpiter decipiuntur. Ipſe quidem rerum euentus docet, ad Euangelij ſanam doctrinam acceptandam Indis nihil magis obſtare, quàm hoc vnicum, quod cum huiuſmodi magis habita cõmercia non tam facile deſerant, quorum paſſim omnes anguli pleni ſunt. Quos tamen vigilantiſſima præſulum cura paulatim excindit & minuit. Horum nonnulli efficaci Dei verbo conuerſi, errores & impoſturas ſacrilegas coram omni Eccleſia propalam confeſſi ſunt, magno multorum commodo & confirmatione. Et hoc ipſum quoque ex literis Iaponenſibus ita comperimus.

Cap. XXVII.

De Indorum ceremoniis & ritibus, noſtratibus nonnihil cognatis & affinibus.

CEREMONIÆ Indorum quamplurimæ, cum Moſaicæ legis ritibus conueniebant. Habent, quibus etiam cum Mauris & Mahumetiſtis conueniant. Nonnullis doctrinæ quoque Euangelicæ reſpondent: ex quibus præcipuè ſunt ablutiones, ipſis Opacunæ dictæ: Hoc enim vno fine lauantur, vt à peccatis ſuis emunden-

den-

dentur. Mexicanis inſuper ſuus quoq; Baptiſmus in vſu erat. Nam de recens natorum infantum auribus & pudendis portiunculas præſectas offerebant: quibus ceremoniis populi Iudaici circumciſionem quadantenus æmulabantur. Sed omniũ maximè hæc in regum aut magnatũ filiis obſeruabãt, hoc ferè modo. Vt primũ in lucem infantes edebantur, eos ſacerdotes lauabãt dextris ipſorũ gladiolũ, ſiniſtris autẽ parmulam inſerentes. Plebeiis liberis maſculis inſtrumenta fabrilia indebant: fœmellis autẽ, quod ad colum & lintea ſpectaret. Et hæc ante Idolũ quatuor diebus perficiebantur. In cõtractibus matrimonialib. vtrinq; ratis cõſignationib. rem firmabãt: de quibus Licẽtiatus Polus integrũ tractatũ edidit. Qui in Mexico matrimonio ſeſe iuncturi erant, hoc modo & ritu ligabãtur. Tum ſponſus, tum ſpõſa ante ſacerdotem conſidebant. Quorum prehẽſis manibus, ſacerdos rogabat, vtrum matrimonij conſenſum vtrinq; ratum haberẽt. His ergò annuentibus, ſacerdos ex flammei, quo ſponſa caput velabat, & ſponſi pallij finibus nodum ſtringebat, eoſq; ita vinctos in ſponſi ædes ducebat. In his focus inſtructus lucebat, quem ſponſi cum obiiſſent, poſteà vnà conſidebant. His ritibus matrimoniũ ſtabilitum erat. In ſponſarum caſtitate deprehendenda ſponſi admodum ſeduli ſcrutatores erant. Quas ſi fors pollutas inuenirent, cum magno probro tum parentibus tum cognatis vitium imputabant. Contrà verò ſi quam pudicitiæ inuiolatæ & intemeratæ deprehenderent, eam maximi faciebant, & parentes donis offundebant, diiſque ſacra faciebant, & mutuo tum in ſponſi tum in ſponſæ ædibus, lautis conuiuiis agitatis, dies aliquot hilariter ſumebant. Quod ſi ſponſo ſponſa domum adduceretur, continuo in libellos (vt vocant) inuentarios bona vniuerſa, & clenodia, & omnis præſens ſupellex conſignabantur, cuius conſignationis copia vtriſque parentibus eo fine offerebatur, vt ſi fors aliquando inter ipſos non conueniret, diuortio (nam id frequenter fiebat) facto ſuum quiſque quod attuliſſet, reciperet. Bonis diuiſis, alter alterum ſolutum pronunciabat, & vterque, vti ſibi commodum eſſet, de nouo nubebat. Si quos durante matrimonio liberos progenuiſſent, tunc vir mares, fœmina filias aſſumebat, & capitali pœna interdicebatur illis, ne poſt hac vllo vſpiam congreſſu matrimoniali iungerentur. Id quod ſtrictè ac præciſè ſeruandum erat. His & ſimilibus ceremoniis, etſi quidem nobiſcum quadantenus ipſi conuenire videantur: attamen dum inconuenientia & abſurda plurima immiſcent, à noſtris ritibus abſunt lõgiſſimè. Indi enim plerique his tribus maximis criminibus obnoxij erãt, nimirum, ferocia, impuritate & otio. Vno enim promiſcuè furore inſaniebãt adeò, vt leui ex cauſa ſeſe inuicẽ cæderent & immolarent. Impuri verò & deſides in eo erãt, quod ſub mentionem ſuorum Idolorũ vbiuis ederent & biberent, & in omnib. leues ac mutabiles, plus fœminarum mollitiem, quã virorum conſtãntiã æmularentur,

Quæ omnia in ipſis Sathanas operabatur, cuius hæ artes ſunt propriæ, vt ad peccata & homicidia, & inceſtas libidines, ac deſidem & otioſam vitã homines ſubinde impellat & præcipitet. Nunc verò poſtquam ſancti Euangelij voce perſonante ad frugem redierunt, ludicra hæc & ineptias, quibus à Sathana & idolis diu eluſi fuerunt, ſupinè vltro citroque rident, plus ſe timore, ne diabolus ipſis noceret, quam vero & ſincero affectu amoreq; actos, hos olim cultus miniſtraſſe, dicentes. Plurimi Indorum ſeipſos in hoc deceperant, dum de vna ſalute & felicitate externa ſolliciti, æternorum & poſt hãc vitam capiendorum bonorum nullam curam ſuſceperunt. Nam cum externis bonis cumulatiſſimè diffluerẽt, ſuperſtitionum ſecuritas confertim irrepſit: ſicut huius exemplum in Mexicanis & Cuſcanis videre licet, qui ſuperſtitionũ ſuarum nullum finem modumque ſciebant. Nam harum in Cuſco ad minimum trecenta genera diſtincta numerabantur. Ex regibus Cuſcanis Mango Inga Yupangui (ſuperſtitionibus aſſerendis veluti natus) feſta & ceremonias & ſacrificia tot peperit, vt numerari commodè non potuerint. Simile quoq; Mexicanorum Rex Iſcoâlt, in regno quartus, deſignauit. Cæteræ nationes, vt prouincia Guatimala, cum Inſulis Nouæ Hiſpaniæ, & prouincia Chile, etſi & ipſæ quidem plurimis ſacrificiis abundarẽt, non tamen vlla parte conferri poterunt cum Cuſcanis & Mexicanis, quibus duobus præcipuè locis Sathanas cum omni ſua potentia, vt & Romæ & Hieroſolymis, principaliter ſibi ſedem & ſolium fixerat. Ex quibus tamen, nunc Dei optimi maximi beneficio procul exactus eſt, & in loco eius ſancta ſaluatoris noſtri Iesv Chriſti Crux regnumque viget ac dominatur.

Cap. XXVIII.

De feſtis nonnullis Cuſcanorum ſolennioribus: & quod Sathanas feſtum ſacroſanctæ trinitatis æmulari ſategerit.

Anteqvam hunc librum, de rebus religionem attinentibus tractantem, finiamus, nonnulla prius de feſtorum quorundam apud Indos celebriorum ſolennitatibus addenda videtur. Nam propter multitudinem immenſam de ſingulis dici non poteſt. Ingæ Peruenſes duo feſtorum genera colebant. Horum alia ordinaria, certis & ſtatis diebus celebrabantur: alia extraordinaria agitabantur, quoties vſus & neceſſitas peculiariter poſcebat. Huc pertinebant, coronationes Regum, rerum magni momenti inceptiones, & temporum quædam obortę difficultates. Feſta verò ordinaria quod attinet, ſciendum eſt, quod quolibet menſe totius anni peculiare ſacrificium ex cẽtum ouibus ſeu arietibus, quorũ tum colores tum

tum formas diuerſas eſſe oportebat, celebrari ſueuerit. Et primo quidē menſe Rayme (is in noſtrū Decemb. incidebat) feſtum id agitabatur, quod cæteris vniuerſis ſolennius, ob id Capacrayme, id eſt, feſtum celeberrimum appellabatur. Hoc mactatis quamplurimis ouibus agniſque, & ad tornata ac cælata ligna crematis fiebat, cui & aurum ac argentum quoq; conferebant. Iuxta ignem ſimulachra aliquot, ſolis & tria inſuper alia tonitrus, & ſolis filios, patrem ſc. Filium, & Fratrem, collocabant. Hoc ipſo feſto nouus Ingas initiari ſolebat, & Guacas, id eſt, imagines ſimul proferebantur, & aures perforabantur. Seniores flagris cædebantur, & eorū facies vniuerſæ cruore polluebantur. Quæ omnia hoc fine ſcopoq; fiebant, vt his ritibus ſe nouo regi fideles & morigeros fore teſtatum facerent. Huic huius menſis diei feſto nemini cuiquam peregrinorum ex Cuſco intereſſe licebat. Eo tamen finito, acceſſus omnibus dabatur, & buccellæ ex placenta, de Maiis & ſanguine victimarum mactatarū piſta viritim diſtribuebantur. Has eſitabāt in ſignum, ſe nimirum hoc pacto cum rege vniri, & ob id perfectum ipſi morem præſtare velle, ſicut de his fuſius ſupra dictum eſt. Hoc verò loco id ante omnia attendendum eſt, ſtygium plutona pro cultus ſui maieſtate cumulanda ipſa quoq; S. Trinitate introducta veteratoriè abuti voluiſſe. Tribus enim ſuperius dictis ſolis ſimulachris hæc nomina Indi indiderant: Apoînti, Churiunti & Intiquaoqui, quod eſt, Pater & Dominus ſolis: Filius ipſe ſol: & Frater ſolis. Hæc eadē nomina trib⁹ ſimulachris Chuquûlla id eſt, iſti Deo, qui in plaga ſeu regione aëris, ex qua tonitrua, pluuiæ & nix prodeunt, agere credebatur, quoq; imponebant. In Chuquiſaca idolum nobis aliquando monſtrabatur, ante quod Indi preces funderent. Id Tangatānga dicebatur. Hoc credebatur Deus, qui in vno trinus, & in trino vnus exiſteret. Ex quo iterum ſacrilega Sathanæ ambitio elucet, qui dolis & mendaciis ſuis, quicquid vſpiam poteſt, veritati diuinæ ſurripit, & in ſuperbiæ ſuæ exatiationē malitiosè conuertit. Hæc enim vnica eius aſſiduo meditatio eſt, vt Deo ſimilis fieri poſſit. Menſis ſecundi Camay dicti feſtū hoc ritu fiebat. Cum ipſis ſacrificiis colligebāt cineres: quæ in fluentū vicinū iunctim proiiciebāt. Ipſi verò quinq; miliariū ſpatio proiectamēta hæc inſequentes, fluuiū cum quadā religione obſecrabant, vt cineres in ipſum mare prouehere dignaretur. Ibi enim ſuū Viracochæ munus oblatū iri. In 3.4. & 5. menſe, ſingulis vicib. cētum oues ſacrificio offerebāt, quas nigras, varias, & cæſias eſſe oportebat. His & alia plura congerebāt, q̄, vt lectoris tædium declinemus, hoc loco ſingulatim percēſere omittimus. Sexto menſe, Hatunĉuzqui Aymorai dicto, & cū Maio noſtro cōueniente, rurſus centum oues variorum colorum immolabātur. Quo cum Maijs meſſis incideret ſimul, feſtum aliud quoque Aymorai dictum, peragebatur. Id celebrabatur, poſtquam cum ſuis captiuis ex Chacra ſeu agro rediſſent. In hoc precabantur, vt Maiis, quod) Mamacôra patria lingna vocant) diu & vegetè perduraret.

Ex Chacra ſeu rure optimum & ſolidiſſimum Maiis legũt, additiſq; nonnullis ritibus in faſciculum, Perua dictum, id colligant. quem cũ tribus continuis noctibus diſpoſitis excubiis cuſtodiuerunt, panno pretioſo, exquiſite & operoſe texto, Maiis tandem excipiunt, inuoluũtq; & ante Perua procidentes, adorant, dicuntq; id Maiis ſui & Chacra ſuorũ Matrem exiſtere, ex qua Maiis tum progeneretur, tum nutriatur & vegetetur. Hoc ipſo menſe peculiari alio inſtituto ſacrificio, ex Perua ſciſcitatur, an futuro anno fœcundum futurũ ſit. Quod ſi ſe fore neget, tum in Chacra ſeu agros idem efferunt, & cum ſingulari ceremonia exurunt. Hoc facto, Perua aliud proferunt, & priores ritus repetunt. Quod ſi Perua annuat, ſatis ſibi adhuc virium eſſe, vt diutius perduret: tum in futurum annum illud reponunt ac reſeruant. Hæc ſuperſtitio vel dum hodie apud eos viget. Septimo menſe Aucaicuz qui Intiraymi, qui in noſtrũ Iunium incidit, feſtum fiebat Intiraymi, quo centum Guanacos immolabantur. Et hoc feſtum ſolis appellabatur. Hoc menſe ſimulachrorum magnum numerum ex ligno Quinua dolabant, quæ omnia veſtibus pretioſis induebant, & in eorum honorem choreas Cayo dictas, inſtituebant. Eodem feſto paſſim per vias ac plateas flores diſpergebant, & variis coloribus Indi ſe pingebant: primores verò ex mento laminas aureas ſuſpendebant, & in medio inceſſu altè cantillabant. Id feſtum eo ferè modo celebrabant, quo in Eccleſia Romana feſtum Corporis Chriſti agitari ſolet. Simile enim quid habebat, inſtitutis ſaltationibus, repræſentationibus & cantionibus. Qua cauſa Indorum multi fuerunt, & adhuc ſunt, quibus vel hodie videtur, feſtum Coporis Chriſti multas ſuperſtitiones inuehere. Vnde vel dum hodie vetus ſuum Intiraymi feſtum continuant. Octauo menſe Chahua Huarqui, centum oues omnes cæſio colore, & Vizcacham referente cremabantur.

Hic menſis cum noſtro Iulio quadrat. Nono menſe Yapaquis, centum iterum oues ſpadicei coloris (quæ prius decollatæ ignibus imponebantur) cum mille Cuies (ne glacies aërue, ac aquæ, aut ſol agris damnum darent) immolabantur. Hic Auguſto conuenit. Decimo menſe Coyaraymi centum candidæ oues villoſæ cremabãtur. Hoc eodem mẽſe, Septemb. noſtro reſpondente, feſtum quoq; Situa hoc ritu fiebat. Primo menſis die, ante Lunæ exortũ magnis clamoribus editis concurrebant, & facibus, quas manib. ardentes gerebant, ſeſe inuicem contũdebant, dicentes, exeat malũ, exeat. Id Panconcos appellabant. Hoc ludicro finito, ex fonte publico tum lauabãtur, tum ex ordine potabant. Eodem hoc menſe Mamocanas ſuperius dictæ magnum placentularum cum victimarum ſanguine piſtarũ numerum ſoli offerebant: de quibus deinde fragmẽta peregrinis diſtribuebant, & in omnes totius regni Guacas ac Curacas tranſmittebant, in ſignum nimirum fœderis cum ſole & Inga pacti, ſicut ſuperius

de his

de his fuſius enarrauimus. Et hodiè quoquè nonnullis in locis hoc ritu lauari & conuiuari ſolent, ſed furtim. Id quod à feſto Situa profluxit. Vndecimo menſe Homa raimi Punchaiquis rurſus ęquo modo centum oues mactabantur. Quod ſi circa tempus illud pluuiarum inopia eſſet, ſaturatè atram ouem in campis firmiter deligabant, & circa eam Chicha quoquo verſum in ambitu copiosè profundebant, nec eidem alimenti quicquam aut pabuli offerebant prius, quàm pluuiæ decidiſſent. Hic menſis noſtro Octobri par eſt. Menſe verò nouiſſimo Ayamara totidem iterum oues offerebantur, & vnà feſtum Raymiçantara Rayquis agebatur. Hoc mēſe, qui nobis Nouember eſt, pro pueris iſtis, quibus poſtero menſe aures pertundendæ erāt, neceſſaria omnia parabantur, & ſeniores luſtrabantur, & alia quædam ſimilia peragebantur. Feſtum illud Iſuraymi vocatum agunt, cum pluuiæ aut nimis frequentes aut raræ ſunt, aut peſtis populariter graſſatur.

Ex feſtis extraordinariis, quorum innumera ferè erant, nullum Ytu ſolennius erat. Id nullo ſtato ratoque tempore, ſed cum neceſſitas aliqua poſtularet, celebrabatur. Hoc peracturi, biduo integro ieiunant, ab vxoribus abſtinent, nec cibum vllum, cum ſale, aut axi paratum guſtant, nec de Chicha bibunt, & loco tali conueniunt, vbi nec peregrinis, nec vlli animali acceſſus ſit. Tum temporis peculiaribus palliis, veſtibus ac indumentis, in hunc vſum paratis, vtuntur, & palliis capiti iniectis lento admodum gradu incedunt, ad ſonitum tympanorum impulſorum pedes moderantes, nec quicquam vocis ac ſermonis edentes. Proceſſionem hanc integra die ac nocte continuabant: & à ſequente luce largiter edebant, potabant, & tripudiabāt binis completis diebus ac noctibus, iactitantes ſeſe hoc nomine, quaſi preces eorum verè exauditæ ſint. Hoc feſtū etſi hodiè quidem non cum tot ceremoniis & ritibus peragatur, ac olim: multa tamen prioribus ſimilia vel dum Indi æmulantur, ſed in locis ſecretioribus ſaltem, nec in propatulo. Ipſo corporis Dominici die choreas llamallama de Guacon dictas & ſimiles alias inſtituunt, ritus Ethnicos in nullo remittentes. Quibus abrogandis etſi præſules quidem operosè incumbāt: paſſim tamen clanculum huiuſmodi ſubinde agitari ſolent. Hinc ergò clarè nobis effulget, quodnam lucis & tenebrarum, quod veritatis Chriſtianæ & Gentilium ſuperſtitionum diſcrimen ſit. Quæ tamen omnia polydædalus Sathanas promiſcuè confundere, & nugas ſuas diuinæ veritati commiſcere nunquam non laborat ſatagitque.

Cap. XXIX.

De Feſto Mexicanorum Jubileo.

FESTORVM dierum apud Mexicanos curioſa obſeruatio erat. Quo factum eſt, vt in ſacrificiorum & ſimilium ceremoniarum inſtitutione valdè religioſos ſe præberent. In his, quod ſumptibus demebant, larga ſanguinis profuſione cumulabant. De primario Vitzliputzli feſto ſuperius tractatum eſt. Ab hoc proximum Tetzcatlipucæ feſtum menſe Maio fiebat: quod in ſuis faſtis Toxcoâlt nominabant. Circa hoc ita conſtituebant, vt ſingulis quatuor annis plenariæ indulgentiæ redirent. Die Maij 19. ſclauum, qui ſimulachrum ſeu ſpeciem Tetzcatlipucæ ferebat, immolabant. Circa veſperam primores loci templum adeuntes, veſtem recētem, illi, qua Idolum amicitum erat, ſimilem afferebāt. Qua à ſacerdote detracta veteri, recenter idolum induebatur. Hæ exuuiæ magna diligentia aſſeruabantur. In ciſta Tetzcatlipucæ recondita erāt clenodia plurima, vt armillæ, monilia, ex pretioſis pennis artificioſè concinnata opera, & ornatus ſimiles alii. Horū nullus vſus alius, præterquam quod aſſeruarentur. His ornamētis non leuior cultus adorationis præſtabatur, ac ipſi Idolo. Præter hæc alia quoq; ornamēta ipſis erant, vt vexilla, ex pennis cōſtructa, vittæq; ſolares, quibus ſub feſti ſolennitatem idolum largiſſimè exornabatur. Eo ita condecorato & expolito, prætenſa vela remouebantur, vt ab omnibus id ſpectari poſſet. His peractis princeps templi, ſimili cum Idolo habitu indutus prodibat, manibus floſculos aliquot, & fiſtulam acutiſſimi ſoni proferens. Hanc continenter inflabat, dum iam verſus ortum, iam verſus occaſum, ac meridiē & ſeptentrionē ſeſe verteret. Sonitu ergo ad quatuor mundi cardines facto, & abſentibus ſigno dato, manus in tēpli pauimētum exporrigēs, puluiſculi momentū arripiebat, quod ori indēs, vorabat. Hunc eodē ritu in omnibus præſentes cæteri vniuerſi æmulabantur, & in vultus prouoluti, noctē, ventum, & tenebras adorabāt, deuotè inſtantes, vt ab illis nunquā deſererentur, aut perderentur, ſed potentē ſuā, quā haberent, vim pro bono publico moderarētur & lenirent. Fiſtulæ iſto ſonitu quoquo verſum latè perſtrepēte, furibus, mœchis, homicidis ac facinoroſis, ſopitæ conſcientiæ in tantū euigilabant, & ſuſcitabantur, vt ſe non amplius cōtinentes ad Deum vociferarentur contritiſſimè, ne is patrata ipſorū in publicū proferret. Et hæc ipſa copioſis vſq; lachrymis & largiſſimis thuris accenſionib. expiabāt. Bellorū verò duces, & milites alij peritiores, ad fiſtulæ ſtrepitū auditum, Deum, à quo vitā & vigorē haberēt, vt & Solem Deoſq; alios potentiores adorabāt, precabanturq;, vt ipſis contra hoſtes fortē animum, & felicem victoriam impertire vellent, vt in ſacrificiorum augen-

dam

dam religionem quamplurimos hoſtes captare poſſent. Huiuſmodi ceremoniæ decem diebus antè, quàm feſtũ ipſum inchoaretur, obibantur, quorum omni decurſu ſacerdotes fiſtulis inflatis homines excitabant, vt precarentur, & terram ederent, & ſimulachro ſuas anguſtias & patrata confiterentur. Dum verò precarentur, cum gemitibus ſubinde iteratis oculos in cælum attollebant, non alio geſtu, ac ſi profundiſſima ſuorũ peccatorum pœnitudine contererẽtur. Hæc verò vniuerſa ab ipſis fiebant metu, non æternæ damnationis, ſed pœnæ ſaltem corporalis. Nam de pœna, poſt hanc vitam facinoroſos manente, nihil quicquam ſciebant. Vnde plerique morti ſe eò pacatius & promptius quoque offerebant, quod arbitrarentur, hac finita vita nullos dolores, nullas pœnas reſtare. Cæterum primo feſti Tetzcatlipuçæ die prodeunte, in loco ordinario vniuerſa multitudo congregabatur, ad feſtũ Toxcoalt (quod idem ſonat, ac rem ſiccam) vnà celebrandum. Huius verò finis erat, vt è cælo pluuias orarent, quæ menſi illi Maio admodum neceſſariæ ſunt. Solennitas eius à die Maij 9. vſque ad 19. mane extendebatur. Poſtremo verò die ſacerdotes lecticam tegetibus & velis, vario colore textis inſtratam proferebant. Huius tot anſæ erant, quot miniſtris ſeu baiulis ad ferendam eam opus eſſet. Hi vniuerſi facies fuligine atratas oſtendebant. Ipſorum verò crines, admodum promiſſi, tæniis candidis inflexi & intorti erant. Veſtes verò, ex Idoli agnorum pellibus conſtabant. Lecticæ commemoratæ, Idolum hoc fine ſculptum imponebant, quod imaginem Tetzcatlipucæ appellabant. Illam verò humeris imponentes, vſq; ad gradus templi infimos proferebant, vbi religioſi quidam pueri ac puellæ ex templo prodibant, manibus funiculos ex toſto Maijs factos ferentes, quibus templum vniuerſum cingebant. Eorum quoque circiter quinquaginta Idoli collo innectebant, & capiti inſuper illius ſertum affabrè paratum imponebant. Id ſertum Toxcatl, id eſt, ſiccam & ſterilem tempeſtatem appellabant. Iuuenes pannos, retibus ex funiculis 50. Maijs tortis obuolutos geſtabãt. Virgines verò veſtibus nouis ac aliis ornatibus inſignes, ac quinquaginta corollis collum cinctæ, 50. ſertula ex tenerrimis frondibus innexa capite ferebant, quæ omnia Maijs inſtrata viſebantur. Harum pedes & bracchia plumis ſeu pennis, facies autem pigmentis delibutæ erãt. Hæ eædem ſimiliter 50. coronulas ex toſto Maijs concinnatas primatum capitibus & collis obdebant, & flores nitidiſſimos illorum manibus inſerebãt. Idolo in lecticam depoſito, paſſim per latam aream tum ramulos tum frondes ex arbore Mangeij, cuius folia lata & ſpinoſa ſunt, diſpergebant. Ipſum idolum primo in circuitũ templi ediditiorem aſportatum duo ſacerdotes præcedentes aſſiduo ſuffumigabant. Qui quoties carbonibus thus inijcerent, toties bracchia verſus Idolum & Solem expromebant, dicentes, non ſecus ac fumus cælum peteret, ſic ſe non minus ſuas preces in cælum eiaculari. Turba

verò

verò promiſcuè omnis,quę Idolum ponè ſequebatur,funiculos,nouiter ex Mangey tortos,oblongoſque,manibus geſtabat,quorum fines nodis impliciti erant.His flagris ſua dorſa obſtinatè feriebāt, non ſecus ac conſueto tempore Hiſpani faciunt. Pinnæ verò ſeu circuitus vniuerſus frondibus ac floribus conſperſus, iucundum certè ſpectaculum promebat. Hinc ergo idolo in cõſuetum locum repoſito,turba vndiquaque plurima confluebat, & floribus ſertiſq; varia arte innexis tum ipſam aram,tum eius omnem viciniam confertim conſerebat, vt amœnitate ſua locus vniuerſis arrideret. Hæc omnia vt à ſacerdote primario ſolo confecta dabātur; ſic pueri aliūde accepta ipſi ſedulo offerebant, idolo interim ex ſacello ſuo omnibus conſpicuo, niſi quod tenui interiecto velo recingeretur. His peractis ad ſacrificium certatim vndiquaque irruebat turba,& tum tegetes, tum pepla, gemmaſque ac clenodia,& thura, & reſinoſa ligna,frumentumq; ac ſpicas Maijs Quartels,& cætera offerri ſolita in aras conijciebant. Verum,in Quartels oblatione,quæ pauperiorum erat,hic ritus ſeruabatur, vt offerentibus ſacerdos caput nudaret, & eoſdem in pedem ſeu baſin aræ tanto niſu illideret, vt ſtillatim è parte conſauciata cruor funderetur. Eodem artificio ij vniuerſi tractabātur, qui pro victimis offerendi erant. De cibarijs cæteris,quantum cuiuſque facultates ferrent, tantum offerebant: quæ omnia collecta templi miniſtri in aræ baſin conijciebant: vnde eadem deinde,remota turba, in ſuas cellas & cubicula aſportabant. Peracto ſacrificio domum ſe quiſque ſuam recipiebat,& feſti ſolennitas ad prandij finiti tempus differebatur. Interea temporis pueri puellæque initiatæ omnes templi angulos mirificè exornabant,& Idolo,quicquid cibi opus erat,miniſtrabāt.Hos cibos verò parabant fœminæ, mercede pacta vniuerſo eo die ſuam operam locantes. Huius qui inſtituti erant mulieres,primo mane apud templi inſpectorem comparebant, vt, quod ſingulis mandaret ille, attenderent. Mandata accepta tanta fidelitate confecta dabāt,vt de paratis variis & diuerſiſſimis ferculis ſpectantes omnes admiratio ſubiret.Ciborum offerendorum tempore appellente, vniuerſæ templi alumnæ virgines ordinario proceſſu egrediebātur, ſingulæ altera manu panem in corbe,altera cibi peculiare genus in patina proferentes. Has ante ambulabat decrepitus ac annoſus vir, præfecti vicem tenens,inſolitaque veſte,candidæ caſiolæ ſimili, & ad genua vſq; demiſſa,amicitus. Sub hac colobium ſcorteum, manicis carens,ac habitum Inquiſitorum Hiſpanicorum Sambenito dictum referens, prominebat. Manicarū loco alas geſtabat, propendētibus aliquam multis rubris tęniis inſignes.Ex medio harum cucurbita (Carabaça) mediocris magnitudinis floribus exterius,interius rebus variis referta propendebat. Vetulus iſte ante virgines ſubmiſſo gradu incedens, caput in terram defigebat: & cum eaſdem ad gradus templi adduxiſſet,ſingulari deuotione in latus ſcalarum cõſidebat. Virgines autem
comi-

cominus aræ accedentes, allata ſecum edulia ex ordine exprome-bant. Hoc facto, reſurgens ſenex, virgines ad locum ordinarium inde rurſus abducebat. Hæ quamprimum diſparuiſſent, pueri ac famuli templi prodeuntes, ablatas dapes ſacerdotibus offerebant, qui ſuis iam in clauſtris agentes, dierum quinque ieiunium egerant, nec niſi ſemel de die ederant, & à coniugibus ſuis penitus remoti, omni eo interuallo latum pedem extra templum non tetulerant, & inſuper incuſſis flagris corpus omne vndiquaque miſerè conſauciarant. De diuino ergo hoc epulo (ita enim appellabant) quantum appetitus ferret, iam largiter ingerebant, nec præter ſacerdotes iſtiuſmodi cibum guſtare vlli alij licebat. Multitudo populi, prandio finito in loco ordinario iam iterum conueniebat, vt feſto coronidem adderet. Dum pauliſper morarentur, ſclauus ille, qui integro anno pro Deo enutritus & excultus fuerat, producebatur. Hunc eodem cum Idolo habitu induebant. Is peractis neceſſariis omnibus ad ſacrificos ducebatur: qui præhenſis manibus ac pedibus eum ſaxo illidebant, & illiſo ex diſciſſo pectore cruentum cor euellebant, quod ſacerdos primarius, Soli & Idolo, vt antè diximus, obuerſum oſtendebat. Victima ergo iam pro vſu mactata, prædicti iuuenes ac puellæ ſolito habitu denuò prodeuntes, ad tympani pulſati modum ſaltitabant: quos deinde templi ſacerdotes primarij cum cæteris è plebe primoribus ſequebantur, & choreas inſtitutas ita moderabantur, vt cum pueris puellæ ſemper in medio relinquerentur. Hoc die feſto præter dictum ſclauum nemo quiſquam immolabatur: id quod ſingulis quatuor annis iterabatur. Quod ſi aliquando cum ſclauo hoc alij quoque mactarentur, id plenariarum indulgentiarum indicium erat. Ritibus his vniuerſis finitis, ſub occaſum Solis virgines in locum ſibi deſtinatum itabant, & ex eo patinis panes mellitos, cum tritis caluis & oſſibus humanis piſtos & excoctos efferebant, quos ante Idolum pro collatione deponebant. Hinc rurſus abſcedentes, cum ductorem ſuum ſenem inſecutæ eſſent, iuuenes turmatim omnes prodibant, arundines manibus geſtantes. Qui cum primùm ex ſerie longa conſediſſent, ſurgentes tandem certatim ad appoſitas patinas procurrebant, quolibet hoc ſatagente, vt eas primus attingeret. Interim ſeduli ſpectatores erant templo præfecti, vter currentium patinas primus vel ſecundus vel tertius aut quartus attigiſſet. Quos quaternos ſi deprehendiſſent, tum eos primùm in ſui medium receptos, poſteà ad cellas abducebant, & eos ornamentis pulcherrimis induebant. Et hi poſteà pro ſelectis & eximijs viris habebantur. Porrò autem omni hoc tumultu exacto, adoleſcentibus ſimul ac puellis his, qui iſto tempore ſua Idolo miniſteria præſtitiſſent, eundi, quo liberet, licentiam ac poteſtatem faciebant. Virgines autem, velut liberæ iam ad ſuos redeuntes, pilis ac iuncis, & herbis aliis à turba impetitæ, quaſi ſanna quadam exigeban-

tur,quod à ſacrorum officiorum miniſterijs ſe tam breui tempore ſegregarent.Ita ſolennitati huic finis imponebatur:virgines autem,cui volebant,nullo vetante nubebant.

Cap. XXX.

De Feſto Mercatorum, qui Colutecas adhibent.

QVANQVAM de Mexicanorum ceremoniis ac cultibus ſatis abundè tractauerimus: nihilominus tamen vnius adhuc Idoli, quod Quetzaalcoalt vocabant, mentionem aliquam faciendam cenſemus. Huius feſtum hoc modo celebrabatur.Quadraginta diebus antè, quàm ſacrificium fieret, mercatores, bene habitum, & omni tum macula tum plaga ac cicatrice carentem ſclauum redimebant, & eundem Idoli ſueto habitu induebant, vt eius vicem iſtorum quadraginta dierum ſpatio obiret.Priuſquam tamen his veſtibus ille velaretur, ex lacu, quem Lacum Dei nominabant, bis eum abluebant.Sclauus iſte quàm primum Idoli amictu cinctus eſſet,in ferream illicò caueam de nocte(vt ſuprà diximus)indebatur, ne quò per tenebras profugeret. Die prodeunte ſubinde è cauea exemptus, in conclaue amplum & ſpecioſum ducebatur,vt promptis officiis ſedulis,& lautis epulis honorificè ei miniſtraretur. Pranſo & bene paſto corollas floreas inijciebant, hiſque ornamentis conſpicuum magna caterua comitante per vrbis plateas ducebant. Is, quoquô itaret, tum cantibus tum ſaltibus vbiuis præſentem animum exprimebat, quaſi hac Idoli imagine non mediocriter ſuperbiret. Domos prætergredientem, accurrentes fœminæ ac liberi reuerenter ſalutabant, & nihil vel honoris vel oblationis omittebant. Nouendio prius quàm feſtum appelleret, cani duo & venerandi ſenes ex editiori templi acceſſu ad eum deſcendebant, & deuoto religioſoque vultu ipſum alloquentes, in hæc verba erumpebant: Scias Domine, poſt nouem dies tum cantus tum ſaltus tui omnino finem futurum, tibique certò moriendum eſſe. Quibus ille reſpondere prompto & alacri animo cogebatur,quod iſtius temporis felicitatem iam dudum magno gaudio votoq; tum optet tum expectet. Hunc ritum Neyôho, Maxîlt, Hêtztli, id eſt, præparationem, ipſi vocabant. Hæc verò dum fierent, obſtinatè in eum defixis oculis, obſeruabant aſtantes ſedulo, an hoc ab nuncio triſtior euaderet, nec æqua alacritate, vt prius ſaltationibus ſuis operam daret. Ipſo mœſto & animo abiectiore fors apparente, nouaculam, qua in ſacrificiis perficiendis vtebantur, continuò promebant, cuius cruorem obhærentem vnda eluentes, cruentam aquam cum Cacao & rebus aliis permiſcebāt, & potum iſtum ſclauo bibendū offerebant. Eo enim hauſto, ſclauum omniū eorum obliuiſci, quę vnquā ipſi accidiſſent, credebant. Is ergò hoc pacto ſua ſorte exemptus, porrò alterius captiui inſtar

inſtar aſſeruabatur. Nam ſubitaneam illam mactandi ſclaui conſternationem certum quoddam futuri mali augurium arbitrabantur. Quod ſi verò conſtanti vultuque ac animo is obduraſſet, commodum maximum quoddam portendi exiſtimabant. Die, feſto nuncupato inſtante, hi, qui ſacris faciendis deſtinati erant, ex adytis prodeuntes, ſimulatum Deum deuotè admodum venerabantur, & certis cantiunculis præmiſſis, illum odoramentis & ſuffitibus fragrantibus linitum, hoc modo mactabant. Ex diſſecto pectore extractum cor, Lunæ obtendebant. Id deinde in Idolum coniectabant. Cadauer verò eius, editiore de loco per ſcalas exturbatū, accurrentes mercatores tollebant, & domum deportabant. Horum qui primarius erat, ex mactato ſclauo pro feſti ſolennitate lautum prandium inſtruebat. Vbi verò dies eluxiſſet, & victima excocta eſſet, ad conuiuij feſtiuitatem mercatores vniuerſi confluebant, comprimis verò ij, qui emendis & vendendis ſclauis negotiationes agitarent. Nam quotannis horum vnum ad ſui idoli ſimilitudinem mactandum offerebant. Hoc eorum ſimulachrum in omni illa ora precipuum erat, ſicut ſuprà dictum eſt. Sed & templi, quo colebatur, mira venuſtas erat: quod nemo ingredi poterat, niſi gradibus 60. prius aſcendiſſet. Ingreſſus area admodum lata, & lapidibus pulcherrimè conſtrata viſebatur. In editioris planitiei medio ſtrues quædam, rotunda, fornaci ſimilis ſtabat. Aditus templi humilis & anguſtus adeò exiſtebat, vt curuato & inflexo corpore per eum incedendum eſſet. Ipſum templum, ſuis cellis & clauſtris, reliquorum more interſtinctum erat: in quo ſimiliter collegia tum puerorum tum puellarum alebantur. His ſingulis ſeptimanis nouus ex quatuor ſacerdotibus templi informādis iungebatur: cuius munus erat, vt de die pueros literas, de nocte verò pulſandi tympani modum doceret. Huius enim ſonitu ſub occaſum Solis homines ad preces & ſacra facienda excitabantur. Tympani verò tanta magnitudo erat, vt fremitus eius ac ſtrepitus vniuerſam paſſim ciuitatem perſonaret. Hoc audito, quilibet, qui vel in foro vel alibi verſabatur, modeſtè & tacitè domum properabat. Hoc ipſo ſub auroræ exortum percuſſo, peregrinatores in viam ſeſe dabāt. ante quod acceptum ſignum nulli per portas egredi licebat. Templo aula quædam potentiſſima vicina erat, in qua diebus feſtis, ludos, choreas, & ludicra innumera alia exhibebant. In huius aulæ medio paruum theatrum quoddam extructum ſtabat, quatuor angulis exquiſita arte incluſum, & lapidibus artatè compoſitis conſtratum. Hoc diebus feſtis ramis ac frondibus, vt & arcubus ac telis ſuffixis, varijque generis floribus ac pennis diſperſis eleganter condecorabatur. Huc ſe à prandio inferentes ludicra & ridicula quamplurima exhibebant, & iam ſurdos, iam decrepitos, iam claudos, cæcoſque ac aliis corporis partibus mutilos perſonati æmulantes, Idolo ſuo de commoda & proſpera corporis valetudine ſupplicabant. Surdi ab-

ſurda narrabant: claudi ſuas miſerias exprimebant, vt ſpectatores in riſum compellerentur. Nonnulli ſpecie formaq; venenoſorum animalium, vt ſerpentum, bufonum ac lacertarum, prodibant. Qui ſi ſibi hoc habitu occurrerent alicubi, affectato colloquio ſuas ſibi naturas ac ingenia inuicem percenſebant. His peractis, fictitios habitus excutientes, facie natiua ac habitu ſueto prodibant, ac fiſtulis concentum ſuauem modulabantur, vt harmoniæ elegantia & concinnitate ſpectatores promiſcuè vniuerſi ſuauiſſimè afficerētur. Pueri verò formas ac habitus muſcarum ac auicularum induentes, in arborum ramis ſuſſultabant. Ex templo nonnulli ſiphonibus in ſubiectos ſpectatores eiaculabantur, velut in hoſtes: qui quadam quaſi velitatiuncula congreſſuri, in duos ſe ordines dirimebant, aliis impetum facientibus, cæteris inſultum reprimentibus. Et hæc omnia additis concinnis rhythmis & dicteriis iucundiora reddebant, quibus ſpectatores longo aliquoties tempore diſtinebant. His exhibitis, cum coronidis vice tripudia aliquandiu agitaſſent, feſto finem addebant.

Cap. XXXI.

Quis hactenus de Indorum ſuperſtitionibus enarratæ varietatis vſus ſit.

QVos & quam fœdos ſimulachrorũ cultus Sathanas in India conſtituerit, hactenus longa deductione explicuimus. Quæ ſi penitius & accuratius expendantur, certas & manifeſtas ſuis contemplatoribus vtilitates haud dubio proment. Et primùm quidem quoad ipſas terras ſeu regiones illas, vtile, imò neceſſariũ Eccleſiæ Euangelicæ doctoribus cognitu eſt, quàm fœdas & ſuperſtitioſas ceremonias gens ea aluerit, vt, ſi quando eas fors oras adituri ſint, ſacrilega iſta idolomania extirpata, gẽtes de vero & Deo placente cultu commodius erudire poſſint. Et hoc fine multi iam ante de his à præſtantibus viris in lucem editi libri ſunt. Quin & prouincialium conciliorum mandato accuratum eſt, vt huiuſmodi ceremoniæ ſecundum omnes circumſtantias expoſitæ & explicatæ tum accuratè deſcriberentur, tum excuſa paſſim per omnem orbem diſpergerentur. Huius documentum apud Limanos videre eſt. Indis verò ipſis huiuſmodi enarrationes hoc vtilitatis conferunt, vt ex his lectis & repetitis, Deo Opt. Max. gratias agere, eiuſque infinita beneficia, quibus miſerrimo Sathanæ iugo exempti ſunt, in æternum extollere & collaudare diſcant. Ex iiſdem pariter intelligi poteſt execranda & ſacrilega ſtygij Plutonis tum arrogantia, tum virulentia ac impoſtura, quibus miſeræ gentis animos nimis quam longo tempore malitioſa tyrannide effaſcinatos tenuit. Is enim perpetuò Deo ſimilis fieri

fieri affectans, leges ab eo latas aut veteratoriè æmulando eludit, aut ſcelerate eaſdem peſſundat ac proculcat. Nam altera ſemper parte ſuam doctrinam vanitatibus meris ac horrendis impuritatibus, nõnunquam etiam immani ſæuitia ac crudelitate in tantum polluit & coinquinat, vt vel primo aſpectu nihil aliud ſatagere videatur, quam vt ſanam de Deo & ſalute æterna doctrinam penitus aut offuſcet, aut ex cordibus hominum vniuerſim elidat & excutiat. Cæterum, qui obſtinatas iſtas, imò cimmerias tenebras, in quibus tot opulentæ & præſtantiſſimæ regiones lõgiſſimo tempore verſatæ ſunt, & vel dum paſſim verſantur, attentius trutinat: iſte, modò micam animi Chriſtiani habeat, non poteſt Deo immortali non æternas laudes & grates ſonare, quod ſe præ miſerrima iſta gente ex tantis tenebris eripuerit, & ad clariſſimam ſanctiſſimi Euangelij lucem potenter euexerit. Vnde anſam quoque ſibi datam commodiſſimam ſciat, Deum obſecrandi & deuotè orandi, vt ſe in iſta diuinæ veritatis luce tueri & conſeruare, inque debita obedientia confirmare clemẽter dignetur, vt nimirum hoc pacto conuerſus, eos, qui in via perditionis ambulãt, ab interitu ſeria inſtitutione retrahere, & profundos diuinarum diuitiarum theſauros illis, in ſe quantum eſt, impertire queat.

Pro quibus omnibus, Patri, ac Filio & Spiritui ſancto,
ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum
Amen.

LIBRI QVINTI FINIS.

NATVRALIS AC MORALIS INDIÆ OCCIDENTALIS, HISTORIÆ,

LIBER SEXTVS.

Cap. I.

CVM hactenus de Indorum religione longum ſermonem fecerimus: materiæ ratio quodam quaſi iure expoſcere videtur, vt de eorundem moribus quoque, legibus, atque ſtatutis, quibus Res eorum tum publicæ tum priuatæ firmantur & fulciuntur, nonnihil hoc libro dicamus, idque ob cauſas præcipuè duas. Quarum prima & palmaria hæc eſt, vt friuolas quorundam opinationes retegamus & diluamus, eorum ſcilicet, quibus perſuaſum firmiter eſt, populum hunc omninò brutalem & pecuinum eſſe, nec quicquam habere, cuius merito inter homines recenſeri iurè queat. Ex qua certè temeraria perſuaſione id emerſit, vt oneribus & ſeruitutibus pluſquam humanis in principio obtunderentur, & pecudum more ad labores, viribus & neruis humanis lōgè maiores damnarentur & abſtruderentur, adeoq; omnium paſſim ludibrio ac libidini exagitandi propinarentur. Cæterum, hæc perſuaſio eò pol nocentior & damnoſior eſt, quò cum maiori iniuria & temeratione coniuncta eſt. Et purum putum hæc omnia de iis figmentum olere, ij certè locupletiſſimè teſtabuntur, qui cum ipſis aliquandiu egerunt, & ſecretorum ac conſiliorum ab ipſis promptorum vel minimam quandam notitiam aſſecuti ſunt. Vt non ſimile vero, ſed ipſa veritas ſit, eos, qui ſcabioſè adeò & nimis diſſolutè de Indorum brutalitate & ſtupiditate nugantur, omnibus brutis brutaliores & bardiores omninò exiſtere. Cui noſtro pronunciato in ſequentibus capitibus tam firmum ac ſolidum fundamentum ſubſtruemus, vt omnis perplexandi & ambigendi occaſio naſutis iſtis intercludatur & obſepiatur. Nam ad nocentiſſimam illam eorum opinionem retundendam, commodiore medio nullo vti poſſimus, quàm ſi hoc libro perſpicuè & ex ordine proponamus eos Indorum mores ac leges, ſecundum quas, cum ſui adhuc iuris eſſent, omninò vixe-

vixerunt,&politiam ſuam moderati ſunt.Et licet inficiari non queamus ſimpliciter,quod in aliquibus vitam barbaricam exegerint: pleraque tamen ſua, ea ſolertia iuxtà ac prudentia moderati ſunt, vt in plurimis meritò ſuſpiciendi nobis fuerint.Sed& in haud paucis,quo ad ingenium ac induſtriam,ipſos nos multis(quod aiũt) paraſangis anteuertiſſe certiſſimum eſt. Quod autem & in his nonnunquam ab exquiſitæ iuſtitiæ norma nonnihil deflexerint : id vſque adeò nouum aut mirum non eſt: cum idem quoque olim legiſlatoribus ac philoſophis ſummis,vt Lycurgo & Platoni vſu venerit :quo in cenſu nõnullæ quoq; aliàs optimè & accuratiſſimè inſtitutæ Reſpub.vt Romana & Athenienſis connumerari poſſint , quorum ſtatuta multis ludicris confuſa fuiſſe ſcimus. Quod ſi quidem Ramanorũ aut Græcorum ſeculo de forma ac ratione Mexicanorum aut Ingarũ Rerumpub.quid vſpiam compertum fuiſſet : earum certè ſub limitatem ac moderationem haud mediocriter admirati fuiſſent.Rerum quidem ignari aliqui, qui ſua ſomnia potius ſequuntur, quàm vt ipſi veritati propius aſtipulentur,id credunt ac perſuaſum habent,Indos ferarum modo in montanis captos,ſeruitutis hoc iugum meritò ſubiiſſe.Qui verò conſiliorum , morumque ac imperiorum ab ipſis agitatorum conſcij ſunt,his ſententia longè alia ſtat, oppidoque admirantur, inter ipſos tot prudentes,peritos ac induſtrios viros repertos fuiſſe.Qui hæc penitius &diligẽtius attẽderũt, ex illis primarius eſt Polus Ondegardus, quẽ in rerum Peruenſium cõmentatione autorẽ ſequimur. Huic ſimilis eſt alter Ioannes de Touar, qui eccleſiæ Mexicanæ beneficiarius extitit,quem in deſcriptione geſtorũ Mexicanorum æmulamur.Sed & noſtro ſeculo quidam ſocietatis Iesv iuſſu ac mandato Viceregis Don Martin Henriques ex annalibus Indorum vetuſtis horum plurima collegit & edidit. Alios hic taceo, viros eximios & præſtantes, qui paſſim de optimo Reipub. apud Indos ſtatu literarũ monumentis editis abundè teſtati ſunt.

Cauſa verò ſecunda,propter quam de ritibus & moribus Indorum commentari aggreſſi ſumus , hæc eſt, vt eorum exemplis quodammodò informemur,de Rebus tam publicis quàm priuatis commodè,ſapienter ac ſolidè inſtituendis.Nam in rebus, verbo & regno Chriſti haudquaquam aduerſis,omni iure leges & ſtatuta ſua pro legitimo iure municipali tueri & retinere poſſunt. In quibus verò, ab expreſſo Dei verbo vel minimũ deflexerunt, defectionem eam multiplices illico errores ſecuti ſunt. Ad ſummam enim diuinæ iuſtitiæ regulam,vniuerſam exquiſitiſſimo rigore quadrare fas erat.Vnde fit, vt inter nos,qui ad accuratam ſeueri Dei iudicis iuſtitiam omnia expendimus,& illos,qui traditiunculis ſuis in quamplurimis autoritatis nimium tribuunt,tanta diuerſitas & diſcordia gliſcat.

Cap.

Cap. II.

Quibus faſtis ſeu Calendariis Mexicani vſi fuerint.

IAm verò, vt, quæ diximus, certis rationum momẽtis firmemus: à partitione temporum, Indis vſitata, exordium ducemus. Hinc enim, ceu cõfidimus, eorum induſtriæ & prudentiæ documenta haud vana elucebunt. Annum Mexicani in menſes 18. diſtribuebant, cuilibet menſi 20. dies aſſignantes. Quorum vniuerſa putata ſumma dies 360. conſtituet. Superſtites dies quinq;, quæ completo anno deerant, nulli menſium peculiariter inſerebant, ſed eaſdem ſeorſim notantes, dies anni vacuas ſeu abundantes nominabant, quibus nec vllum opus faciebant, nec ſacra vlla viſitabant, ſed temporis fallendi cauſa congrediebantur, & ludicra agitabant, ſacerdotibus ipſis quoque à faciendis ſacris feriantibus. Intercalaribus his exactis nouum anno initium dabant, cuius menſem primum à florum & frondium germinatione inchoabant. Februario ipſorum æquè ac noſtro tres dies deficiebant. Nam calendæ ipſorum Ianuariæ in noſtri Februarij diem 26. incidebant: ſicut id ex faſtis illorum publicis liquet, quibus noſtra ſupputandi ratio mira arte comprehenſa videtur. Hos his oculis noſtris viſos, conſideratu omninò digniſſimos arbitrati ſumus, vt ex quibus accurata quædam logiſmi ratio, & numerandi dexteritas ſingularis emicet. Cuilibet mẽſi ſuum peculiare nomen, character, ac ſignum attribuitur. Id plerunque à feſto, quod eius menſis primarium eſt, deſumitur, vt & à variatione aliqua inſigni, quæ illo anni tempore incidit. Feſtis porrò ſingulis definiti, iique perpetui dies deſignabantur: & cuiuſlibet ſeptimanæ dies 13. numerabantur. Vnaquæque dies rotundo & paruo aſteriſco poſito indicabatur: & à 13. noua ſubinde numeratio fiebat, ab 1. ad 2. 3. 4. &c. Integer annus in quatuor partes, quatuor ſignis ſeu figuris inſignitas dirimebatur. Figuræ autem erant, prima Domus: ſecunda Cuniculus: tertia arundo: quarta fulmen. His ſignis anni quadrantes partiebantur & notabant, & ſecundum hæc eoſdem denominabant. Rota verò ſeu orbita, qua hæc omnia definitè ita deſcripta erant, quatuor ſeptimanas continebat. Cuiuſlibet ſeptimanæ anni 13. erant. Qui collecti 52. annos ſtatuebant. In rotæ medio ſol pictus, quatuor tranſuerſas lineas in ambitum pertingentes emittebat, qui illis in quatuor partes æquales diuidebatur. Spatium quodlibet, lineis duabus interiectum peculiari ſuo colore interſtinctum erat. Colores erant, viridis, cæruleus, ruber, & croceus. Nihilominus tamen vnum quoduis horum ſpatiorum peculiaribus 13. lineis aliis quoque ceu particulis ſeorſim diſſeparatum videbatur. In margine anni geſta adnotabantur. Sic, quo die & menſe Hiſpani in Mexico ingreſſi eſſent, ſedulò conſignatum

tum vidimus. Tempori ſignato virum quendam Hiſpanico habitu purpureo depictũ allocabant. Ea effigies Hernandi Certês, qui primus ibi impreſſionem fecerat, cenſebatur. Annis 52. quibus orbita finiebatur, exactis, rem miram & ridiculam factitabant Indi. Nam in dicti anni nouiſſima nocte, vaſa ac fictilia, quæ habebant, omnia confringebant, & candelas extinguebant, & cum fine orbitæ orbis quoque finem fortaſſe fore, perſuaſum habebant. Itaq; vt vel ederẽt, vel biberent, vel vaſa aſſeruarent, fruſtraneum iudicabant, & in tenebris iſtis integram noctem exigebant. Interim tamen nihilominus ſedulò pro luce videnda matutina excubabant. Ergò ſi diſpulſis tenebris auroræ comas micantes videbant, mirè ouantes, tibiis, tympaniſque ac tubis, & inſtrumentis ſimilibus, recens natum gaudium teſtabantur, dicentes, Deum aliam adhuc orbitam, 52. annos complexam, clementer elargitum eſſe. Eo pacto nouum annum redinchoabant. Mane verò nouos ignes, à ſacerdotibus ſilicibus elicitos accipiebant, & vaſa ſibi ac fictilia recentia, quibus ad rem familiarem opus erat, denuò comparabant. Poſteà etiam proceſſione publica inſtituta Deo veluti gratias agebant, quod nouiter illuceſcere paſſus, annos & orbitam nouam ipſis largiſſimè indulſiſſet. Et hæc eorum ſeptimanas, mẽſes, annos ac circuitus numerãdi ratio & modus erat.

Cap. III.

Quo modo Ingæ ſuos annos ac menſes numerauerint.

IN hac Mexicanorum ſupputatione, quam in hominibus literarum vt maximè ignaris nõ poſſumus non laudare, is comprimis error notabilis eſt, quod non ſecundum mẽſes annum, nec menſes ſecundum Lunæ facies metiri ſoliti ſint. Qua certè in re Peruenſes Mexicanis præſtiterũt. Totidem enim nobiſcum dies anni illi numerabant, quos in duodecim menſes æquos quoq; partiebantur, & in quos ſuperſtites dies vndecim æqualiter diſpenſabant. Porrò ad exactam anni ſupputationem hanc induſtriã adhibebãt. In montanis illis, vbi Cuſco (quæ Regũ Ingarum ſedes primaria, & regni vniuerſi theſaurorũ ac ſacrorũ veluti quędã Conda fuerat, ob id iure merito altera Roma vocata) clarebat, columnæ 12. certis interuallis ex ordine diſtantes, viſebãtur defixæ. Harũ quæuis peculiarẽ mẽſem ſignabat, ea nimirũ parte qua ſol vel oriretur, vel occumberet. Pilæ illæ Succanga nominabãtur: per quas ſimul & dies feſti, & tẽpus ſationis, & meſſis, aliaq; ſimilia demonſtrabãtur. His ſuo pro more ſacra quoq; facere ſolebant. Cuilibet menſi propriũ ac peculiare tũ nomen tum feſtũ dabatur, & à Ianuar. anni initiũ fiebat. Quẽ tamen Ingarũ quidã, Pachacuto, ideſt, reformator tẽporum, mẽſe Dec. deinde exorſus eſt, hac de cauſa, quod ſol à Tropico, quem admodum vicinum habebant illic, tum temporis reuerteretur.

An his populis de anno quoq; biſſextili quid conſtiterit, nullis rerum indiciis colligere poſſumus: etſi, qui id affirment, non deſint. Quas Mexicani ſeptimanas numerabant, tales verè non erant. Nec enim ex ſeptenis diebus conſtabant. Nec etiam earum apud Ingas, cōmunis nobiſcum diuiſio fuerat, cum nō æquè ad ſolis conuerſionem, aut Lunæ renaſcentiam, aut ſupputationē Hebræorū, quam ab initio conditi mundi, atteſtante Moyſe fecerant, accommodari aut applicari poſſent. Hi planetarum nominibus, quæ Græcis & Latinis vſitata erant, ſuas ſeptimanas denominabant. Quæ omnia etſi apud nos longè exquiſitiore & perfectiore norma diſpoſita ſint: de hominibus tamen iſtis nec libros nec literas vllas noſcētibus, meritò id admirandū videtur, quod annum, feſta, & tempora primaria tanta induſtria & ſagacitate diſpoſuerint, ſicut à nobis hactenus recēſitū eſt. *Gen. 1.*

Cap. IV.

Nationem apud Indos nullam eſſe, quæ literis vtatur.

LITERARVM primo inuentarum iſte finis fuit, vt horum medio & ope, quæ verba alias lingua proferuntur, ſcriptis definiantur & deſignentur. Verba verò vt philoſophus ait, pro hominū in mente cōceptis reb. ſonant. Sic ergò tum vox tum literę diuino beneficio nobis datę ſunt, vt vox pręſentib. literę verò abſentib. & poſteris, res geſtas aut agendas expediant & manifeſtent. Solis verò imago, & rerū ſimilium aliarū ideæ ac ſigna, etſi quidem deſcribantur, literæ vocari tamen minimè poſſunt: ſed ſunt picturæ & prototyporum quædam expreſſiones. Quas qui primi condiderunt, non vt voces ederent, perficere quidem conati ſunt, ſed hoc tantum voluerunt, vt rerum quædā muta ſimulachra eſſent. Hoc modo aſtrologi ſuos planetas, Martem, Venerem, Iouem, &c. puris ſignis, non literis præſentāt. Signorum enim ea ratio ac natura eſt, vt à quacunq; gente vel natione ſiue Itala, ſiue Gallica, ſiue Hiſpanica exprimantur, vnā ſemper faciem ac ſpeciem, charactere nihil mutato retineāt. Id quod literis minime cōpetit. Hæ etenim à ſolis illis intelligūtur, qui linguæ ſeu idiomatis iſtius, cuius propriæ literæ ſunt, gnari & callentes ſunt. Id exemplis manifeſtius fiet. Hebræus ſiue Græcus qui eſt, quid vocabulum ſol ſit aut ſignificet haud quaquā intelligit, cū vox ea Latinorum propria ſit, & Hebræis ignota, prout ſonat, & literis pingitur. Alio ſchemate ſi ſol exprimatur, imago ſeu effigies, nō literæ erit, & ſic vel ab Hebræo vel Græco intelligetur. Ex his duo præcipue notanda veniunt. Vnum eſt, hiſtoriarum & antiquitatum memoriam tribus modis condi ſolere. Primò literis, vt Hebraicis, Græcis, Latinis ac ſimilibus. Secundò imagunculis ſiue ſignis, qualia paſſim omnibus nationibus ac populis vſitata fuerunt. Qua etiam cauſa in Concilio Nicæno imagines Laicorum libri vocantur. Tertiò cifris ſeu characteri-

cteribus arithmeticis: vt 1.2.3.100.1000.&c. Alterum obſeruandum, eſt hoc, nullam apud Indos vſpiam nationem ſcriptura ac literis, ſed meris ſchematis ſeu figuris ac cifris vſam fuiſſe. Cum Indis verò præter Peru ac nouæ Hiſpaniæ incolas, magnam quoq; Iaponiæ & Chinæ partem includimus. Quæ dicta hactenus, etſi nonnullis fictitia videri poſſent, cum locupletes aliquot Bibliothecas in Iaponia & China inuentas eſſe compertum ſit: verum tamen nos dixiſſe, ex poſterioribus porrò abundè quoq; intelligi poterit.

Cap. V.

Quibus libris ac literis Chinenſes vtantur.

QVAMPLVRIMI etiam ex peritioribus perſuaſum habent, Chinenſibus non minus ac nobis Europæis literas pingēdi vſum familiarem exiſtere, quæ à noſtris non differant ratione alia, quàm qua Latina à Græca, & Hebraica à Chaldæa diſcrepet. Sed reuera hæc non ita ſe habent. Nec enim Alphabethū aut definitas literas habent, nec numeratis characteribus vtuntur: ſed omnis eorum ſcriptio cifris & imaginibus perficitur. Tum & ſigna eorum, non vocum collectiones faciunt, verum res ſaltem peculiariter ſubſiſtētes, nudè indicāt, vt ſunt, ſol, ignis, Homo, mare, &c. Etſi enim Chinenſes plurimis iiſque diuerſis idiomatis vtantur: ſolita tamen ſigna eorum intelligere poſſunt, etiam definiti Idiomatis omninò ignari, non ſecus ac numeros noſtros Arithmeticos tā Galli, ac Hiſpani & Arabes callent ſapiuntque. Character enim 8. in qualibet lingua octo indicat, etſi alio modo ab Hiſpanis ac item Gallis enuncietur. Sicut ergò apud Chinenſes res infinitæ ſunt: pari quoque ratione ſchemata ſeu figuræ, rerum indices, infinitæ exiſtunt. Hinc fit, vt qui è Chinenſib. legere ſatagunt, quales Mandaryni, id eſt, primates ſeu Gubernatores ſunt, ad minimum 85000. cognitis figuris opus habeant. Qui verò lector perfectus haberi vult, illum imaginū 120000. promptiſſimam notitiam habere omninò oportet. Et hæc quidem talia quidam fide digniſſimi ex ſocietate IESV nobis teſtati ſunt, qui perdiſcendæ illius ſcripturæ ſtudio decennij integri totis noctib. ac diebus fatigati ad completam induſtriā tamen ne dum conſcenderunt. Atque hæc palmaria quidem cauſa eſt, cur docti in tanto apud Chinenſes pretio verſentur, cum legendis literis diuturni ſimul & graues labores impendendi ſint. Docti huiuſmodi & literati viri omnia paſſim munia ferè ſoli obeunt. Nam ex iis & Gubernatores, & Iudices, & bellorum Duces, ſimileſque alij plurimi creantur. Ad literarum ergo cognitionem ſedulo ſuos filios parentes adhortantur. Et ludi, quibus inſtituantur ac informentur, paſſim frequentes ſunt, quibus diſcipuli tanto rigore & pertinacia docentur, vt ne noctu quidem à ſtudiis feriari auſint. Qui ſtupidiores aut ſegniores ſunt, loris flagriſque cæduntur acriter. A Mandarynis hoc ſtudium

nomen ſortitur: cui perſæpe vniuerſa hominis ætas impendenda eſt. Præter hoc ſciendum etiam eſt, huius idiomatis longè aliā rationem eſſe, ac apud nos latinæ vel græcæ ſit, quas ſoli literati callent aut legūt. Nam Chinenſium ſcriptura ab omnib. promiſcuè finitimis nationibus approbè intelligi poteſt. Qui etſi quidem ipſas voces, quas Chinēſes enunciant, non intelligāt, nihilominus tamen ſignorum quibus res ipſæ denotantur, perſpicuam notitiam habent: veluti ſuperius ſimile quoque de numeris arithmeticis protulimus. Hinc etiam fit, vt Iapones & Chinenſes litteris quidem, ſed non viua voce colloqui ſciant. Qui ſi quæ legerent, voce exprimerent, certè ſenſus mutuos venari aut captare minimè poſſent. Et hæc librorum ac literarum in China vſitatarum ratio eſt, iam paſſim per totum orbem decantata. Typi chalcographici nihil aliud, quam figuræ quædam ſunt, quas tabulis ligneis incidunt. His Papyri, quod placet, folia exprimunt aut excudunt, nō ſecus, ac apud nos figuræ æneæ aut ligneæ vt vocant, eduntur.

Sed hoc loco ſcrupuloſior quiſpiam rogaturus eſt, qui fieri poſſit, vt animos ſenſuſque ſuos per figuras exprimant, cum tamen vna eademq; figura diuerſæ res minimè deſignari poſſint. Exempli cauſa, ex depicto ſole, diuerſa ominari omninò quis poſſet, ſolē nimirum vel calefacere, vel moueri, vel diem facere, vel turbidum eſſe. Præter id & caſus, ac coniūctiones, & articuli, linguis & ſcripturis vniuerſis aliis familiares, nullo peculiari ſchemate præfigurari poſſunt. Sed his pro reſponſo reponimus, eos punctis, virgulis ac ſignis peculiaribus hunc defectum omnem abundè explere poſſe. Interim tamē id perceptu difficile eſt, qua arte nomina propria, maximè verò rerū peregrinarum, ac antè nuſquam viſarum, figuris vſitatis carentium deſcribere poſſint. Cuius quidem rei, cum in Mexico ageremus, quoddam periculum fecimus. Quendam enim doctorum rogabamus, vt ſua lingua hæc verba redderet ſcripta: Ioſephus de Acoſta ex Peru venit. Quod antequam Chinenſis faceret, diu quidem profundè meditabundus aſtabat, ſed tādem quod petebatur ita ſolerter exarabat, vt apprimè quadraret ſcriptura propoſito. Eadē enim vel in diuerſis linguis lecta idē ſonabat, niſi quod non in nominib. propriis eadem aut vniformis dialectus audiretur. Ea verò deſcribendi hunc modū adhibebāt. Nomen propriū aſſumentes, rem quampiā ex omni medio diligenter inquirebant, quæ ſua lingua cū nomine iſto omnium maximè cōſonaret. Huius ergò figurā loco nominis ponebāt. Cum verò difficile ſit rē nomini iſti vndiquaq; ſimilem inuenire: hinc ipſa quoq; propriorum nominū ſcriptura perſæpè difficilior fit. Id quod Patri Alonſo Sanches ante cæteros accidit. Qui cum in China agens ab vno Mandarynorū ſubinde ad aliū abduceretur, vix tandē omnes illi magno labore & profunda meditatione nomen ſollicit atacommeatui ipſius inſcribere potuerunt.

Hæc

Hæc Chineſium literarũ ac ſcriptionis ratio ac modus eſt: quib. Iaponenſes in omnibus ſimiles exiſtunt. Quanquam de his narrent, quod omnium nominum etiam propriorum ſcribendorum peculiarem artem aut induſtriam, cum per Europam vagati eſſent, didicerint. Nihilominus tamen maxima ex parte ſignis ac figuris pro literis vtuntur, quemadmodum & de Chinenſibus commemoratum eſt.

Cap. VI.

Quæ Academiæ, quæ ſtudia in China floreant.

QVI è China Ieſuitæ redierunt, hi nullas Academias aut inſigniores ſcholas, quæ artes ac Philoſophiam profiteantur, ibi repertas eſſe atteſtantur. Vniuerſum eorum ſtudium hoc eſt, vt in lingua Mandaryna, quę difficilis admodum & longi temporis eſt, continenter addiſcenda verſentur, & probè exerceantur. Ea verò lingua nihil aliud, quam res geſtæ, ſectæ, iura ciuilia & municipalia, fabulæ & adagia moralia, ac figmenta his ſimilia alia continentur ac traduntur. Gradus ac dignitates ſuas metiuntur ex cognitione linguæ patriæ, & tum ciuilis tum diuini Iuris ſcientia. In ſcientiis naturalibus docendis certa & artificioſa Methodo nulla vtuntur, ſed nudis ſaltem propoſitionibus, pro cuiuſque magiſtri arbitrio conſtitutis, res tradunt ac docent. Sed & Matheſeos longo vſu & accurata ſtellarum errantium obſeruatione quandam ſibi ſcientiam compararunt. Quin & Medicinæ haud mediocriter gnari ſunt. Penicillis in ſcribendo vtuntur, quibus libros quamplurimos exarant. Iidem & ludos ſubinde ac comœdias populo exhibent: quibus cum maiori pompa agendis, ampla ac feſtiua theatra erigunt. In eum vſum etiam pulcherrimas veſtes aut amictus, & campanas, & tympana, & alia ſimilia parata habent. Narrant Ieſuitæ, quaſdam ſe comœdias exhibitas vidiſſe, quæ 10. vel 12. tum diebus tum noctibus continuis duraſſent, dum omnes tandem ſpectatores, tædio ſenſim diffluentes, è loco diſparuiſſent. Eæ ſcenis ac actoribus pluribus plerumque conſtabant: quorum dum hi, agendo occuparentur, cæteri ſomnum ac quietem captabant. In illis verò plerumque moralia tractabantur, illuſtribus Ethnicorum exemplis perpetuò adumbrata & firmata. Ex quibus iam iterum liquet, ſagaces admodum & induſtrios eſſe Chinenſes, etſi in artibus ſublimioribus non vſque adeò exculti & ſubtiles exiſtant. Nam omnis eorum induſtria in legendo & ſcribendo ferè poſita eſt, & non ex literis, ſed infinitis infinitarum rerum ſignis ac ideis, ſudoribus & vigilijs immenſis addiſcendis conſtat. Quorum ſtudia etſi ad ſummũ euecta venerint quidem: intus tamen Peruenſis aut Mexicanus vnus, qui legendi ac ſcribẽdi peritiam habet, quolibet Mandaryno etiã peritiſſimo doctior ac perfectior exiſtit. Nam

Indus 24. literis, artatè iunctis & compoſitis, omnia vocabula ac verba, quæ vſpiam in omni orbe reperiantur, tum legere tum deſcribere poteſt: cum econtrà Mandarynus, vel 100000. figuris inſtructus vix magno labore nomen Martnij ſiue Alonſo exarare poſſit. Taceo de iis vocabulis ſcribendis, quæ nec nouerunt, nec quid ſignent, compertum habent. Vt veriſſimum ſit, Chinenſes longe plures figuras ac Cifras, quàm literas habere.

Cap. VII.

Quæ Annalium in noua Hiſpania vſitatorum ratio fuerit.

QVi in noua Hiſpania habitant, antiquitates plurimas cognitas habent. Sed hiſtorias & res geſtas mira arte recondunt. Etſi enim non æquè, ac Chinenſes Iaponique ſeduli ac induſtrij ſint: nullo tamen literarum, quibus ſuo more maiorum geſta ad poſteros commententur, genere deſtituuntur. In prouincia Iucatan, quà Epiſcopatus Honduras eſt, libri ſunt reperti, quorum folia certa forma complicata & colligata videbantur. In his Indi, tum diuiſiones temporum tum planetarum motus, vt & animalium ac rerum naturalium aliarum naturas proprietateſq;, vnà cum rerum geſtarum exemplis, operoſa diligentia deſcripſerant. Cum verò concionatorum quiſpiam ad populum ſubinde vociferaretur, libros eos merè magicos & nigromanticos exiſtere, adeoque, vt vniuerſim collecti exurerentur, vrgeret: facilè, quod voluit, impetrauit. Quod tamen factum non Indi ſolum, ſed ipſi quoque Hiſpani, vt qui terræ illius ſecreta & abdita vehementer ſciturirent, paulò poſt grauiſſimè doluerunt. Similia & cum rebus aliis, à popularibus noſtris temerè ſuperſtitioſis creditis, commiſſa fuerunt. Quo factum eſt, vt vnà cum libris omnem rerum antiquarum memoriam, multis aliàs vſui futuram, extirparint. Quæ tamen temeritas ipſorum à mera ignorantia & barditate, qua pro ſuperſtitioſis indiſcretè vniuerſa habebant, enata profluxit. Quos ſanè libros, qui ſobrio & attento animo euoluiſſet, ex illis certè quamplurima, obſeruatu digniſſima excerpſiſſet. E ſocietate quidam, vir doctiſſimus & peritiſſimus, in prouincia Mexico, quondam ſeniores vniuerſos ex Tuſcuro, Tulla, & Mexico congregauerat, & collatione de variis habita in familiaritatem ſe eorum inſinuauerat. Huic, ipſi poſteà ſuas Bibliothecas, ac annales, faſtoſque, ſpectatu certè digniſſimos, vltrò videndos offerebant. Sed figuris ac notis Hieroglyphicis res vniuerſæ eorum hoc ferè modo conſignatæ erant. Quæ res, certas & definitas imagines ſua natura habebant, eas poſt figuras ſuas locabant. Quarum verò nulla natiua ſpecies erat,

illas

illas peculiaribus aliis excogitatis characteribus deſignabant, momento temporis addito, quo quæque res geſta eſſet. Hæc vero omnia in rotas ſeu orbes conferebant, quorum quilibet vnum ſeculum, id eſt, annos 52. complectebatur. In orbitarum harum marginibus, ſuprà dictis imaginibus ſeu characteribus res eas depingebant, quæ quotannis fieret. Supra indicem ſeu gnomonem ſigni, tempus inſtans monſtrantem, pictus vir quidam eminebat, cuius caput intectum pileo, thorax vero tunica manicata rubea cinctus videbatur: qua imaguncula annum eum, quo Hiſpani primum in Indiam ingreſſi ſint, intendebant. Eodem modo & res cæteras exprimebant. Cæterum, cum ſufficientes rebus vniuerſis imagines aut characteres non haberent, nec characterum etiam ea, quæ noſtrarum literarum, vis eſſet ac facultas: ſcripturæ eorum nō tam verborum numero, quàm ipſius ſenſus æqualitate concordabant aut conueniebant. Sed & interdum orationibus ac variis cantibus, à Rhetoribus ac poëtis fictis, vtebantur. Cum vero prædictas notas Hieroglyphicas ac ſigna vniuerſa comprehendere admodum arduum eſſet: ideo multū laboris Mexicani impendebāt in hoc, vt pueri inſtituendi orationes illas ac poëmata fideliter memoriæ mandarent. Hunc in vſum ſcholas, collegiis ſiue Gymmaſijs ſimiles, quibus tenera puerorum ætas, his vel illis diſciplinis informaretur, fouebant. Semel autem percepta pueri tam firma plerumque & pertinaci memoria tenere ſolebant, vt eadem non ſecus ac in libris deſcripta perfectè aſſeruarent. Pleræque nationes hoc imprimis ſatagebant, vt filij eorum in præceptis Rhetoricis exercerentur, cui ſtudio attentiſſimè plerumque vacabant. Poſtquam vero ab Hiſpanis in India diutius agentibus, Indi nouis literis legendi & ſcribendi artem edocti fuiſſent, geſtorum ſuorum multa commentaria edebant, cum ſingulari gaudio ac admiratione à magnatibus Hiſpanis plurimis lectitata. Et quidem, qui Mexicanorum hiſtoriam euoluit, is nullo labore facile deprehendit, merum eam Hiſpanorum commentum eſſe, non ipſorum Indorum collectionem. Inſuper & orationes nonnullas imaginibus & characteribus deſcriptas habent. Hoc modo, Pater noſter, Aue Maria, & Symbolum fidei Indicis ſignis cum certa admiratione expreſſa conſpicati ſumus. Nam verba hæc, Ego peccator confiteor, ita reddebant, vt Indus quidam, ante Clericum in genua demiſſus, confitentique ſimilis conſpiceretur. Dei loco, tres facies diſtinctas, ſingulas impoſitis coronis cōſpicuas, & trinitatem ſignantes, ponebant. Virginem Mariam & ipſam, ſua effigie exprimebant, corpus nempe dimidiū, infantem vlnis geſtans. Diuum Paulum ac Petrum duobus depictis capitibus coronatis, additiſque gladio & clauibus, repræſentabant. Hoc artificio vniuerſam confeſſionis normam expreſſam reddiderunt. Deficientibus alicubi imaginibus characteres ſubſtituebant iis ſimiles, quibus rebus ſe peccaſſe ſcirent. Ex quibus

certè

certè ſingularis Indorum ſagacitas & induſtria videri poteſt. Hos enim precatiunculas & fidei articulos exprimendi modos non ab Hiſpanis didicerunt, quorum ipſimet ignari erãt: ſed ſuo Marte, eorum, de quibus inſtituti erant, appropriatos characteres fingebant ac pingebant. Huiuſmodi imaginibus ac ſchematis quandã confeſſionem vniuerſorũ promiſcuè peccatorũ expreſſam ac deſcriptam vidimus. Quin & ipſe decalogus eadem arte redditus erat: cuius ſingulis præceptis ſigna quædã, Cifris ſimilia, addebantur, peccata in ſpecie contra vnum quoduis præceptum admiſſa, deſignantia. Certò nobis perſuaſum eſt, quod ſi Hiſpanorum alicui ſimile quid ſuis ſignis exprimendi negotium daretur, non vno, ſed vix decem annis confectum accurare opus valiturus ſit.

Cap. VIII.

Qua ſupputandi & numerandi ratione Indi Peruani vtantur.

PERV accolæ Indi ante Hiſpanorum in Indiam ingreſſum nullis vel literis vel characteribus, vel cifris aut imaginibus, ſicut Chinenſes & Mexicani, vti ſolebãt. Rerum tamen geſtarum ac antiquitatum nihilominus obſeruatores tenaciſſimi erant, & tum bellorum, tum pacis tempore, imperiorum ſuorum ſtatum præciſè annotabant. Hæc verò mutuis traditionibus veluti per manus factis continuabant, iunioreſq; à ſenioribus acta velut rem diuinam creditam accipiebant, & eadem ſuis poſteà etiam ſucceſſoribus fideliter communicabant. Quæ videbantur memoriam effugitura, eadem imaginibus maioribus, Mexicanorum more, conſignabant. Partem tamen maximam per Quipos obſeruabant. Sunt autem Quipos veluti codices rationum, aut libri memoriales, ex loris ſeu funiculis conſtantes, quorum tum nodi tum colores varias & diuerſas res indicabant. Quo ingenio, quam multa ſimul ac ardua comprehenderint, dici haud ſatis queat. Vniuerſa ſiquidem ea, quæ nobis de geſtis, legibus, ceremoniis ac negotiis populorum libri nunciant & expromunt, per Quipos ipſis exactè & perfectè ſuppeditabantur. Quibus fideliter & accuratè cuſtodiendis ſingulares quoque officiarij deputabantur, qui vel hodiè Quipocamayo nominari ſolent. Et horum munus erat, vt conſulti de omnibus rebus reſponderent, non ſecus ac apud nos Notarij faciunt: quibus fidem derogare vel in maximo vel minimo nefas erat. Quipos verò ſeu funiculi illi pro diuerſis rebus, diuerſæ erant materiæ. Alij enim bellorum, alij Rerumpubl. alij tributorum, alij regionum rituum indices erant. Faſciculi alij maiores, alij minores nodulos continebant. Ipſa quoque intorta fila aliàs rubra, aliàs viridia, nonnulla cyanea, quædam candida, ac ſum-

matim colorum plurimorum & diuerſorum exiſtebant: ex quibus, non ſecus, ac ex 24. diuerſis literis vario modo compoſitis vocabula nos infinita condimus, ſic ipſi Indi ex nodulis diuerſis, plures ac varias res concinnabant, ac veluti deſcribebant. Præter Quipos verò ex filis innexos, alios quoque ex globulis ſeu lapillis conſtantes modos habebant, quorum diſpoſitione vocabula ediſcebant. Et hoc ſpectatu non indignum erat. Qui ſeniores fuerant, ex vna corolla, Pater noſter (precationem dominicam) ex alia Aue Maria, vel Symbolum, vel quicquid aliud facili labore addiſcebant: approbeque nôrant, quinam lapis hoc, deſignet: Conceptus de Spiritu ſancto; & quis illud: Paſſus ſub Pontio Pilato deſignaret. Quod ſi errata alicubi admiſſa emendare volũt, citra riſum ſpectator nunquã aſtabis. Correctionis tamen alium modum non habent, quàm vt ex ordine lapides ſingulos exactius inſpiciant. Quipos verò etiam genus tertium ex granis Maijs parati habent, id quod rudius videri aliquibus tamen poſſit. In rationibus enim grauioribus confuſi, & quantum cuique debeatur, ambigentes, granis multiplicibus diſpoſitis & congeſtis rem finiunt: quorum huc vnum, illuc tria, & ſic ſecundum proportionem plura pauciorave conijciunt, iam hoc ex cumulo granum vnum dementes, & alij addentes, ac iam tria, quatuor, plura, permutantes. Et hac numerandi ratione tam agiles plerumque ac expediti ſunt, vt ſpectãtibus res ingenti admirationi ſit. Hoc ergo modo cum numerandarum rerum vſquequaq; peritiſſimi ſint: an ratione & diſcurſu valeãt, vel pecudum inſtar bruti ſint, cuiuis facile liquet ac euidens eſt. Nobis hoc certò conſtat, quod in pleriſq; quibus ſtudium aliquod impendunt, nos longis ſpatiis exuperent aut anteuertant.

Cap. IX.

Qua Indi ſcriptionis ſerie vtantur.

NON in tranſuerſas lineas Indi ſuas literas ſeu characteres depingunt, ſed aut ſecundum longitudinis ſeriem deorſum, aut in orbem ſcribendo procedunt. Latini quidem ac Græci à læua verſus dextram literas ducũt, quẽ & nos morem tenemus. Hebræi verò ductu contrario à dextra in ſiniſtram tendentes, libris ſuis ibi initium dant, vbi nos eos inchoamus. Chinenſes autem nec Hebræorum nec Græcorum more ſcribunt: ſed ſecundum folij longitudinem à parte ſuprema deorſum procedunt. Siquidem cum minimè literis, verum integris verbis, à quolibet charactere perfectè deſignatis rem agant: vt illi literarum more connectantur, minimè opus eſt. Cæterum Mexicani nec tranſuerſim, vt Græci ac Hebræi, nec deſuper, vt Chinenſes, verùm ab inferioribus ad ſuperiora procedunt. In rotulas verò ſeu orbes ſigna ſua depicturi à centro, vbi Solis facies videbatur, ad ambitum ſeu extremita-

tem contendebant. Vt hoc modo quatuor diuerſi ſcriptionis modi exiſtant: vnus, qui fit à dextrà verſus læuã: alter, à lęua verſus dextram: tertius à ſummis deorſum: poſtremus ab infernis ſurſum. Vnde, quantoperè conſiliis & ingeniis euarient homines, clarè liquet.

Cap. X.

Quo inſtructu Indi ſuos nuncios amandarint.

SED ſcriptionis materia iam omiſſa, aliò diuertamus. Non autẽ incommodè ab aliquo quæri hîc poſſet, quî factum ſit, vt cùm Indi nec noſtro more ſcribendarum, nec etiam aliô mittendarum literarum commoditatẽ habuerint, nihilominus tamen regnorum ſuorum, quæ & plurima ſimul ac ampliſſima habebant, ſalutem ac proſperitatem accurare ſciuerint. Sed hi cogitent & ſecum repetant, quod ſignis ſuis ac figuris characteribuſque non minus ac nos noſtris literis, rerum & cogitatuum omnium Indi expeditiſſimam ſignificationẽ expromere potuerint. Cui eorum ingenio, curſorum etiam celeritas mira, haud parum commodare quiuit. Hi enim à teneris pernicitati magno ſtudio incumbebant parandæ. Eligebantur autem iſtiuſmodi ferè homines, qui citra anhelationem & defatigationem euidentem curſim editiſſima ſcandere loca poterãt: ſicut ſuperius de pueris Mexicanis narrauimus, quorũ quaterni primi, gradus templi exſuperantes, amplis donis ac muneribus præ cæteris affici ſolebãt. Sub feſtum Capacraîme Orionum quiuis in Cuſco magna pernicitate montem Inacauri conſcendere properabat. Et Indi quidem omnes in vniuerſum curſu ſe ſedulò exercebant olim, quod & iam faciunt. Res grauiores ſi quæ aliô denunciandæ forent, eas Mexicani tabulis aut chartis depingebant, ac per ſuos ad amicos proferri curabant. Quod idem tum quoque faciebant, cum naues Hiſpanicas, ad occupandam Toponchan ſeſe adornantes, primò conſpicati eſſent. Et curſorum in Peru quidem magna plerumq; autoritas erat. Ingæ inſuper Reges, in omnibus ſuis regnis atque prouinciis emiſſarios peculiares, Chaſquis dictos alebant, de quibus ſuo loco dicere conabimur.

Cap. XI.

De formis Imperiorum apud Indos: & de eorum Regibus.

NEMINI vnquam dubium fuit, quin ex forma Rerumpublic. & imperiorum, quæ nationes Barbarę ſint, vel minus, ſemper æquiſſimo iudicio æſtimari potuerit. Quô enim plus humanitatis & æquitatis oſtendunt: eò tum ſplendidiores & beatiores cenſentur, ac minus ſibi ambitionis ac faſtus arrogant. Vnde fit, vt Indorum

dorum

dorum Reges ac domini ſimpliciores ac ſubmiſſiores dominantibus aliis viuant, ſubditoſque ſuos longè æquius tractent, agnoſcántque, ſe illis ipſius naturæ iure nihilo ſuperiores, ſed potius aliquanto inferiores omnino exiſtere, ſibique ceu publicis miniſtris ciuium ſalutem vniuerſam curæ cordique eſſe debere. His verò omnino contrarium Barbari factitant, qui plerumque inſolenter & tyrannicè ſe gerunt, pecudum loco ſuos ſubditos habentes, & ab iis pro diis coli ac æſtimari ſatagentes. Quorum improbitate olim multæ nationes Indorum offenſæ, reges ac dominos ſuos vi exegerunt, ac communi iure libertateque fruentes, ſolis bellorum tempeſtatibus ſibi duces & præfectos conſtituerunt, quorum dictis tamdiu morem gerebant, dum officij ratio poſceret. Munere ceſſante, ad libertatem deinde priſtinam redibant. Et hoc ferè modo noui orbis pars maxima gubernabatur, cuius reges ac principes rarò ſucceſſionis iure, ſed plerumque populi ſuffragiis creari ſolebant. Nec tamen hoc de vniuerſis Indiæ partibus intelligi indiſcretè volumus. Sunt enim populi, qui tum dominos tum principes ſuos agnoſcunt, viros plerumque ſtrenuos, & propter virtutes bellicas laudatiſſimos. Huius generis quoque prouincia Chile eſt, cuius primates, Auricani & Tucapeli, tot annis contra Hiſpanos bella geſſerunt. Eiuſdem etiam claſſis ſunt, vniuerſa prouincia ac regnum Granada, Guatimala, cum inſulis Florida, Braſilia, Luçon & Philippina, aliiſque terris plurimis & ampliſſimis. In nonnullis tamen harum non omnino nulla vel dum gliſcit barbaries. Quidam enim populi ſunt, qui ægrè ſuperiores agnoſcunt admittuntque, ſed ferè vniuerſa, promiſcua autoritate ac conſilio moderantur, pro lubitu & libidine iuſſa condentes, ſtatumque Reipublicæ tractantes: ac vim pro conſilio habentes, ita ſaluti publicæ præſunt, vt fortiſſimus quiſque regnum ferè inuadat, & infirmioribus ſuæ tyrãnidi ſubiectis, malitioſi arbitrij iugum plerumque imponat. In Orientali quidem India regna quædam, vt Sian, Biſnagar, & cætera tam potentia ſunt ac ampla, vt poſcente caſu 200000. milites è ſui medio lectos in aciẽ producere poſſint. At China tamen, huiuſmodi regna vniuerſa tum magnitudine tum potentia longè ſuperat, cuius reges 2000. annis continuis regnaſſe ferũtur: quod vni eorum moderationi & induſtriæ acceptum ferri debet. In occidentali verò India duo ſaltem firma & durabilia regna inuenta ſunt: Mexicanum nimirum in noua Hiſpania: & Inganum in Peru. Quorum vtrum præſtãtius ſit, in ambiguo eſt. Quo ad ædificiorum aulæque ſplendorem ac maieſtatem, Moteçumæ quidem regnum Peruenſi præſtabat. Verum diuitiis, opibus ac theſauris, vt & prouinciarũ amplitudine ac antiquitatũ multitudine Ingæ Mexicanis longè præeminebant. Nam Ingarũ regnum, iſthoc quoq; vetuſtius erat. Laude quidem bellica, & partis victoriis, pari me iudice paſſu ambulant. Omninoq; certũ ac compertũ eſt, bina hęc regna, cæteris omni-

bus in vniuerſum prouinciis, in nouo orbe inſignioribus, tum bona Reipubl. forma, tum potentia ac opibus, comprimis verò ſuperſtitionibus quoque ac fœdis idolorum cultibus, celebriora & præſtantiora extitiſſe. Porrò etſi geminorum horum regnorum ſua in quibuſdam æqualitas eſſet: inter ſeſe tamen haud modica quoque diuerſitate diſtabant. Mexicani ſiquidem regni moderatores ſuffragiis & electione creabantur, ſicut idem in Romano quoque imperio fieri ſolet. Sed in Peru, defuncto Rege, regnum in proximum hæredem aut conſanguineum deuoluebatur, velut in Hiſpania ac Gallia fieri ſcimus. Sed de dictis his binis optimis regnis, deinceps nobis fuſius & prolixius commemorandum eſſe videtur.

Cap. XII.

De Imperio Regum Ingarum in Peru.

INGARVM quodam in Peru defuncto, legitimus hæres filius, quem vxor eius primaria (Coya vocabatur) peperiſſet, regno ſuccedebat. Coya verò plerumque Regis illius ſoror erat. Apud Peruanos etenim Reges ſorores proprias pro vxoribus habere, frequẽs admodum ac ſolenne erat. Porrò etſi Ingæ cum aliis quoq; concubinis rem haberent, vnius tamen Coyæ filius regnum hæreditate ſortiebatur. Et tamen nihilominus, ſi quis Regi germanus frater ſupereſſet, is filio præferebatur, & fratri defuncto omnino ſuccedebat. Ab hoc porrò regnum in patrueles promouebatur. Idem ſucceſſionis ius in aliis quoque officiis ſimiliter Curacas ſeu Primates ſequebantur. Defuncto Regi pompoſæ admodum ac ſumptuoſiſſimæ ceremoniæ fiebant. Huius ſucceſſor, relicta à defuncto bona ac theſauros attingere minimè audebat, ſed rem ſibi familiarem peculiarem ac propriam accurabat, ac aurum argentumq; de nouo vndecunque ſibi corradebat. Opes autem illæ relictæ, vniuerſæ in Guacam ſeu Sacellum defuncti Regis conferebantur, quibus poſteà omnes Regis miniſtri ac poſteri alebantur, vt qui perpetuis officiis ac miniſteriis illi veluti Deo cuidam deſeruientes, ſacrificia & ceremonias quotidianas exhiberent, & memoriam eius æternam colerent. Et hæc cauſa erat, cur infiniti in Peru theſauri colligerentur. Ingarum ſiquidem quiuis hoc vnum attentius agebat, vt theſauros vberrimos conquireret, quibus ab obitu ſuo poſteri ac miniſtri magnificentius alerentur & ſuſtentarentur. Poſſidendi verò ac occupandi regni ſigillũ rubeus ex lana globus ſeu villus erat, pulchritudine ipſum ſericum vincens. Is Regis è medio occipitio ſuſpendebatur, nec præter eum quiſquam alius tali inſigni vti audebat, cum inſtar coronæ aut diadematis Regij paſſim ab omnibus æſtimaretur. Primatibus tamen regni cæteris villum huiuſmodi ex capitis altero latere iuxta auricu-

auriculas ſuſpenſum geſtare, nullo vetante licebat. Villo hoc à Rege accepto, feſtum ſolenne illico magnis & ſumptuoſis ceremoniis ac ſacrificiis confiebat. Ad cuius ſolemnitatem augendam conferebantur, vaſa tum aurea, tum argētea, & pretioſiſſimi panni ex Cũbi texti, variæque ex mari allatæ algæ, ac pennæ ex auibus nitidiſſimæ, vt & oues mille variis & diſtinctis coloribus inſignes: quæ vniuerſa pro ſacrificio offerebantur. Sacerdos verò templi primarius, & miniſtri reliqui, quẽdam puerum ſex vel octo annos natum arripiebant: quem cùm Idolo Viracochæ obtendiſſent, hæc ferè verba edebãt: Domine, ſacrificium hoc tibi iam offerimus, vt noſtræ trãquillitatis tutor ſis, vt bellorum tempore nobis auxilio venias, vt nouũ Regem noſtrum Ingam, autoritate, maieſtate ac potentia augeas, & eundem prudentia, induſtria, conſiliis ac felicitate bees, quo perpetua proſperitate vſus, regnum pacatè & tranquillè gubernare queat. Et his ceremoniis omnis ex vniuerſo regno populus cohabitare ſolebat. Ab eo tẽpore, vniuerſi Regem ſingulari amore proſequi incipiebant, & ſummis officiis ei accuratè præſtitis obſequebantur: ita, vt nemo quiſquam vnquam contra eum rebellionem mouiſſe aliquam inuentus ſit. Cæterum ipſi quoque Ingæ, non ſaltem potenti manu ac robore regnum creditum adminiſtrant, ſed iuſtitiam quoq; accuratiſſimam exercent, nec cuiquam vel in minimo vim ac fraudem fieri patiuntur. Solent præterea Ingæ diſtantioribus prouinciis ſuis idoneos Gubernatores præficere: quorum nonnulli præter Ingam, ſuperiorem nullum agnoſcunt: alij verò his quoq;, ceu mediis, morem gerere ſolent. Et hoc modo omnia eleganti ordine in regno conſtituta erant. Ad regni felicitatem ſtabiliendam viſum Ingis commodiſſimum erat, vt Indi perpetuis laboribus aſſuefierent, ne quo fors otio torpidiores aut ignauiores euaderent. Vnde infandis laboribus tot tamq; latæ & expeditæ viæ patefactæ & paſſim conditæ viſuntur. Si quam aliquando prouinciam belli iure occupaſſent, è populo iſto potentiores & eminentiores (Mitimas vocabant) ſecum in aulas ſuas abducebant, & horum loco alios ex Cuſco, comprimis verò Oriones, qui veluti belli Duces ex illuſtri proſapia plerunq; oriundi fuerant, ſufficiebant. Facinoroſi rigida & exquiſita plectebantur pœna: nec minore hi, qui patratorum facinorum conſcij erant. Qua vna certè re Rei ſuæ publicæ autoritatem & ſplendorem latè cumulabant.

Cap. XIII.

Qua induſtria Ingæ ſuos ſubditos diſtribuebant.

CIVES ac ſubditos ſuos Ingæ hoc pacto diſtribuebant, vt regi & coërceri quàm facilimo labore poſſent, etſi regni fines ad 1000. milliaria extenderentur. Quamprimum aliquam prouinciam occupaſſent, cõtinuò ad eam Rempubl. gubernandam Indos ordinabant, & indigenas velut in decurias ſecernentes, ſingulis Indum vnum, qui iuſſa daret, præficiebant. Ea quoque proportio centenorum & millenorum erat. Et his qui hoc modo præfigebantur, Huno nominabantur, quorum dignitas & autoritas inſignis erat. Cæterum cuilibet prouinciæ peculiaris ex Ingarum familia Gubernator dabatur, cui vniuerſi parere, & rationem omnium reddere cogebantur. Rationes autem dabantur tam eorum quot quouis tempore obiiſſent, quam quot recens nati eſſent: vt & pecorum, agrorum, & ſimilium. Gubernatores huiuſmodi quotannis ex Cuſco mittebantur, qui eodem ad regem deinde ſub feſti Rayme celebrationem redeuntes, regni cenſus ſeu vectigalia vnà ſecum apportabãt. Extra illud enim tempus, nemini horum in aulam aditus patebat. Omne porrò regnum in quatuor partes Tahuantinſuyo dictas dirimebatur, nimirum in Chinchaſuyo, Collaſuyo, Andeſuyo & Condeſuyo. Et hæ ita à quatuor illis plateis inſignibus, è Cuſco, vbi aula regia & omnis regni congregatio vigebat, ducentibus, denominabantur. Quatuor hæ tum plateæ, tum regni partes, verſus quatuor mundi cardines portendebãtur: quarum Collaſuyo auſtrum, Chinchaſuyo ſeptentrionem, Condeſuyo Occidentem, Andeſuyo verò ortum principaliter ſpectabat. Omnis eorum multitudo duplici populo conſtabat, Hananſaya ſcilicet & Vrinſaya, id eſt, ſuperiore & inferiore. Ex his, ſi aliquando ad regem vſus gratia cohortes aliquot vocabãtur, Decurionibus aut præfectis, quot nimirum decades ex qualibet prouincia mitti deberet, prius iniũgebatur. Ea verò electio, non Arithmetica, ſed Geometrica proportione fiebat, prout cuiuſq; terræ ratio ac conditio poſceret. Ea etiam ratio in aliis obſeruabatur. Exempli gratia. In publicos vſus ſi Maiis 100000. modij conferendi eſſent: tunc regio hæc partem decimam, altera ſeptimam, alia quintam & ſic conſequenter fundebat: quod frumentum poſteà in Reſpubl. Decurias & Aillos ſiue familias diſtribuebatur. Has verò rationes æquo reſpectu ita ſupputabant illi, qui Quipocamayos dicti, ærario publico curando præfecti erant, & funiculis ſeu filis nodoſis, quæ cuiuſlibet Indi portio eſſet, dinumerare exquiſita induſtria poterant.

Cap. XIV.

Quam artem Ingæ in ædificiis ſtruendis tenuerint.

DOMIBVS ſuis,ac caſtellis,templis,viis, agris & ſimilibus extruẽdis colendiſq; Ingæ labores impenderunt grauiſſimos & ærumnoſiſſimos, id quod vel hodiè ex ruderibus,in Cuſco, Tiaguanaco, Tamboq; conſpicuis videre licet. Nam in his locis tam immenſæ molis lapides viſuntur, vt nec qua arte exſcindi, nec collocari iungique potuerint,captu facile ſit. Cum quoquo verſum in Cuſco regno Inga ampliſſima ædificia ac caſtella extructurus eſſet, ex omnibus regionibus artificum numerum quammaximum accerſiuit, qui miras & anteà non viſas domos ex calce opere admirando extruxerunt.Hi quibus lapides ſculperent, nec ferrum nec æs, nec vlla ex his parata inſtrumenta quidem habebant: & tamen ex illis ſaxis tanta induſtria ac ſolertia domos coagmentabant,vt iuncturarum meta nullius etiam perſpicaciſſimi oculis peruideri facilè poſſet.In Tiaguanaco lapidem quendam vidimus,30.pedes longum, 18. latum,& 6.craſſum.In caſtelli apud Cuſco muris inſerti lapides ſunt, priore longè vaſtiores & grandiores:quos & ipſos ſuis artifices manibus immiſerunt. Qui etſi haud quaquam forma angulari exciſi ſint, ita,vt vnus alteri exactè congruat;calce tamẽ interiecta eoſdem tam artatè & exquiſitè iungunt aptantque, vt vnio oculos fallat. Sed ad hos iungendos multorum ope manuque vtuntur. Vt enim exactius quadrent, ſuſtollendi ſæpius atque iterum demittendi ſunt. Operarij, qui ingenti multitudine confluebant, huic vni ferè rei operam nauabant. Verùm enimuerò, etſi hæc quidem ædificia ampliſſima exiſterent: nullo tamen propè ordine ac ſerie legitima extructa viſebantur, ſed Meſquitis confuſis quadantenus ſimilia erant. Domos ſuas nullis condere fornicibus norant. Sed nec cum cæmento calcem miſcere ſciebant.Cum aliquando fluuius Xauxa fornicibus pro tranſmittendo ponte ſuper inſtructis integeretur: accidit, vt cum opere abſoluto fulcra lignea remouerentur, Indi certatim aufugerent, veriti,ne ſtructura, quæ ex grandibus lapidibus conſtaret, vniuerſa corruat & in ſeipſum concidat.Cum verò eandem firmiter ſtantem, & tranſgreſſos Hiſpanos ſuſtinentem cernerent,Caçique ſiue dominus loci ad aſtantes ſibi dixit: Nos ſanè horum meritò ſerui ſumus, qui ipſius ſolis filij exiſtunt. Pontes verò, quibus Indi vtebantur, ex congeſtis iuncorum ac ſtraminis manipulis conſtabant, quos funibus,ex vndarum littoribus fortiter vtrinque deligabant & firmabãt. Ligneos verò aut lapideos pontes in ſolidum neſciebant. Vadum ſeu tranſitus maris Chicuito in Collao tam profundus eſt, & latus, vt nec ligneo nec lapideo ponte vllo ſuperinduci poſſit.At tamen nihilominus

lominus eius tranſmittendi artem, ſtraminis ope meditantes, ſucceſſum valdè felicem ſenſerunt. Iuncorum enim (Totora vocantur) faſciculos iungebant ac connectebant, quos ipſe maris motus ad ripam oppoſitam proferebat. Super hos deinde ex littoribus firmiter vtrinque redeligatos ſecuro paſſu incedebant, & flumen nullo periculo, multi vnà peruadebāt. Et hoc genus pontis multò nobis commodius videbatur, quam quod à Seuilia in Trianam porrigeretur: cuius longitudo 300. paſſuum erat. Huius tranſitus profunditatem ſtupendam & inæſtimabilem eſſe prædicant: cuius quidem ſuperior vnda placidiſſima, præruptis infernè vorticibus ac abyſſis ſęuiſſima ac periculoſiſſima ſit. Sed hæc de ædificiis, & eorum ratione dicta ſufficiant.

Cap. XV.

De Ingarum cenſu, reditibus ac tributis, quæ Indi pendere coguntur.

DIVITIAS Ingæ inæſtimabiles colligebant. Etſi enim à ſuorum anteceſſorum relictis theſauris patrio iure omninò arcerentur: vniuerſorum tamen vniuerſi regni incolarum bona ſuis quaſi in manibus ac poteſtate habebant, ita, vt facili opera ingentem vim, auri, argenti, pannorum ac pecorum vndecunque compararent. Vis tamen & neruus omnis Ingarum opulentiæ erat ciuium ac ſubditorum perfecta obedientia, qua regi ſuo indiſcretè in omnibus expeditiſſimi parebant. Si quid in quadā prouincia ſingulare nanciſcebantur, id ad regis theſauros illicò conferebant. Et prouincia quidem Chichæ fragrantia illis ligna ad multiplices vſus promebat. Lucana verò curſores agilimos, & lecticarum gerulos induſtrios mittebat. Chumbibilcas verò ſaltatores & hiſtriones exercitatos miniſtrabat. Hoc pacto, quicquid cuilibet prouinciæ ſingulare erat, id vnà cum tributo quotannis ad regem mittebatur. His verò, qui fodinis auri ac argenti præerāt, Rex commeatum quotidianum ſaltem accurabat. Vnde fiebat, vt in vno regno tam numeroſi & ingentes theſauri colligerentur. Sunt qui pro comperto affirment, Hiſpanos, cum primum Indiam inuaſiſſent, vix decimā theſaurorum partem nactos fuiſſe: quod Indi partē maximam ante faciem Hiſpanorum ſecretiſſimis locis abſcondiſſent. Ipſis verò Ingis videbatur, operas à ſubditis exactas, illorū potius felicitatem quam ſeruitutem indicare. Tributa hoc ferè modo numerabantur aut diſpenſabantur. Quamlibet prouinciam deuictam, Ingæ in tres partes dirimebant. Parti cuilibet ſui reditus aſſignabantur. Primi verò Religioni & Deorum cultibus impendebantur, ita vt Pachayachachì (is creator erat) & ſoli & Chuquillæ ſiue Tonitrui, & Mortuis, aliiſque

Qua-

Quacas ſiue fanis, ſua cuilibet terræ portio cederet, cuius fructibus tum ſacra fierent, tum ſacerdotes ac miniſtri alerentur. Quælibet verò Guacas ſuos ordinarios miniſtros Indos habebat. Redituum verò pars plurima in Cuſco, vbi cultus Deorum omnium maximus vigebat, inferebatur: etſi nullus alias pagus ſuo Guacas ſeu delubro, in quo iidem cum Cuſcano ritus ac ceremoniæ colebantur, etſi inter ſeſe nonnunquam 200. milliarium interuallo diſtarēt, deſtitueretur. Quæ in campis ſerebantur, meſſis deinde tempore collecta, in horrea congerebantur: de quibus tributi vicè regi plurima erogabantur, etſi præciſè omnium ſummam recenſere hoc loco minimè queamus. Aliis tamen in locis plurima, in nonnullis pauca, in aliquibus vniuerſa collecta templis ac Deorum cultui cedebant. Et huius ſortis quæ erat terra, fideli & diligenti opera excolebatur. Pars terræ altera pro Inga ipſo ſeruabatur, ex cuius reditibus, ſuos cognatos, ac primores, ciuitatumque excubitores & milites, ac miniſtros cæteros ſuſtentabat.

Hos verò reditus prioribus longè vberiores & opulentiores fuiſſe, vel ex inſpectis granariis aut horreis publicis colligere licet, quorum longitudo ac latitudo longè maior & capacior, quàm Guacas viſitur. Et hi reditus vel in Cuſco, vel alia loca, vbi caſtra Regia cubabant, conferebantur. Quod ſi conuecti huius commeatus nulla tum temporis indigentia eſſet, in granaria publica congerebantur omnia, & ad plures annos aſſeruabantur. Et hanc Ingæ terram omnes promiſcuè citra exceptionem colebant ſedulò. Quod dum facerent, veſtes frequenter pretioſiores induebant, & in Ingarum ac Guacas honorem, cantilenas ac modulos concinnos ſonabant. Quandiu verò huiuſmodi operæ fierent, tam diu qui laborabant, aut ab Inga, aut à ſole, aut à Guacas, vt quorum fundi agrique colerentur, cibos ac commeatum accipiebant. Ab hoc verò colendorum agrorum penſo, tum ſenes, tum ægri, tum viduæ exempti & immunes erant. Porrò verò, etſi quidem hi agrorum fructus aut in Ingæ aut ſolis aut Guacas vſus conferrentur: ipſi tamen fundi agrique ab auito iure Indorum proprij erant. Tertia verò terræ pars ab Inga inter plebem diuidebatur. Quæ, an Ingarum aut Guacas partibus maior minorue fuerit, in dubio quidem eſt. Talis tamen ac tanta fuit, vt ex ea indigenæ ſibi victum ſufficientem parare potuerint.

Sed tertia hæc portio nullius euadebat propria: nec quicquam fundi proprij poſſidebant Indi, niſi id ſingulari Ingæ indultu impetraſſent. Tum & eadem bona non hæreditario iure in poſteros trāſferebantur: ſed quotannis quaſi de nouo diſtribuebantur, ac vnicuique, quanto ad vxoris & liberorum ſuſtentationem opus eſſet, impertiebatur. Si quo anno ſors alicuius res familiaris aut liberis aut ſeruis auctior reddita fuiſſet, tum eidem pro menſura ordinaria plus

ſundi quoque conferebatur. De his verò cenſus nulli alij reddendi erant, quam vt Guacas & Ingarum terræ excolerentur. Quibus annis ſteriles agri nihil fructus promebant; iis ſubditi ex publico granario, quo commeatus ſemper abundabat, cibabantur. Porrò Ingæ pecora non minus ac agros inter populum diſtribuebant, quæ & ipſa in tres partes ſecernebant: quarum vna ad Guacas, altera ad Ingas, tertia ad ciuitates ac populos ſpectabat. Huic diſtributioni venatores quoque intererant, qui fœminam nullam ex pecude abigi aut occidi permittebant. Ipſius verò Ingæ ac Guacas greges, admodum numeroſi erant, ac Capaellamas vocabantur. Plebis verò grex minor, ob id Guacchallamar appellabatur. Pecorum quidem curam Inga attentam & ſedulam gerebat, cum eadem regno cuiuſdam theſauri loco eſſent. Fœminę eorum nec in victimas, nec alios vſus adhibebantur, nec venationum quoq; damnis proſtabant. Si quod armentũ ſcabie obſideretur, illud viuum defodi ſolebat, ne cohabitatione ſua cæteras quoq; pecudes inficeret. Lanigerarum pecudum tonſura ordinario quotannis tempore inſtituebatur, & de lana collecta tãtum vnicuique appendebatur, quantum cum ſuis liberis ac domeſticis nere aut in fila cogere poſſet. Qua in re ne fraus fieret, ſedulò cauebatur. In dolo præhenſi, pœnas luebant grauiſſimas. De Ingarum lana panni texebantur, tum pro ipſo, tum pro aliis cognatis ac miniſtris neceſſarij. Præter hos certum quoq; genus Cumbi, admodum nobile, & ex vtroque latere nitidiſſimum, confiebat. Prius verò genus rudius ac vilius erat, ac Abaſca nominabatur. Huius quidem panni nullus numerus aut menſura ſciebatur: ſed, quantum quiſq; lanæ accepiſſet, tantũ texebat. Diſtributione viritim facta, quicquid lanæ ſupererat, id in horrea ſeu condos publicos congerebatur. Hinc factum erat, vt Hiſpani in Indiam ingreſſi, eius maximam copiam paratam inuenirent. Et hæc tam prouida rerum omnium diſpoſitio ac gubernatio meritò nobis omnibus admirationi eſſe debet. Etſi enim Indi haud quaquã Chriſtiani eſſent, tamen bonis natiuis promiſcuo quaſi iure vtebantur, & comprimis Regem ac Religioſos neceſſariis omnibus cumulabant.

Cap. XVI.

De officiis & opificiis, quæ Indi exercent.

PERVENSES Indi comprimis etiam hoc ſtudio rei ſuæ felicitatem auctiorem faciebant, quod quiuis à teneris artem quandam ac opificium, humanæ vitæ commodum addiſceret. Quæ apud nos mechanicæ quidem artes frequentiores ſunt, vt ſartoria, ſutoria, textoria, & ſimiles: has non admodum curioſè ſectabantur: ſed eam quiſq; artem potius addiſcebat, quam ſibimet ipſi ex

vſu fore cenſebat. Itaq; textoriæ comprimis operam dantes, pannos ſibi domi proprios ſinguli parabāt, quibus, rege Inga etiam nihilum expromente, commodè veſtirentur. Sed & colendorum agrorum peritiam captabant: vt ad hanc rem nullis conductis mercenariis opus haberent. Præterea domos quoq; ſibimet extruebant proprias, cui rei ſuas ipſæ mulieres operas etiam conferebant: quæ nullo otio aut mollitie educabantur. Cætera verò opificia, quæ humanæ vitæ non abſolutè neceſſaria putabantur, à magiſtris peculiaribus exercebantur. Et huius generis erant, aurifabri, pictores, figuli, nautæ, arithmetici, muſici, ac ſimiles. Sed & è textoribus, & tignariis magiſtri erant peculiares aliqui, qui ſuas operas primatibus locabant. Quantum tamen cuilibet priuato domi ſuæ opus erat, id ipſemet accurabat, nec mercede pacta alium facile extraneum admittebat. Quiſque ſibi tum veſtes tum calceos ſuebat, ac ædes condebat, & agros conſerebat, & metebat eoſdē, & quæ alia rei familiaris opera erant, exequebatur. Porrò quoq; vitam admodum ſobriam & continentem agebant: vnde poſteà quoque ad puram S. Euangelij doctrinam acceptandā eo habiliores ac procliuiores erāt. Indi etſi veſtitu admodum ſimplice vterentur: nihilominus tamen in eo diſcretos ordines ac modos obſeruabant. Capitū comprimis ornamenta de dignitate & gradibus eorum teſtabantur. Horum enim nonnulla floccorum more intorta & inflexa erant: quædam latiora capillis obiter ſaltem inuoluebantur: alia pileolis acutioribus, alia rotundioribus & latioribus, nonnulla cribrorum extremitatibus ſimilia erant. Et vt hi habitus, à quouis pro perſonarum reſpectu ſedulò ac diligenter obſeruarentur, publico edicto ſanciebatur, ne per omnē prouinciam quiſquam temerè ſuum habitum mutaret, licet in alia quidem loca abſcederet. Id enim Inga ad commoditatem & ſalutem Reipubl. plurimum facturum perſuaſum habebat. Qui mos vetuſtus vel dum hodie quoque, etſi remiſſius & ſomnolentius, ibidem obſeruatur.

Cap. XVII.

De Curſoribus & Chaſquis, Ingæ mandata exequentibus.

CVRSORES ac veredarij iniuncta Ingarum mandata per omnia regna incitatiſſimo curſu Gubernatoribus expediebant: & horum reſponſa ad regem feſtinantiſſimè quoque referebant. Hi Chaſquis ſiue internuncij in Tobo duabus exilibus ædiculis habitabāt. Indorum autem curſorū quatuor primarij ſingulis menſibus in omnia loca quoquo verſum emittebantur: qui certam metam emenſi, aliis ſubinde Chaſquis, iam in procinctu ſtantibus, mandata ſua imponebant, ſingulis 24. horis, milliaria Hiſpanica

50.exſuperantes, etſi viarum pars maxima aſpera, inexpedita & difficilis exiſteret. Hi cum reſponſo res quoq; eas Ingæ referebant, quibus eum delectari comprimis norant. Sic breuiſſimo tempore in Cuſco piſces inferri marini poterant, etſi locus à mari 100. milliaribus diſſideret. His Chaſquis Hiſpani nonnunquam vtebantur, quoties aut ſeditio aliqua aut alia rerum inopia oborta eſſet. Don Martin viceRex ordinarios veredarios, qui omnia mandata confecta darent, in ſingula quatuor milliaria diſpoſuerat. Quod quidem iſtius regni beneficium ac ornamẽtum maximum eſt, etſi hi curſores non æquo cum prioribus & curſu & numero conueniant. Stipendia horum ampliſſima ſunt, & æquo cum Hiſpanis præmio merent. Hi ſingulis quaternis aut quinis milliaribus faſciculos literarũ nouis curſoribus inſerunt ac committunt.

Cap. XVIII.

De Iuſtitia, legibus ac pœnis, apud Ingas conſtitutis, ac de eorum coniugiis.

NON minus, ac ij, qui in bellis aut aliis officiorũ mandatorum adminiſtrationib. probos ſe ac ſtrenuos vigilanteſque præſtiterunt, cæteris ignauioribus ab Ingis longè præferebantur, ac tum prouinciis, tum inſignibus ac coniugibus, è ſtirpe Inguram regia prognatis donabantur: Sic contrà, rebelles, refractariiq; ac inobedientes graui ſupplicio plectebantur. In homicidas & fures capitalis pœna decernebatur: vt & in adulteros, inceſtuoſoſque, ſiue in linea aſcendente, ſiue deſcendente aut recta peccatũ cõmiſſum eſſet. Apud ipſos tamen adulterium nõ erat, vt nec inceſtus, ſi quis pluribus concubinis perfrueretur. Tum nec fœminis, aliis permixtis inuentis, pœna vlla irrogabatur: ſed id ſaltem adulterij vimq; nomẽq; habebat, quoties quiſpiam cum alterius legitima coniuge congreſſus depræhendebatur. Harum verò quiuis maritus vnicam tantum habebat, quam peculiaribus quoque ceremoniis hoc ferè modo pactoque ſibi iungere ſolebat. Sponſus ad Spõſæ ædes, eam ſecum domum ductum contendens, Otoiam ipſius pedibus innectebat. Otoia verò peculiare calcei genus eſt, iſtis locis familiare, ac Hiſpanicos Alpargates, deſuper retectos & hiantes, æmulans. Sponſæ verò virgini Otoiam ex lana induebant. Si virgo non eſſet, ex ſparto paratam Otoiam iniiciebant. Ipſi verò omnes aliæ fœminæ miniſtrabant, & honorem exhibebant. Hoc apparatu in ſponſi ædes recipiebatur. Quibus maritus obiiſſet, hæ integro anno pullis veſtibus amiciebantur, nec ante anni elapſum cuiquam alium virum inducere licebat. Et fœminæ quidẽ maritis plerunque iuniores erant, Gubernatoribus ac præfectis ſuis Inga propriis manibus ſponſas adductas

ductas iungebat. Caçique verò cæteri in ciuitatibus ſuis tum iuuenes, tum puellas vno loco cogebant, & eoſdem quos vellent ibidem publicis ritibus iungebant. Hoc modo viro adducta mulier, ſi pòſt in adulterij crimine depræhenderetur, vnà cum adultero ſuo capitali pœna citra moram plectebatur. Et licet ipſe quidem maritus mulieri crimen remitteret ac donaret, nihilominus tamen vindicta publica in eam obſeruabatur, quę ipſam tamen vitam non attineret. Idem rigor erga inceſtuoſos quoque intendebatur, quoties quis vel cum matre, vel auia, vel filia, vel filiorum liberis nefariè permiſceretur. Cæteros quidem cognationis gradus quod attinebat, hi omnes nullo probro mutuo copulari ſolebant, primo ſaltem gradu excepto. Sororem ſuam ducere nulli licebat: nec hoc matrimonium apud quenquam laudatum erat. Peruenſium quamplurimi turpiter hallucinati ſunt, dum arbitrarētur, Ingis ac primatibus alijs proprias ſorores ducere vxores licere, etſi quidem tam ſponſus quam ſponſa, ab iiſdem parentibus in vno matrimonio prognati eſſent. Sed indubitatis ex rerum indiciis conſtat, hanc permixtionem omni tempore fœdam ac inceſtuoſam habitam fuiſſe, ac coniugium huiuſmodi ad ea vſq; tempora ſeuerè vetitum ac interdictum extitiſſe, dum tandem Topa Inga Yupanguy pater Guauiacapæ, & auus Atagualpæ, cuius regnantis tempore Hiſpani in Indiam primò irruerunt, rerum potitus eſſet. Is Topa Inga Yupanguy veterum ſtatutorum religione excuſſa, legitimam ſuam ex vtroq; parente ſororem Mamoello ſibi vxorem fecit: & hanc inſuper perditam legem condidit, ne quiſquam alius præter Ingas ſororem pro vxore haberet. Huic natus filius Guainacapa erat: vt & filia Coya Cuſſilimay. Hi vt vnà matrimonio iungerentur, iam moriturus ſeuerè mandabat, iubebatque, vt hoc exemplum magnates reliqui quoque imitarentur. Quod tamen coniugium, veluti cum ipſa naturæ lege pugnabat: ſic diſponente Deo viciſſim fiebat, vt ex eo qui ſuſciperentur filij, quales erant Guaſcar Inga, & Atagualpa Inga, cum vniuerſo regno ipſimet quoque breui tempore pòſt interirent & excinderentur. Cęterum, de Indorum Peruenſium matrimoniis, qui vberius inſtitui volet, is tractatum illum, quem Polus poſtulanti Don Hieronymo de Loayſa condidit, huiuſmodi quamplurima complexum euoluat. Eo enim edito, multorum hominum errores detecti ſunt, qui, quæ Indornm legitimæ coniuges, vel concubinæ ſaltem eſſent, internoſcere non poterant, adeò, vt baptiſatis deinde Indis perſæpè genuinas, coniuges auferrent, & concubinas relinquerent. Ex eodem quoque tractatu nec eos quicquam fundamenti habere liquet, qui cenſent, coniugium, vel à fratre ac ſorore ſemel initum ac confirmatum, perpetuò deinceps ratum manere debere: cuius tamen contrarium in Synodo Limenſi decretum eſt: cum & ipſis Indis huiuſmodi coniugium non valdè probaretur, aut honeſtum videretur.

Cap. XIX.

De Ingarum, in Peru Dominorum natalibus, ac eorundem victoriis ſeu trophæis.

IVssv ac mandato ſereniſſimi Regis Philippi, de Ingarum natalibus, cultibus religioſis & iuribus, inquiſitiones accuratiſſimæ inſtitutæ ſunt. Quod tamen ideo præſtari difficilius potuit, quia Indi non more noſtro litteris res & geſta ſua conſignare ſoliti fuerunt. Nihilominus tamen ex Quipos ſiue Regiſtris ipſorum, quæ librorum loco habebant, horum nonnulla indagine curioſiore captari potuerunt. In principio autem ſciendum eſt, ante vetuſta tempora nec Reges nec Dominos vllos in Peru floruiſſe, ſed eoſdem communi populi opera regnum adminiſtraſſe, ſicut id & hodiè in regno Chile, & cæteris prouinciis ferè omnibus ab Hiſpanis in India Occidentali occupatis (regnum Mexicanũ excipio) fieri aſſolet. Sed gubernandi regni tres ferè modi Indis vſitatiores fuerunt. Prima ac optima, Regia ſeu Monarchica gubernatio erat, qualem & Ingæ, & Moteçumæ inſtituerant, etſi ijdem nonnihil tyrannidis permiſcerent. Altera adminiſtrandi ratio per tribus ſeu communiones fiebat, vbi multorum conſilio & arbitrio res gerebantur. Quibus hoc moderaminis genus placebat, hi bellorum ſaltem tempore præfectos creabant, quibus vniuerſæ prouinciæ morem præſtarent. Bellis confectis, res ad tribus iterum deuoluebantur: in quibus ſemper viri præſtantes & cordati cluebant, qui à plebe impenſius colerentur & honorarentur. Rebus itaq; grauioribus incidentibus, in commune cõcilium coacti, quid facto præcipuè opus eſſet, ſeriò deliberabant. Tertia regnãdi norma merè Barbarica & immanis erat. Hi enim nec leges, nec reges, nec ſedes conſtantes vllas habebant. Et ſicut certis è documentis colligere poſſumus, Indorum pars maxima hoc dominandi modo olim gauiſa fuerat. Tales hodiè etiam, Braſiliani, Chiriguani, Chunchenenſes, Yſcaycnigenſes, Pilcoçonenſes, & Floridanorum, nouæque Hiſpaniæ incolarum, ac Chinchemeckenſium pars potiſſima viſuntur. Horum quidem nonnulli virorum eminentium, quos in ſui medio alebant, prudentia ac conſilio perſuaſi, genus regendi ſecundum quondam acceptarunt. Ex claſſe verò hac ſunt, incolæ Arauco, Tuçapel, & Chile, ac Moſcas in nouo regno Granadæ, vt & Otomitæ nonnulli in noua Hiſpania, quorum Reſpublicæ tyrãnide excuſſa, æquitati impenſius ſtudebãt. Sed ex hac norma deinde inſtinctu ſuaſuq; peritiſſimorum ac conſultiſſimorum virorum regnandi forma melior ac potẽtior, tertia nimirũ Regia ac monarchica emerſit, cuiuſmodi in Mexico & Peru inuenimus. Ingæ enim paſſim omnes prouincias ſibi ſubiecerant, quibus deinde gubernatores & officiarios præficiebant, ac leges ſtatu-

ſtatutaque,ſecundum quæ quiſque viueret,ſeque gereret,condebat. Sicut autem ex Ingarum Memoriali liquet,non vltra 400.annos hęc eorum moderatio durârat:quanquam aliquandiu magnificentia & ſplendor eorum Regius à Cuſco non vltra 5. vel 6. milliaria extenderetur. Hi autem è Valle Cuſco primùm progreſſi, collecta manu paulatim omnes eas prouincias, quas vno hodie Peru nomine complectimur, occuparunt, à Quito nempe verſus aquilonem vſque ad fines Rio de Paſto, & verſus auſtrum ad Chilen vſque terminos propagantes: quod longitudinis interuallum 1000. propè milliaria Hiſpanica conſtituit. Latitudo verò conſtituti regni ab Occidente vſq; ad Campos, vaſtos, & montana Andes porrigitur: quo loco vel hodiè arx quædam conſpicua eſt, quam Ingæ aduerſus populos Orientales extruxerūt. Porrò autem Ingæ latius euagari minimè potuerūt, propter frequentes paludes, & fluuios,ſolumque vndiquaque vliginoſum.Regni latitudo 100. milliaria non excedit. Ingæ itaque nationes Americæ vniuerſas, Politiæ & gubernationis prudentia, vt & armorum dexteritate longè exuperabant: etſi Cannares,qui Hiſpanis aduerſus Ingas auxiliares venerunt, his ne latum quidem vnguem vnquam cederent. Et hæ binæ gentes veteris odij memoria vel dum hodiè ex occaſione aliqua refricata,conflictu promiſcuo tanta rabie in ſeſe multoties debacchantur,vt miſera ſtrage nōnunquam homines 1000. conficiantur. Natio enim vtraq; prudentiæ & fortitudinis laude alteri pręſtare ſatagit. Et huius irreconciliabilis odij exemplum admodum lugubre aliquando in Cuſco videre licuit.

Cæterum, cur & quo prætextu terras eas dominatui ſuo ſubegerint,breuiter quoque percęſeamus. Ad populum autem profitebantur,quod poſt diluuium, de quo Indis vniuerſis conſtabat, à ſolis Ingis genus humanum de nouo propagatum & multiplicatum eſſet. Eius enim generis ſeptem Heroas ex ſpecu Pacaritambo erupiſſe, & quo diximus, modo nouos populos ac gentes proſeminaſſe. Vndę fas ſit ac ęquum,vt Ingis ceu ſatoribus ſuis ac progenitoribus omnes in vniuerſum populi parerent ac obſequerentur. Sed & hoc gloriabantur, quod ſoli ex omnibus veram & puram Dei colendi ac honorandi notitiam haberent. Vnde etiam in Cuſco, veluti terra quadam ſancta vltra 400. delubra numerabantur, & finitima omnia paſſim ſacrorum arcanis plena videbantur. Et ſicut forti manu in occupandis & ſubigendis regnis pergebant,ita in condendis quoque templis, ac diuinis cultibus inſtituendis nihilo ſegniores erāt. Quos Deos venerabantur, ex his primarius Viracocha Pachayachachie, id eſt,mundi creator,erat. Ab hoc ſecūdus Sol colebatur, credebaturq;, tum Solem, tum Guacas virtutem & vigorem ſuum à Creatore infuſam ſuſcipere, apud quem etiam pro hominibus mediatores & aduocati intercedant.

Cap.

Cap. XX.

De Ingarum autore primo, & huius poſteris.

PRIMVM Ingarum autorem Indi Mangocapam crediderunt, quem ex antro Tambo, à Cuſco 6. milliarium interuallo diſtante prodiiſſe, & duabus præcipuis Ingarum proſapijs, nimirum Hanan Cuſco, & Vrin Cuſco, genus ſuum contuliſſe, ferebant. E prima ſtirpe, qui deuictis populis dominari cæperunt, Ingæ profluxerunt. Huius familiæ autorem ac caput Ingarocam faciunt, qui genus id omne condiderit, & Viçaquiquiro nominauerit. Etſi verò primi huius ſplendor ac magnificentia non vſqueadeo illuſtris eſſet: nihilo tamen minus aureis atque argenteis vaſis vſus ſanciuiſſe ac conſtituiſſe dicitur, vt omnes ſui theſauri in cadaueris culturam, & miniſtrorum aulicorum ſuſtentationem poſt obitum conferrentur & impenderentur. Quod exemplum poſteà in conſuetudinem abiit, vt nullus Ingarum ſui anteceſſoris bona ac theſauros hæreditate acciperet, ſed rem ſibi quiſque familiarem nouam conſtitueret. Huius Ingarocæ tempore ſimulachra merè aurea venerabantur. Illi deinde in regno ſucceſſit Yaguarquaque, id eſt, plorator ſanguinis, vir admodum ſenex & canus: quem ab hoſtibus aliquando victum & pulſum, præ acerbiſſimo dolore ſanguineas fudiſſe lachrymas teſtantur. Hic in vico quodam, Paulo dicto, & iuxta viam Omaſuyo ſito, ſepultus dicitur. Ex hoc ipſo genus Aocailli Panaca ortũ eſt. Mortuo eo imperii habenas filius Viracocha Inga ſuſcepit, qui admodum diues, aurea ac argentea vaſa grandiſſima parari curauit. Ab hoc familia illuſtris Coccopanaca defluxit. Huius Viracochæ cadauer, India potitus Gonçalo Picarro, diligenter inquiri ac perueſtigari curabat, quod intellexiſſet, ingẽtes cum eo vnà theſauros ſepultos fuiſſe. Indi verò, etſi primò loci illius indicium facere nullo modo vellẽt, tamen rigida tortura miſerè excarnificati, tandem faſſi ſunt, ipſum in Xaquixaguana ſepultum iacere. Huius ergò cadauer inuentum ac effoſſum Gonzalo exuri & concremari iuſſit. Indi verò cineres ollis collectos ac conditos, crebris deinde ſacrificiis colebant venerabanturq́; dum tandem Polus hos cum aliorum quoque Ingarum cadaueribus ingenioſo ſtratagemate ex poteſtate Indorum amouiſſet. Horum cadauera copioſo balſamo inungi ſolebant, vnde incorrupta aliquammulto tempore aſſeruari poterant. Polus ergo inuento iſto multas Indorum ſuperſtitiones ſuſtulit, quas Indi in reconditis cadaueribus admittebant. Cæterum ob id quod hic Inga, Viracochæ nomen, (quod ſolius Dei proprium putabant) ſibi arrogaſſet, Indos haud mediocriter offenſos habebat. Quam tamen offenſionem excogitato dolo ita mulcebat, vt diceret, Deũ Viracocham ſibi per ſomnium

appa-

apparuiſſe, & vt hoc nomine vteretur, mandaſſe. Hunc ſecutus Pachacuti, Inga Yupanguy, magnus triumphator & Rerumpubl. conditor extitit. Idem & in ſimulachrorum cultibus ac ſuperſtitionibus augendis largus fuit.

Cap. XXI.

De Pachacuti Inga Yupanguy, & quid ab hoc vſque ad Guaincapam geſtum ſit.

HIc Pachacuti ſexaginta integris annis regni ſceptrũ tenuit, & multis illuſtribus victoriis potitus eſt. Victoriarum verò principium ac occaſio ex hoc emerſit, quod frater eius ſenior, qui viuente adhuc patre conſenſu omnium belli negotia adminiſtrabat, in quadam acie, cum Changas commiſſa, fugatus eſſet. Hi verò Changas vallem Andaguailas, à Cuſco 30. aut 40. milliaribus ſecundum viam Limæ excurrentem, poſſidebant. Pachacuti ergò fratre, vt diximus, in fugam verſo, & cum paucis domum reuerſo; ipſe, vt rerum principatum ſolus occuparet, hunc dolum commentus eſt. Viracocham aſſerebat ſibi triſtiori comparuiſſe, & cum indignatione grauiſſima conqueſtum eſſe, quod, etſi quidem ſolus rerum omnium creator ac dominus eſſet, qui ſua manu ac potentia cælum, ſolem, homines, ac vniuerſa condidiſſet & moderaretur: non tamen, prout deceat, debito honore coleretur, ſed quod homines ſolem, Tonitrum, & res ſimiles æqua cum ipſo veneratione proſequerentur, quæ tamen ab ſe vno omnem vim & virtutem ſuam acciperent. Itaq; ſibi mandatum eſſe dicebat Pachacuti, vt qui in cælis eſſet, Viracocha Pachayachachic, id eſt, vniuerſalis creator, ad cæterorum diſcrimen nominaretur. Porrò verò, vt hęc ita eſſe à populo crederentur, prætendebat Pachacuti Inga, ſe, etſi ſolitarius ſit, hoc promulgato Dei nomine ac titulo non ſolum numeroſiſſimum militem lecturum, ſed & ipſos Changas, licet numero multò ſuperiores, valida manu ac victorioſa proculcaturum eſſe. Viracocham etenim hæc explicitè ita prædixiſſe, & ſe multorum populorum dominum conſtituiſſe. Huic ergo commento ipſe quoque euentus paulò poſt reſpondit. Prædicto enim titulo non ſolum copias ingentes collegit: verum etiam illuſtri victoria potitus, ſe dominum ac Imperatorem aliorum conſtituit, ac tum patrem tum fratrem, qui in acie ſuccubuerant, vniuerſo regno ac honore exuit. A quo deinde tempore Changas hoſtes vniuerſim excidit. Hoc modò parta victoriæ gloria, vt Viracocha pro vniuerſali rerum omnium domino haberetur, & tum Solis tum Tonitrus ſimulachro ſacra peculiaria fierent, decreto promulgato ſanciuit. Ab eo deinde tempore Viracochæ ſimulachrum ſupra Solis ac Tonitrus, & creaturarum vniuerſarum ſtatuas collocabatur. Etſi vero dictus Inga, tũ Chacras ſeu agros, tũ pecora,

pro Sole, Tonitru, & cæteris Guacis deputaret: Viracochæ tamen nulla attribuebat, ipſum rerum vniuerſarum dominum ac creatorem his minimè indigere affirmans. Poſtquam prælio Changas viciſſet, ad ſuos milites verſus dixit, hanc victoriam minimè ipſorum virtute & fortitudine partam eſſe, ſed ope & ſtrenua manu virorum nõnullorum, quos in auxilium ſibi Viracocha miſiſſet, nulli tamen alij præterquam ſibi conſpicuos: qui deinde finita pugna in lapides conuerſi ſint. Sibi verò, vt iſti requirerentur, admodum conſultum videri: quos repertos ſe facilè cogniturum aſſerebat. Hoc ergo fine in montanis magnam lapidum ſtruem comportari iubebat: quos deinde Guacas conſtituit, & Pururancas appellauit. His ſacrificia exhibebant, & adorationis cultum præſtabant. De iiſdem etiam lapidibus aliquot cum magna religione ſecum in bella inferebat, populis perſuadens, quod ipſorum virtute & robore certam victoriam conſecuturi ſint. Ab eodem hoc Inga, Ynacabannaca familia enata eſt. Idem grande quoque ac inſigne ſimulachrum, Indyllapa vocatum, extruxit, ac in ſellam ex puro auro fabrefactam collocauit. Huius auri multum poſteà lytri loco in Caxamalcam ad Marchionem Franciſcum Picarro, Atagualpam in vinculis ſeruatum collatum eſt. Eiuſdem Ingæ domum, & famulos, & Mamaconas, memoriæ eius aſſiduo litantes, Licentiatus Polus in Cuſco ſuo tempore inuenit. Illius cadauer ex Patallacta in Torocachen tralatum eſt, quo loco hodiè templum cathedrale S. Blaſij extructum viſitur. Cadauer hoc certo bituminis genere tam artificioſè conditum erat, vt ſpectantibus adhuc viuum crederetur. Oculi ex orbiculis aureis tam aptè & concinnè inſerti videbantur, vt naturales propè fallerent. In capite plaga ſeu cicatrix, incuſſo in bellis lapide facta, conſpicua erat. Totus canus, nulla caluitie nudatus videbatur, tam viuidum omnium partium colorem præferens, vt eo ipſo primum die expiraſſe crederetur, cum tamen ante 60. vel 80. annos obiiſſet. Huius ac aliorum Ingarum cadauera ſuprà dictus Polus iuſſu Viceregis Marchionis Cannete in Limam tranſmiſit, vt hoc modo ſuperſtitionis fœditas apud Cuſcanos quadamtenus eliminaretur. Eadem condita corpora Hiſpanorum quamplurimi in S. Andreæ Hoſpitali, à prædicto Marchione fundato, conſpexerunt: quæ tamen maxima iam ex parte ſitu ac corruptione perierant. Don Philippe Charitopa, qui in lineæ rectæ tertio aut quarto gradu ab hoc Inga deſcẽdit, affirmauit, bona ea ac theſauros, quæ Pachacuti Inga ſuis aulicis ac miniſtris reliquiſſet, quæq; ſub Ianaconas, Amato, Titoque ac cæterorum manibus cuſtodirentur, nulla æſtimatione cenſeri poſſe. Hunc verò Ingam poſteà Topa Inga Yupanguy, & hunc iterum eiuſdem nominis filius, qui domus ac familiæ Apac Aillo fundator erat, ſecutus eſt.

Cap.

Cap. XXII.

De Ingarum nobiliſsimo & magnificentiſsimo Guainacapa.

HIs ſuprà dictis in regno tandem ſucceſſit Guainacapa, id eſt, vir opulentia & prudentia inſignis, qua vtraque virtute præ cæteris vniuerſis ſuis tum anteceſſoribus tum ſucceſſoribus cumulatiſſimè claruit. Nam & per omnes paſſim ſuas prouincias ſtatuta ac leges ſaluberrimas æquiſſimaſque condebat: & in bellis adminiſtrandis admodum prudens, acer & felix erat. Vnde multoties triumphatoris auguſtiſſimi titulo ſalutabatur. Regni ſui fines, à maioribus acceptos, quoquo verſum longis pomœriis, amplificabat; & tandem in Regno Quito, olim armis occupato quod à ſede Regia ſueta 400. milliaribus diſtabat, diem obibat. E diſſecto corpore exempta cum corde viſcera, prout moriturus cõſtituerat, in palatio: ipſum verò corpus in celeberrimo Solis templo apud Cuſcanos ſepultum erat. Hic, quas vias, domos, caſtella ac arces, & ſimiles ſtructuras alias præſtantiſſimas condiderit, vel dum hodiè conſpicuũ eſt. Idẽ generis quoq; Temebamba autor extiterat. Viuo huic diuini honores exhibebantur, quod anteceſſorum nemini obtigit. Defuncto eodem, ex domeſticis 1000. homines mactati immolabantur, qui in altera vita ei miniſtrarẽt, & famularẽtur. Et hi omnes alacri promptoq; animo mortem oppetebant, præter quos & alij plurimi vltrò ſeſe quoq; mactandos offerebãt. Gazæ ac theſauri eius priorum regum vniuerſorũ amplitudinẽ exuperabant. Quorũ vt pars maxima reconderetur, ſub Hiſpanorum aduentum Indi quidem ſedulò laborarunt. At Atagualpa capto, horum numerus ingens pro Regis filio liberando in Caxamalcam conferebatur. Fide digni quidam narrant, hunc in Cuſco vltra 300. filios ac nepotes habuiſſe. Huius matri Mamoaclo, inſignes quoq; cultus ab omnibus deferebantur: cuius cadauer balſamo conditũ, cũ Guainacapæ corpore Polus quoq; Limã tranſmiſit, vt iis remotis ſuperſtitionũ impenſus vigor nõnihil lãgueſceret. Guainacapæ, filius Tito Cuſſiygualpa, poſteà Guaſcar Inga vocatus, ſucceſſit: cuius cadauer iuſſu Atagualpæ exurebatur. Atagualpa verò, qui & ipſe Guainacapæ filius erat, poſtquã ſedem regiam in Cuſco fixiſſet, fratri infenſus, eum cum inſtructiſſimo exercitu adortus eſt. Summi verò ipſius belli Duces Quizquiz & Chilicuchina, in Cuſco ciuitate Guaſcar Ingam captiuum præhenderunt, etſi is legitimus Rex ac dominus à pleriſque declaratus eſſet. Quo facto aulicorum plurimi in offenſas dati fuerunt. In has itaque anguſtias coniecti, cum ſuo domino liberando non ſatis potentes eſſent, multis ſa-

crificiis inſtitutis, vota ſuæ infirmitati auxiliaria iungere ſtudebant. Nam qui duces Guaſcar in vinculis habebant, admodum bellicoſi & fortes erant: & his ſuas quoq; copias paulò poſt Atagualpa iungebat. Tandem verò cum Guaſcaris fautores viderent, quod ſua potentia dominum liberare non poſſent, pietate profunda pulſi, Viracochæ Pachayachachic, vniuerſali rerum creatori, ſacrificia ſolennia exhibentes; deuotè rogarunt, vt is de cælo milites, qui dominum ſuum captiuum extricarent, mittere dignaretur. Dum verò in hoc ſacrificium omnes ſuas ſpes opeſque collocatas impendiſſent, derepentè nũcium accipiunt, populos quoſdam trans mare vectos, Atagualpam comprehendiſſe & captiuum feciſſe. Et cum, qui Atagualpam in Caxamalca Hiſpani cæpiſſent, numero pauci eſſent: & captiuitas illa ſub idem illud tempus, quo Indæ Viracochæ ſacrificium feciſſent, incidiſſet: factum eſt, vt ab Indis hac de cauſa Hiſpani Viracochas nominarentur, quibus perſuaſum aliud nihil erat, quam quod cælitus à Deo in ipſorum ſolatium illi demiſſi veniſſent. Quod nomen ob id vel adhuc hodiè Hiſpani retinent. Qui, ſi, qua fas erat, pietatem & ſanctitatem in conſpectu Indorum exercuiſſent, id Encomium bono iure ab Indis audiuiſſent. Ex his ergo mira Dei prouidentia, qua Hiſpani in Indiam adducti ſunt, iterum clarè effulget. Niſi enim mutua fratrum diſcordia omnis India præcipitata, & apud Indos Hiſpanica gens cælo miſſa credita fuiſſet, certè nulla ratione fieri potuiſſet, vt in Peru irruendi Hiſpanis vel minima occaſio relinqueretur.

Cap. XXIII.

De poſteris Ingarum nouiſſimis.

QVÆCVNQVE verò de modò inceptis rebus latius & profuſius diduci poſſent hoc loco, ea vniuerſa in hiſtorias alibi perfectiſſimas congeſta ſunt. Quas hoc loco omittentes, de ſucceſſoribus ſaltem Ingarum poſtremis pauca quædam enarrabimus. Atagualpa ergo in Caxamalca mortuo, & Guaſcare ipſo in Cuſco quoque defuncto, regnoque à Franciſco Picarro occupato: quidam Mangocapa dictus, Guainacapæ filius, in Cuſco ciuitate Hiſpanos magna fortique obſidione cingere aggreſſus eſt. Qua tamen breui iterum deſerta, in Vilcabambæ montana recedere cogebatur, vt in deſerto illo ſeque ſuoſque aliquandiu ſuſtinere poſſet. Hoc ergo loco Ingarum poſteri longo tempore latuerunt, vſque ad tempora Amaro Ingæ, quem Hiſpani captum, publico in foro Cuſcano ſupplicio affecerunt. Quam quidem rem Indi iniquiſſimè tulerunt, quod naturalem ſuum dominum inſontem capitali pœna affici ſpectare cogerentur. Hoc è viuis ſublato, poſteà omnes è familia Ingarum ſuperſti-

perſti-

perſtites capti & in vincula coniecti ſunt. Horum vnus, Don Carlos, Guainacapæ filius, ſacro baptiſmo initiatus, fœdus poſteà cum Hiſpanis aduerſus germanum fratrem Mangocapam pepigit. Et Marchionis de Cannete tempore ex Vilcabamba, bona Hiſpanorum pace Saritopa Inga in ciuitatem de Los Reyes ingreſſus eſt, cui vallis Yucay vnà cum cæteris, quæ filiæ ipſius hæreditatis iure debebantur, dabantur. Et hæ ferè Ingarum regum, qui 300. & paulò pluribus annis imperium tenuerunt, reliquiæ ſunt. Si capita ſeu perſonæ numerentur, plures vndecim non erunt. Ex quorum manibus dicto modo regnum iterum euulſum eſt.

Cæterum à primo alterius lineæ ſeu familiæ Mangocapa ſecundus ſucceſſit Cinchiroca: quem poſteà Capac Yupanguy, & hunc iterum Iluqui Ypanguy ſecuti ſunt. Hos exceperunt Maytacapaeſte Tarcoguaman, & huius filius innominatus, & Don Iuan Tambo Maytanpanaca. Sed hæc de Ingarum, qui terram Peru aliquādiu ſubiectam ſibi rexerunt, origine & proſapia, hactenus dicta ſufficiant.

Cap. XXIV.

Quodnam & quale Mexicanorum ius municipale fuerit.

ETsi ex hiſtoria, quæ de origine & ſucceſſu regni Mexicani conſcripta, breui in lucem proditura eſt, huius argumenti pondera captari certiſſima queant: nos tamē leui diſcurſu, & quaſi ſummatim ea ſaltem hic prælibabimus, quæ de Mexicanis ſcitu comprimis neceſſaria videbuntur. Ex forma verò gubernationis, ipſos admodum politicos fuiſſe, nemini nō manifeſtum fit. Id quod ex ceremoniis etiam ac ritibus, quibus ſibi Reges conſtituerunt, ante omnia colligi poteſt. A primo Rege Acamapich, vſq; ad nouiſſimum Moteçumam eius nominis ſecundum, nullus regnum hæreditario acceptum adminiſtrauit: ſed ſuffragiis & electione ſibi inuicem omnes ſua ſerie ſucceſſerunt. Prima verò ſuffragia penes populum erant: Altera penes primores. Iſcoati. IV. tempore electores quidam ordinabantur, qui vnà cum binis Regibus, Tezcucano nimirum & Tacubano, regem decernerent. Reges verò plerunque iuuenes creabantur, quod bella perpetua gerenda eſſent. Hoc enim fine præcipuo eos eligebant, ſtudioſè id agentes, vt ad dignitates has illi eueherentur, qui rebus gerendis & bellis animoſè vrgendis idonei comprimis viderentur. Electo Rege, bina feſta inſtituebantur: quorum primum, Rege ſceptrum capeſſente hoc modo fiebat. Proceſſu & ceremoniis ſingularibus templum ingreſſi, ſuper thuribulis, diuinis dictis, & ante ſimulachri aram perpetuo lucentibus, adolebant. Poſteà ex arte Rhetorica multas eaſque ornatas orationes, quibus impenſè delectabā-

tur,recitabant. Feſtum alterum Regi coronando celebre erat. Rex verò nemo creabatur,quin idem prius in acie ſemel victor extitiſſet, & certum captiuorum numerũ pro trophæo induxiſſet,ſimulachris pro more immolandorum.Hoc ergò triumpho incedens Rex, inſigni pompa tam à religioſis, qui proceſſu publico cum variis inſtrumentis Muſicis eidem obuiam itabant, quam à ſecularibus ac aulicis,qui & ipſi longa ſerie regi occurrebãt,excipiebatur. Corona verò ſeu Regalitatis ſigillum priore parte Myter referebat,poſtica parte inuerſum, ita, vt rotunditatem exquiſitam non haberet. Anterior verò pars apicis modo ſurrigebatur. Tezcucani verò Regis ea præeminentia erat,vt ſua manu Mexicanum regem coronaret. Hoc modo creato & firmato Regi ſuo Mexicani deinceps admodum fideles & obtemperantes erant,adeò,vt nemini conſtet, ipſos contra Reges ſuos malitioſè vnquam conſpiraſſe, niſi quod ex hiſtoriis liqueat, quod Tiçocico Regum quinto viro admodum effœminato & puſillanimi, venenum propinare voluerint. Quod verò aliis ex cauſis præter hunc vlli alij Regi inſidiati vnquam ſint, id nullius ætatis hiſtoria condocet.Quin imò ex annalibus eorum ſcimus,pleroſque regium titulum oblatum,forti animo reſpuiſſe, & alios, ſe meliores & peritiores ſufficiendos nominaſſe. Primis quidem annis in re familiari aulica adminiſtranda, admodum parci, & tenaces erant, quod plerique pauperes ad dignitatem regiam eueherentur. Poſteà verò creſcentibus facultatibus, magnificentiæ quoq; ſubinde aliquid addebatur:ita,vt licet Moteçuma præter domum, animalibus ſeruãdis dicatam,nihil aliud poſſideret:hanc vnam tamen impẽdiis maximis illuſtraret, quod eius generis nulla alia vſpiam viſa & cognita eſſet. Hac domo,omnis generis tũ piſces,tum aues, tum quadrupedes nõ ſecus ac in arca Nohæ alebantur. Et pro piſcibus quidem marinis ciſternæ aqua ſalſa:pro fluuialibus verò receptacula,dulci vnda cõpleta erant. Prædatricibus ac venaticis auibus, velut etiam feris ac immanibus quadrupedibus ſua quoque ſpacia & latibula ſeorſim condita viſebantur.Sed & qui curam horum animalium agerent,Indi quam plurimi ordinabantur. Quod ſi quandoq; Rex, hoc vel illud piſcis, aut auis aut quadrupedis genus viuum diutius ſeruari non poſſe intelligeret,tum eius effigiem aut lapidibus pretioſis,aut argento auroue exprimi curabat. Sed & varia pro variis animi affectionibus palatia & diuerticula ſibi ipſimet extrui iuſſerat. Aliæ enim domus amœnitati & gaudio, quædam luctui & dolori, nonnullæ conſiliis prouincialibus agendis ſeruiebant.Et in his quidem palatiis pro dominorum gradibus ac eminentia,cubicula alia aliis pulchriora,ampliora & magnificentiora exiſtebant.

Cap.

Cap. XXV.

De diuerſis Mexicanorum dignitatibus ac ordinibus.

MExicani ſuos primates ac nobiles, diuerſis omninò nominibus ac titulis inſigniunt: vt ex iis certum ſit, quo quiſque honore & ſalutatione compellandus veniat. A rege ſecundi erant Quartarij, quæ dignitas noſtrorum electorum honorem æquabat. Et hi poſt Regem ipſum creabantur, ipſius regis plerunque aut fratres, aut agnati proximi. Hi Quartarij Atlacohecalcatl, id eſt, principes lanceæ miſſilis, qua in bellis frequenter vtebantur, nominabantur. Poſt hos Tlacatacalt, id eſt, hominum fiſſores & perruptores erant. Quarti à Rege Eſuahuacalt, id eſt, ſanguinis fuſores appellabantur. Et hi tituli tres omnes bellatoribus proprij erant: præter quos quartus, Tlillancalqui addebatur, quod idē ſonat ac dominus de domo atra, quod ſacerdotes in ſacris faciēdis atra fuligine ſeſe plerunque tingere ſolerent. Ex his quatuor officiariis ſenatus, ſine cuius decreto nihil quicquam ordiri fas erat, maxima ex parte conſtabat. Rege fato functo, ex his quatuor nouus eligebatur. Præter verò dictum ſenatum aliquot etiam conſiſtoria celebria erant, à tot tamq; numeroſis viris conſtituta, vt haud pauciores ipſis iudicibus Hiſpanicis fuiſſe, à rerum peritiſſimis affirmetur. Diuerſi hi Iudices ſiue Auditores, ſeorſim ſuos quoque ſubſtitutos, velut correctores, prætores, & ſimiles alios habebant, qui & ipſi in ſua ſtatione ſinguli perſtabant, & vniuerſi dictis quatuor principibus, qui Regi aſſiderent, ſubiecti erant. Quatuor autem hi ſoli in cauſis criminalibus ſententias ferebant: quibus etiam iudices cæteri ſua ſuffragia conferre cogebantur. In his conſeſſibus etiam Regi deliberanda proponebātur illa, quæ in regno vel accidiſſent, vel neceſſario curanda eſſent. Sed & redituum regiorum optima ratio vigebat. Nam in omnibus regni partibus ordinarij rationum præfecti erant, qui cēſus ac vectigalia tum cogebant, tum ſingulis menſibus in aulam regiam conferebant. Curabant iidem etiā & colligebant contributiones eas, quæ tum è mari tum terra reddebantur, ſiue illę ad ornatum, ſiue ad alimoniam facerent. Præter hos officiarios, miniſtrorum etiam aliorum, qui plebem de religione & ſacris erudirent, ingens numerus cōſtituebatur. Qua de cauſa etiam quidam Indorum, Chriſtiano ſacerdoti querenti, quod Ingi ſegniter admodum & ſomnolenter diuinam legem addiſcerent, hoc pacto reſpondit: Id amabò accura bone ſacerdos, vt patres in Indis ad Chriſtum conuertendis, & de eius lege inſtituendis dimidiam ſaltem operam, qualem ſimulachrorum miniſtri in ſuis docendis ceremoniis adhibueruut, impendant: & videbis, Indos Chriſtianos omnium optimos & deuotiſſimos fore. Ingum enim

Chriſti ſimulachrorum cultibus multo facilius eſt. Verbum Dei autem ab Indis propter inſtitutorum ac informatorum inopiam, tantum tardius acceptatur. Et certè hic Indus purã veritatem faſſus eſt: ad cuius auditum merito omnes Hiſpanici ſacerdotes erubeſcant.

Cap. XXVI.

Quo præliandi genere Mexicani vſi ſint: & quæ officia apud ipſos bellica fuerint.

BELLANDI peritia Mexicanis omnium præſtantiſſima habebatur. Vnde in bellis nobiles ſemper Primarij erant. Qua arte, qui polleret, ad honores inſignes euehebatur, & inter nobiles connumerabatur. Qui facinus inſigne aliquod in bellis deſignaſſent, hi ampliſſimis muneribus cumulabantur. Et his ferè præmiis milites plerique ad fortitudinem inuitabantur. Arma quibus pugnabant, cultri ſeu nouaculæ ex ſilice duriſſimo factæ erant, quæ in haſta vtrinque tenaciter obfirmabantur. Harum acies tam exquiſitæ erant, vt illis adactis vniuerſum equi collum decuti poſſet. Sed & ponderoſis clauis, ac lanceis, & haſtilibus, lapidibuſque præliabãtur. Pugnantes altera manu peltam ſeu parmulam prætentabant, criſtis pulcherrimis deſuper exornatam. Eorum veſtes pelles erãt è tigribus, leonibus, ac feris aliis. Hoſtes ſuos mira pernicitate adoriebantur, & tum curſu, tum lucta expeditiſſimi erant. Hos etiam viuos præhendebant potius, quam cædebant: vt hoc pacto pro ſacrificiis ſclauos paratos haberent. Nobilitati verò Moteçuma gradus adhuc altiores addebat, & ſingulos ſingulis ſignis diſtinguebat. Ex his omnium prę- ſtãtiſſimi & nobiliſſimi verticis capillos loro rubeo religare aut ſtringere ſolebant: cui prominentiæ pennas aliquot pretioſas ita infigebant, aut innectebant, vt pars earum ſurſum proſpectaret, pars deorſum in dorſum propenderet. Ab extremis harum tot collecti nodi ſeu villi egrediebantur, quot facinora generoſa & ſtrenua quiſq; deſignaſſet. In horum claſſem Rex ipſe quoq; connumerabatur: qui ob id cum iſtiuſmodi criſtis plerunque quoque depingi ſolet: cuius exemplar etiam in Chapultepec viſitur, vbi Motecuma cum filio ſuo, eodem ornatu exſculptus cernitur. Sed & alius ordo, Aquilas: & iterum alius, Leones ac tigres dicti, colebantur. Et hi plerunque viri impauidi ac bellicoſi exiſtebant, ad conflictum impigri, & ſuis ſignis peculiaribus diſtincti. Præter hos alij etiam erant, colore cæruleo inſigniti, quorum autoritas non tanta, ac priorum, vigebat. Hi colobia ſcortea diſſecta, ac ad aures vſque eminentia geſtabant. Sed & his ſuum peculiare ſignum, quo à cæteris internoſcerentur, erat, nec niſi pectus inductis armis muniebantur: cum alij primorum ordinum corpus vniuerſum tegerent. Prius dictis nobilibus, tum aurum ac argentum

gentum geſtare, tum xylinis veſtibus indui, tum aurea ac picta vaſa habere, ac calceis vti, publico iure licebat. E populo autẽ promiſcuo præter fictilia vaſa nemo habere, nec pedes calceis inducere, nec veſtes niſi ex Nequen geſtare audebat. Hi verò ſinguli ordines, ſuas q. tribus certas diſcretaſq; in palatio regio habebant. Et prima principũ: ſecunda Aquilarum: tertia Leonum & tigrium: quarta Griſeorum equitum nuncupabatur. Populus reliquus in conclauibus inferioribus habitabat: extra quæ ſi quis ſemel pernoctaret, capitis ſupplicio affici ſolebat.

Cap. XXVII.

Qua cura & ſedulitate Indi ſuos liberos educarint & inſtituerint.

NVLLA quidem res nobis vnquam maiori admirationi vel fuit, vel dum eſt, quam cõcinnus iſte & ſedulus ordo, ac ratio, qua Mexicani in educãda & informãda ſua ſobole vſi ſunt. Cum enim perſpectum haberent, omnem Reipubl. ſalutem ac felicitatem in iuniorum proba & ſobria inſtitutione poſitam eſſe, queadmodum id Plato in libris de legibus accuratius diſputauit: ſuis liberis ante omnia libertatem ſeu licentiam, quæ iuuẽtutis vnica peſtis eſt, adimebant: & eoſdem bonarũ rerum ſtudiis econtra inceſſanter exercitabãt. Quo fine in templis peculiaria loca veluti palæſtræ quædã aut ſcholæ, extructa erant, à ſe inuicem ita dirempta & diſſeparata, vt alia pro pueris, alia pro puellis facerent. Et huc parentes ſuos liberos frequenter vltrò citroq; adducebãt. Liberis autem his certi moderatores & magiſtri præerant, qui eos in omnibus honeſtis ſtudiis ſerio excolebant, qualia ſunt, animum demiſſum & humilem gerere, parentes honorare & colere, iiſdem ac ſuperiorib. morem gerere, nulli ſuum alienare, rem ſacram non violare, & ſi quæ his ſimiles virtutes aliæ ſunt. Sed & cantandi ac ſaltandi artem docebantur. Poſteà etiam in ſtudiis & actionibus bellicis exercebantur, nimirum, vt telum ad præfixum ſcopum mitterent, ſcutum commodè obtenderent, gladiumq; manu expedita vibrarent, & ſeſe cõtra reluctantes induſtriè tutarẽtur. Lecti eorum admodũ duri, & cibus tenuiſſimus ac parciſſimus erat: vt nimirũ à teneris illicò ita indureſcerent, nec mollitie aliqua eneruarẽtur. Iuxta ſcholas has ſeparata quoq; alia loca erant, in quib. nobiliũ liberi educabantur, quos peculiariter tractari & inſtrui opus erat. His cibũ quotidianũ parentes mittebãt, & eoſdem viris ſeniorib. ac peritiorib. mãdabãt, à quib. de omniũ virtutũ ſtudiis, vt vitę caſtitate, ciborũ abſtinẽtia, inedia, inceſſus honeſtate & conformitate, iugiter erudirẽtur. Et hi plerunq; laborib. grauiorib. exercebãtur. Pueris aliquandiu ita inſtitutis, pòſt diligenti indagine ad quodnam præcipuè ſtudium naturæ inſtinctu ferrentur, obſeruari cæpit. Quod ſi quem ad bella procliuiorem depræhendiſſent, ipſum commeatu

& cæteris vitæ neceſſitatibus inſtructum in militiam amandabant, vt inter militum ingenia agens, quæ bellorum tempore ferẽda & facienda eſſent, propius tum videret, tum addiſceret: ne fors inani perſuaſione luſus, bellum rem ludicram & voluptatis plenam arbitraretur. His grauia nonnunquam onera imponebantur, vt iis in caſtra ferendis obrigeſcerent, & inter milites promptius admitterentur. Et ſępius accidit, vt molibus grauiſſimis geſtatis ad caſtra ita pergẽtes, certo honorario ſigno impetrato ad ſuos feliciter redirent. Iidẽ viciſſim nonnunquam ad hoſtem latius declinantes, aut capti aut cæſi occubuerunt. His verò nihil ignominioſius accidere poterat, quam ſi ab hoſte caperentur. Ideoque imperterriti tandiu confligebant, dum omninò exanimes caderent. Puerorũ Magiſtri, ſi quos (quæ ingenia plerunq; puerorũ nobilium erant) belli cupiditate impenſius flagrare peruiderent, eoſdẽ in rerum bellicarũ inflammatione inſtigabant. Cæteri, qui religioni & ſacris fauere ardentius viderentur, poſtquam iuſtã ætatem aſſecuti eſſent, è ſcholis in templi cellas transferebãtur, & veſtibus religioſis ſeu ſacris induebantur. Hi deinde etiã ab ordinariis præſulibus de ceremoniis patriis informabantur: quo in ſtatu deinceps omnẽ vitam ſuam exigere cogebantur. Summatim ergò rem colligendo, certiſſimum eſt, Mexicanos, in iuuentutis inſtitutione operam & curam impendiſſe ſemper accuratiſſimam. Quæ ſi eadem conſtantia & ſeueritate hodiè quoque vrgerentur, certè nullo dubio Chriſtianiſmus iã in mediis Indis lętiſſimè floreret ac vernaret. Studioſi quidem ac religioſi viri nõnulli hanc rem magno zelo aliquoties aggreſſi ſunt, & conſiliarios Regios, vt manus auxiliares adderẽt, obnixè rogarunt. Sed quod res iſta nihil ad culinas facere videretur, votis ſucceſſus hactenus nullus reſpondit.

Cap. XXVIII.

De Ludis ac Feſtis Indorum.

VT nulla ſub ſole gens eſt, quæ non aliquid interdum recreationis ludiq; admittat: ſic Indi quoque, ludis, choreis ac aliis iocularibus exercitiis ſtatuta quædam tẽpora exigunt. In Peru ludum palæſtricum exhiberi vidimus, cuius ſpectaculo iucundiſſimè omnes afficeremur. Quæ certè Buclla, vt nominant, periculo euidenti nõ carebat. Apud eoſdem Chorearum ac tripudiorũ infinita propè genera, quibus varias perſonas, vt opiliones, agricolas, piſcatores, venatoreſq; ac ſimiles producebãt, ſpectauimus. Hi verò omnes ludi ad ſonos quoſdam certos exigendi erant. Sed & perſonatorũ ſaltatus miros cõſpicati ſumus, qui facies laruis tam fœdis obnubebãt, vt meri cacodæmones putarentur. Et hi Guacones nominabantur. Nonnulli in aliorum humeris ſtantes ſaltitãt, ſicut in Luſitania Pelas ferri ſolẽt. Hi tamen ludi vniuerſi propè fœdis ſuperſtitionibus cõta-

minati

minati erant. Eos enim in ſimulachrorum ſeu Guacas ſuorum honorem exhibebant. Præſules quidē Hiſpanici, quantū horū ludorum potuerunt, bono inſtituto ſuſtulerūt. Cætera ſaltationū genera, quæ crimine vacarent, adhuc peraguntur. Choreis verò, pulſatis variis inſtrumentis plerunque accinunt, quorū alia fiſtulis, alia tympanis, alia tibiis ſimilia ſunt. His verò inflatis nōnunquam vniuerſi concinūt: alij interdum duobus rhythmis prætentis præambulū faciunt, quos cæteri verſu reſponſorio ſequuntur. Ipſarum etiam cantionum quædam iucundas hiſtorias ſonabant: quædā ſuperſtitiones, ac iterū aliæ meras nugas olebant. Noſtrum quidam conati ſunt, fidem ſeu ſymbolum catholicum ipſorum melodiis includere: quod cantatū Indi magna attentione audiunt, adeò vt nec integro die audiēdo fatigentur. Quin & Indicam linguā noſtris modulis ac metris expreſſimus: quos ipſi cum magna exultatione accipiunt. Qua certè re haud parum ſaluti eorum commodatum ſcimus. Cæterum ſuas Indi choreas vulgato nomine Taquî indigetabant: quas in prouinciis aliis Ateytos, in Mexico verò Mitotes appellabāt. Sed in nulla Indiæ parte ſaltādi cupidiores, quam in noua Hiſpania inuenti ſunt: vbi vel dum hodie Buytelaers (ita vocant) quidam agitantes, meritò omnibus admirationi ſunt. Horum nonnulli per tentum funem ſaltant. Nonnulli è palis ac ſtipitibus ſuſſilientes, ſaltus infinitos edunt. Quidam plantæ pedis cauam partem fune ex trabe religant, & conuerſi in altum ſaliunt, quæ res non ſpectantibus incredibilis videri queat. Tum & ſuæ induſtriæ alia infinita quoq; documenta præſtant, partim aſcendendo, partim ſaliendo, partim luctando, partim pondera grauia geſtando, partim plagas & verbera ferendo, quibus etiam ferrum frangi & comminui poſſit. Omnium verò iucundiſſimum ſpectaculum Mexicanorum exhibet Solennele Mitote, quod genus tripudij eſt, apud ipſos admodum celebratum, cui nonnunquam & Reges ſpectatores, volentes quidem, nec coacti, ſicut Rex Don Pedro de Arragon cum tonſore ex Valentia, accedunt. Huiuſmodi verò Mitote plerunq; in intimis templi penetralibus aut in palatio Regio, vbi ampliſſimus locus pateret, exhibebatur. In theatri medio duo inſtrumenta locabantur: quorum alterum tympano, alterum cauæ pelui ſimile erat. Duo hæc inſtrumenta aptam cōcinnamque harmoniam talem edebant, vt tonorum leui diſtantia ſaltem diſſonarent. Ad horum pulſum gradibus ita ſimilibus ſaltitabant ac æquis, vt ne in minimo vnquam diſcreparent. Hi dum ſaltus fierent, in theatrum duo hominū ordines ingrediebantur. In mediū locum, vbi inſtrumenta poſita erant, Seniores ac primores populi cōcedebāt, qui vno perpetim pede ſtantes, tum cantillabant tum ſaltitabant.

Circa hos bini cum binis irruentes, ſaltuum variationes mirificas edebant, prout temporis ratio ferebat. Ad huiuſmodi verò choreas non niſi veſtibus præſtantiſſimis & ornamentis aliis plurimis

conſpicui accedebant. Quas licet in ſimulachrorum ſuorum honorem potiſſimum inſtituebant: nihilominus tamen ipſimet quoque ſuam inde oblectationem quærebant. Qui eorum finis quidem tantiſper ferri poteſt, dum nullæ ſuperſtitiones cõfuſæ eum ſuſpectum reddant. In Tepotzotlan vico, ſeptem à Mexico milliaribus diſtante, huiuſmodi quoq; choreas in templi penitioribus agitari magna oblectatione ſpectauimus. Quæ ſi in publico quidem fiant, nec cum aliorum offenſione & damno ſint, recreationis ergò indulgeri Indis haud cunctanter debent. Et modò ſupeſtitio deſit, huiuſmodi ludi ideò non abrogandi videntur, quia omninò aliqua re exerceri & recreari iam à longo tempore aſſuetos Indos neceſſe ſit. Et in his Gregorij Papæ conſilium valet, iubentis, vt hæc exercitia & ludicra in Dei honorem & laudem terminentur.

Cæterum, & de moribus ac politiis Mexicanorum, vt & de eorum origine, accretione & gubernatione, quę hactenus diximus, ſufficiant. Iam porrò autem in ſequenti libro de ipſorum geſtis ac factis narrationem ordiamur.

LIBRI SEXTI FINIS.

NATV-

NATVRALIS AC MORALIS INDIÆ OCCIDENTALIS, HISTORIÆ,

LIBER SEPTIMVS.

Cap. I.

Quænam vtilitas maneat eos, qui geſta ac facta Indorum conſiderant.

HISTORIÆ in vniuerſum omnes, cuiuſcunque vel generis vel materiæ ſint, modò veritatis promæ exiſtant, certam & indubitatam vtilitatem Lectori ferunt. Illud enim, quod fuit, (atteſtante ſapiente) eſt, & quod futurum eſt, antè fuit. Et res ferè humanæ in pleriſque ſibi ſimiles ſunt, vnumque ab altero iugiter veluti ſtabilitur & firmatur. Nec gens vlla vſpiam tam fera ac barbara ſub ſole egit, in qua non aliquid laude ac commemoratione dignum fuerit. Tum & nihil quicquā vnquam tam probè, eleganter ac ordinatè conſtitutum fuit, quod aliqua ſui parte non emendari potuerit. Iam ergo, ſi Hiſtoria quidem geſtorum Indicorum commodum nullum aliud aut emolumentum pareret, quam quod rem veram narraret: tamen vel ob hoc ipſum omnino cognoſcenda & legenda foret, cum videamus, alios quoque autores non ſolum animalia, plantaſq; ac gemmas nobiliſſimas & præſtantiſſimas, verum iuxtà etiam abiectiores & contemptiores ſuis commentariis deſcripſiſſe, quod eædem ipſæ quoque licet vulgatiores, ſuas quaſdam dotes ac proprietates, propter quas iure meritò conſiderandæ eſſent, haberent. Deinde vero hæc hiſtoria ideo quoque cognoſcenda videtur, vt toties dictæ nationis ac gentis non ſolum natales illuſtres, ſed & res fortiter, ac præclarè geſtas compertas & perſpectas habeamus, ſciamuſque, qua ſorte vel proſpera vel aduerſa in ſui regni vigore vſi ſunt. Cuiuſmodi rerum perceptio non certam ſaltem iucūditatem, verum & euidentem vtilitatem impertit, comprimis illis, qui mutua cum ipſis commercia vel agunt, vel agere aliquando decreuerunt. Quod ſi enim nos rerum ac conſiliorum ſuorum gnaros eſſe vident, tum nobis ſaniora ſuadentibus, eò facilius aſtipulantur. Præterea lecta hac hiſtoria, Indi ipſi quoque ex con-

temptu illo eripiuntur ac vindicantur, quo ab omnibus paſſim in Europa agentibus præter meritum onerantur. Nam nemini ferè noſtratium non perſuaſum eſt, Indos purè putè barbaricam, agreſtem, & pecuinam vitam agere. Cuius rei veritas, vt ex ipſo fundamento hauriri queat, nulla commodior via ac ratio proſtare videtur, quam ſi ſigillatim res ab ipſis geſtas cognoſcamus & expendamus. Hoc ergo fine, diuina aſpirante gratia, de iſtius gentis origine, ſucceſſione ac geſtis memorabilibus, quàm breuiſſimè fieri poterit, tractabimus. Ex cuius deductionis appendice conſtabit, quibúſnam mediis potiſſimum, æternus ac miſericors Deus ſaluifici ſui verbi ac Euangelij lucẽ de Ieſu Chriſto miſerrimæ huic genti accendere voluerit. Quem eundem etiam deuota pietate rogamus, vt hunc noſtrum laborem, ſancti Spiritus alluceſcente gratia ita regere & moderari dignetur, vt is in ſui nominis gloriam ac honorem, ac in gentis huius commodum emolumentumq́ue vnicè vergat cedatque.

Cap. II.

De primæuis nouæ Hiſpaniæ incolis, & quomodo Nauatlacas in eam ingreſſi ſint.

OMnium primi ac vetuſtiſſimi prouinciarum, quas nouæ Hiſpaniæ nomine cõplectimur, indigenæ, barbari & agreſtes homines erant, ſolis venationibus operam dãtes. Vnde etiam Chichimecas nominabantur. Agros nec colebant, nec ſerebant: nec vnis etiam ſedibus cohabitabant. Victum quotidianum ex ſolis venatibus, qua arte inſigniter pollebant, parabant. Hi latibula ſua in ſcopulorum fiſſuris ac ſpecubus, ac in montanorum deſertiſſimis locis figebant, nulla ſociali vnione ſeu politia iuncti, ſed paſſim pecudum more palantes ac diuagantes. Feræ, quas captabant, erant, Lepores, cuniculi, muſtellæ, talpæ, cati ſylueſtres, volucres, ſerpentes, lacertæ, glires, lumbrici, & ſimilia animalia, quibus omnibus veſcebantur, vnà cum herbis ac radicibus. Somnum in montanorum ſpelæis ac hiatibus captabant. Fœminæ virorum exempla ſequebantur, venationibus & ipſæ vacantes. In venatum egreſſuræ, infantes prius lactatos, corbiq; ex iuncis parato inſutos, ex arborũ ramis ſuſpendebant tantiſper, dum à venatu redirent. Superiores nullos agnoſcebant, & nec Dei, nec diuini cultus vllo modo gnari erant. Huius gentis hodierno adhuc die aliqui reperiũtur, arcubus ſolis vitam ſuſtentãtes. Graſſantium horum hominum damna multis nota ſunt. Irruptionẽ aliquò facturi, gregatim confluunt. Et hos Hiſpani nec blandimẽtis nec minis vllis, vt ſe magiſtratui ſubijcerẽt, compellere potuerunt. Sed nec extirpandorum eorum vllum conſilium meditari ſciebant: cũ in nullo vſpiam loco gregatim inuadi poſſent.

Tum

Tum & in montanorum vaſtitates ac prærupta inuiaque loca, magna velocitate curſim ſe proripiunt: adeò, vt ſtataria nulla pugna vinci poſſint. De agreſtibus huiuſmodi Indis in iis præcipuè libris agitur, qui de Procuranda Indorum ſalute editi ſunt, vbi vi eos ſub iugum agendos eſſe docetur. Aiunt familias illas, quæ in noua Hiſpania Otomyes vocantur (homines ſunt pauperrimi, & in incultiſſimis locis degentes) ab his barbaris defluxiſſe. Hi tamen homines ſuas definitas politias habent, & Chriſtianis ſe annumerant. Quanquam haud deſint, qui Otomyas, quoque certam politiæ rationem fouere affirment. Sed ad rhombum. Etſi vero dictæ Chichimecas & Otomyes terram ſuam nec ſererent nec meterent, terræ fœcundiſſimam quoque partem incultam deſerentes: eam tamen nihilominus Nationes, ex Hiſpania ingreſſæ, poſteà colere cæperunt. Qui populus cum admodum politicus eſſet, ob id Nauatlaca, id eſt, gens, quæ linguam ſuam interpretari poteſt, reſpectu aliorum Barbarorum vocabatur. Hic ſecundus populus, quem Nauatlacas vocatum diximus, ex ſeptentrionalibus locis diſtantiſſimis egreſſus huc venit, ex iſto ferè loco, quo nuper recens regnum, Noua Mexico dictum, repertum eſt. In hoc celebriores duæ prouinciæ ſunt, quarum altera Aztlan, id eſt, locus ardearum; altera Teuculhuacan, id eſt, terra eorum, qui diuinos auos habent, vocatur. In his prouinciis Nauatlacas ſua tum habitacula, tum agros, tum Deos, & diuinos cultus, tum ceremonias & commodam politiam habebant. Omnes vero Nauatlacas in ſeptem familias ſeu nationes dirempti erant, quarum quælibet ſuas peculiares, quibus ageret, oras habebat. Natales autem ac originem Nauatlacas familiarum, depictis ſpecubus aut antris, innuūt, aiúntque, eas terram Mexico habitatum ex ſeptem diuerſis ſpelæis egreſſas erupiſſe. Quare ſuis poſteris natales ſuos produnt ac teſtantur. Quantum ex ſcriptis eorum libris colligi poteſt, iam anni 800. ſunt, quod ſuas terras deſeruerunt. Quæ ſi ad noſtrorum annorum ſeriem conferantur, annus nati Chriſti 820. erit, quo primùm è terris illis cedere cæperunt. In via autem, priuſquā regnum ſeu oram Mexicanam attingerent, annos 80. inſumpſerunt. Cur vero tam lento paſſu progreſſi ſint, hanc cauſam prætendunt, quod hoc præcisè mandatum à ſuis Diis accepiſſent. Dij autem hi meri Dæmones erant, qui viſibiliter cum ipſis aſſiduo colloquerentur. Hi iidem illis quoque præfiniebant, vt has, illas, hoc, illo ſigno notatas terras ſectarentur. Quas populi illi tamdiu quæſiuerunt, dum tandem eaſdem, pro Deorum præſagio attigiſſent. Illas ergo continuo occupantes, tum ſedes ſibi commodas figebant, tum agros colebant, ſerebantque. Locis in vicinia adhuc commodioribus inuentis, oras veteres deſerebant, ita tamen, vt illæ à decrepitis, ac ægris timidiſque ſeruarentur. Nonnullis in locis, quæ tranſierant, ædificia pulcherrima extruxerant, qualia etiam hodiè alicubi conſpicua ſunt. His ac ſimilibus rebus 80.

dictos

dictos annos terebant ac inſumebant, cum aliàs viam directa profectione vnius menſis ſpatio emetiri potuiſſent. Pro noſtra ergo ſupputatione, Anno Domini 902. in terram Mexico penitus ingreſſi ſunt.

Cap. III.

Quomodo ſex familiæ Nauatlacas terram Mexico habitare & colere cœperint.

DICTÆ ſuperius familiæ ſeptem, vno comitatu iunctæ egrediebantur. Harum prima Suchimilcos, id eſt, gens agrorum floridorum vocabatur. Hæc in plaga auſtrali iuxta littora magni lacus Mexicani, de ſuo nomine ciuitatem & alia plura loca extruebat. Longo deinde ab his tempore familia ſecũda Chalcas, id eſt, populus Menſium, ciuitatem, ſuo quoque nomine vocatam, condidit, & fines cum Suchimilcos partita eſt. Tertia familia Tepanecas, id eſt, populus de Ponte, littus in parte Occidentali tum colebat tum habitabat. Hæc familia in tantũ augeſcebat ac multiplicabatur, vt loca regionis eius præcipua Azcapuzalco, id eſt, formicarũ cauernæ nominarentur. Et hic populus aliquandiu potentiſſimus floruit. Quarta, quæ Tezcuco poſteà occupauerat, Culhua, id eſt, curua gens erat, ideo dicta, quod in patria eius mons admodum curuus & gibboſus exiſteret. Hoc ergò pacto lacus omnis à quatuor his familiis obſeſſus & cinctus erat, ita, vt hi nouiſſimi partem terræ Orientalem, tertij verò Tepanecas, aquilonarem tenerent. Et quidem qui Tezcuco habitabant, facundi admodum & diſerti habebantur. Nam & lingua eorum ipſo ſono amabilis & iucunda audiebatur. Quinta familia Tlatluicas, id eſt, gens de montanis, omnium inhumaniſſima ac agreſtiſſima erat. Quæ cum terram in lacus circuitu vndequaque iam obſeſſam videret, vlterius in montanorum latus alterum progreſſa, oram amplam & fœcundam inuenerat, in qua oppida & vicos multos cõdebat. Primariam autem ciuitatem ſuam, Quahunachua, id eſt, locũ, vbi aquilæ vox auditur, vocabant, quam nos hodiè Guernauaca, & alio item nomine Marchionatum appellamus. Sexta familia Tlaſtaltecas, id eſt, populus panis, dicta, verſus montanorum partem Orientalem proficiſcens, vſque ad montes niuoſos pertendit, non procul à Vulcano illo celeberrimo intra Mexico & de Los Angelos, conſidens. Ibi enim cum terram optimam & latè patentem inueniſſent, per eam, quoquo verſum diffuſi, plures cum ciuitates tum vicos condebant. Cæterum tum ipſam ciuitatem primariam, tum regionem omnem finitimam Tlaſtalam vocitabant. Et huius nationis ope Hiſpani terras eas, vt ſuprà diximus, occupauerunt: quæ ob id vel hodiè à vectigali & tributo immunis exiſtit.

ſtit. Hæ verò dictæ gentes cum terras has primò habitatũ intraſſent, nullam vſquam à Chichimecas, habitatoribus primęuis, vim aut repreſſionē paſſi ſunt. Chichimecas enim præ ipſis in hiatus cautiũ & montium ſpecus irrepebant. Ex altera verò parte iuxta montes niuoſos, cum Tlaſcaltecas ædificarēt, indigenæ qui, vt hiſtoria fert, pleriq; gigantes erāt, arreptis armis exteros ſuis fundis eijcere vi conabantur, ſecus quam Chichimecas fecerāt. Sed dolo Tlaſcaltecas eos circumueniebāt. Nā cum fœdus primò ſimulatum cum ipſis pepigiſſent, ad conuiuia ſua eos inuitabāt, & epulis lautis eos tractabāt. Hoc modo vbi illos vino largo inebriaſſent, incautis arma ſubmouebāt, quę erāt clauæ grandes, fundæ, gladij lignei, & ſimilia. Exarmatos deinde gigātes, quorundā inſtructiſſimè armatorum virorũ, quos in cauernas quaſdā abſcōderant, ope ac auxilio violenta ac hoſtili manu deſubitò oppreſſerunt. Contra quos ſe tutaturi gigantes, cum dolo ſubtracta ſibi arma viderent, è proximis arboribus facili manu ramos vellebāt, & impreſſionis impetum quadantenus arcebant. At verò, quod intereà ad arma Tlaſcaltecas vniuerſi ruiſſent, & in aciem ſeſe congeſſiſſent, Gigantes tandem tanta ſtrage vniuerſos fuderunt, vt ne vnus quidem eorum ſuperſtes maneret. Iſtis in locis vel hodierno die oſſa humana inuſitatæ magnitudinis reperiuntur. Cum Anno 86. in Mexico ageremus, in montanis, IESVS dictis ab Hiſpanis, gigantem reperimus, cuius mentum pugnum viri perfectè ęquabat, quam molem inuſitatam impendiò admirati fuimus. Ab hac parta victoria, perpetua deinde pace & tranquillitate tum Tlaſcaltecas tum cum his familiæ cæteræ quoque potiti ſunt. Dictæ ergo ſex familiæ inter ſeſe non ſaltem mutuo amicè conuerſabantur, ſed & coniugia vtrinque firmabant, & pacificè tranquilleque admodum ſeſe gerebant. Cuilibet familiæ certatim hoc agebatur, vt honeſtè genus ſuum augeret, & apud finitimos clareſceret. Id ergo videntes Chichimecas adhuc Barbari, cæperunt & ipſi aduenarum exemplum imitari, & veſtibus tecti cum vicinis ſuis conuerſari. Per iſtiuſmodi verò conuerſationem primo metuere dediſcentes, poſteà, quæ ad vitæ commoda facerent, attendebant, ac caſas ſibi extruebant, & formam quandam Reipublicæ conſtituebant, & dominos ſeu priores, quos pro magiſtratu venerarentur, eligebant, vitamque priorem brutalem magna ex parte exuebant. Interim tamen nihilominus in montanis, procul ab aliis ſegregati, habitare non deſinebāt. Et deierare quidem auſimus, hanc aut ſimilem rationem ſortemque olim cæterarum quoq; vniuerſarum nationum Indicarum extitiſſe, vt principio agreſtes ac veluti feri homines è ſolis venatibus viuerēt, per deſerta & vaſtitates diuagarentur, nouas terras quærerent, & eaſdem agreſtium hominum more aliquandiu habitarent, ita, vt nec domos, nec tecta, nec agros, nec pecudes, nec Leges, nec Reges ſcirent. Cum verò ſucceſſu temporis terras meliores ac commo-

diores inueniſſent, cæperunt fortè politias ac Reſpubl. quaſdam, rudi tamen forma, condere, & ſe in vnam q. ſocietatem conferre. Poſteà, qui inter hos aut opulentiores aut potentiores eſſent, infirmiores premere, & ſibi ſubijcere paulatim conati ſunt: dum tandem cum annis aucta poteſtate ſolida regna & imperia cõſtituerẽt. Hoc ipſiſſimo modo citra omne dubiũ regna pleraq;, vt in Mexico, ſic Peru ac prouinciis aliis primitus enata & conſtituta fuerũt. Ex quib. cõſequẽter opinionẽ noſtram, primo huius operis libro fuſius propoſitam, haud inconuenienter firmamus ac ſtipamus: primos nimirum Indiæ Occidentalis habitatores terreſtri itinere illas oras ingreſſos eſſe; & ipſam Indiam cum Aſia, Europa & Africa, nouum ſcilicet orbem cum veteri omnino alicubi cohærere: etſi ea quidem pars, qua iungantur, & ſeſe inuicem contingant, nondum cognita & manifeſtata ſit. Quin & id arbitramur, inter vtrumque orbem tam anguſtum quoddã fretum intercurrere, vt per illud tum quadrupedes tranare, tum homines ſcaphis tranſire facile poſſint. Sed his miſſis ad hiſtoriam reuertamur.

Cap. IV.

De exodo & peregrinatione Mexicanorum, & qua occaſione Mechoacan colere cæperint.

ANNIS ab exodo ſex harum familiarum 320. elapſis, poſtquam nouam Hiſpaniam condidiſſent & habitaſſent, populoſque certis ſtatutis legibus coëgiſſent: ſeptima quoque familia (natio Mexicana poſtmodum facta) ex antro ſuo egreſſa, per prouincias Aztlan & Teculhuacan tetendit. Populus hic politicus, agilis, amabilis ſimul ac bellicoſus erat. Hic ſimulachrum Vitzliputzli, de quo in prioribus multoties diximus, præcipuè adorabat. Diabolus verò, qui per hoc Idolum gentes iſtas regebat & moderabatur, mandatum ipſis dederat, vt ſedes patrias deſerentes, oras alias quærerent: & promiſerat ſimul, quod eas principes ac dominos facturus eſſet omnium illarũ prouinciarum, quas ſex priores familiæ coluiſſent. Terram enim ſe daturum iis perfœcundam, & tum auro ac argento, gemmiſque, & rebus ſimilibus nimiopere diffluentem. Pollicitis ergò his capti populi iſti, ſolum auitum reliquerunt, & indagandis peregrinis terris ſeſe accinxerunt, ſimulachrũ ſuum quoquo verſum ſecum proferentes, quod quatuor primarii ſacerdotes in arca quadam ex ſcirpis contexta iugiter portabant. His verò ſacerdotibus Idolum omnia, quæ in peregrinatione euentura erant, ſecreto reuelabat, & ſimul, qua arte ſingula declinanda eſſent, docebat. Sed & leges ſingulares, ac cultus ceremoniaſque & ſacrificia, quouis tempore præſtanda, iis proponebat. Sine huius cõſenſu ſuaſuque ne latum quidem pedem promouere audebant. Nam & quâ procederent, & vbi reſiderent, ſimulachrum ſubinde quaſi digito ipſis deſignabat.

Cuius

Cuius quidem conſilium in vniuerſis præcisè ſequi illos oportebat. Si quo loco habitandi gratia deſiderent, primum omnium, quod aggrederentur, opus erat, vt Idolo ſuo tabernaculum conderent. Hoc in caſtrorum medio locabatur. Ara verò, cui ſimulachrum imponebatur, ad papiſticarum ararum ſimilitudinem extructum erat. Sacris conſtitutis, agrorum quoq; curam habebant, quos frumento, piſiſq; ac ſimilibus conſerebant. Idoli ſui nutum tam ſeriò attendebant, vt inconſulto ipſo nihil agerent. Meſſem ipſo ſuadente, metebant. Diſceſſionē imperante, caſtra nulla mora, frugibus vniuerſis in agris relictis, promouebant. Quas tamen, qui vel ægri, vel grandæui, vel timidiores in illis locis relinquerentur, in ſuos poſteà vſus colligebant. Horum ſiquidem plurimos certo cōſilio poſt ſe ſubinde reſtites linquebant, vt de gente ſua ac natione terræ quæuis implerentur. Hæc Mexicanorum peregrinatio, filiorum Iſraël ex Ægypto egreſſui quadamtenus ſimilis videtur: quibus & ipſiſmet iniunctum erat, vt terram benedictam occupatum egrederetur, Deum ſuum in nube ducem, & in arca fœderis ſuaſorem attentè obſeruantes. Idem quoque populus, priuſquā in promiſſam terram veniret, multis annis vagatus eſt. Sic ergo non in hoc ſaltē, verùm & in pleriſq; aliis, quorum in hiſtoria Mexicana mentio fit, quædā cum iis, quæ in ſacra Scriptura de filiis Iſraël narrantur, ſimilitudo & conuenientia reperiebatur. Ex quibus manifeſtum eſt, Sathanam omnis faſtus ac ſuperbiæ principem execranda cacozelia Deum creatorem ſemper in omnibus æmulari ſtuduiſſe. Diabolus verò nullus vſquā repertus aut cognitus fuit, qui miſeros homines aut crudelius habuerit, ac ad cultus ac ſacrificia immaniora & ſceleratiora compulerit vnquam, ac vnus hic Mexicanorū Vitzliputzli. Qui populos hos ducebat, ſummus quaſi princeps Mexij vocabatur: vnde poſteà & Mexico, & Mexicanorum nomen enatum eſt. Cæterum hic quoque populus priorum exemplo lento gradu & velut interpolato itinere proceſſit. Diſcretis enim aliquot locis ſeſe dimiſit, & agros coluit, ſeuitque & meſſuit, & habitacula condidit: ſicuti veſtigia horum in multis locis conſpicua ſunt. Tandem verò multis exantlatis laboribus ac periculis in prouinciam Mechoacam, id eſt, piſcoſam, delati, cum loci conditio & fertilitas omnibus arrideret, ibi caſtra metari decreuerunt. At verò, cum, quid facerent, Idolum conſuluiſſent: hinc pergere iuſſi ſunt. Deuotis tamen obteſtationibus ac ſupplicationibus id ab eo tandem impetrarunt, vt aliquos de populo ſuo ſaltem ibi relinquere liceret, qui terram illam fœcundam ararent ac excolerent. Quibus annuens qua id induſtria facerent, inſtructionem ſimul neceſſariam idolum dabat. Ibidem ergo, cum populi inſignis pars, tam viri quam fœminæ in lacum Pazcuaro lauatum abiiſſent: cæteris idolum hoc conſilium dedit, vt lauantibus clàm veſtes ſurriperent, & ſine ſtrepitu tumultuque motis caſtris in-

de abſcederent. Hoc facto, cum cæteri balneo ſuauiter refecti, ex lacu rurſus aſcenderent, ſurreptas veſtes ſimul & ſe luſos animaduertentes, non ſolum ærumnas ſuas ingenti dolore & ploratu luxerunt, ſed erga profugos tam acerbo & internecino odio exarſerunt, vt & habitum ſimul & ſermonem patrium mutarent. Ita enim factum eſſe hiſtoria teſtatur. Hoc tamen ad minimum, eſt certiſſimum, Mechoacanos Mexicanorum hoſtes acerrimos ſemper extitiſſe. Vnde Marchioni quoque de Thale, cum Mexicanos domuiſſet & fudiſſet, ſingulariter gratulati ſunt.

Cap. V.

Quid Mexicanis in Malinalco, Tula, & Chapultepec acciderit.

MECHOACA à Mexico 50. milliarium interuallo diſtat. In harum medio Malinalco eſt. Hoc loco ſocietatis ſuæ quandam fœminam, Dei ſui ſororem vocatam, accuſabant, quod incantatrix ſæuiſſima faſcino ſuo multos grauibus damnis feriret, & ſe pro Dea coli adorarique iuberet. Cuidam verò ex his, qui arcam ferebant, ſeniori per ſomnum reſpondit idolum, iuſſitque, vt populum ſolaretur, & omnia illi fauſta ac proſpera polliceretur. Vt verò etiam vitandi mali conſilium haberent, mandauit populo, vt ſororem ſuam, iracundam & trucem fœminam deſererent, atque ſub noctis ſilentium caſtra clàm proferrent, nec vllum in via, qua perrexiſſent, veſtigium relinquerent. Hoc conſilium ſecuti, caſtra ſilenter mouerunt. Incantatrix autem cum ſe deceptam & luſam ſentiret, eo, quo erat loco, Vicum Malinalco extruxit, cuius incolæ vel dum hodiè faſcinatores habentur, vt qui magicam artem à tam perita matre edocti eſſent. Cæterum, cum Mexicani tum propter hoc diſſidium ortum, tum propter numeroſos ægros, ſeneſque ac puſillanimes, hìc illìcve paſſim relictos, admodum eneruarentur & elangueſcerent: vt vires & robur repararent, in Tula, id eſt, ſcirporum loco, quietum conſederunt. Ibi ab Idolo mandatum ipſis eſt, vt vicinum quendam fluuium perrupto aggere in decliues campos, deriuarent. Quo facto, poſtquam ipſi in montana Coatêpec dicta ſe recepiſſent, effuſa aqua lacum grandem illicò conſtituit: in cuius margine varias arborum ſpecies quoquo verſum plantabant. In lacu verò infiniti piſces, ac in arboribus innumeræ aues conſpiciebantur. Pertæſi ergo longinquæ peregrinationis, & loci amœnitate illecti, hoc loco ſeſe demittere, nec pedem proferre longius, vnanimi conſenſu ſtatuebãt. Qua re irritatus Diabolus, ſacerdotibus crudeliſſimam mortem minitabatur, mandabatque, vt aggere recluſo fluuium in alueum ſuum reducerent: & indicabat ſimul rebelles ac contumaces in proxima

nocte

nocte,pœnas merito ſuo dignas omninò luituros. Ergò, poſtquam ſub noctem concubiam derepentè in caſtrorum loco quodam fragoſus tumultus ſuſcitatus fuiſſet:manè, qui in loco hoc reſtitare anteà decreuerant, vniuerſi mortui reperti ſunt. His verò ſingulis diruptum pectus,atque ex illo euulſum cor ſpectabatur: quo facto Sathanas eos populos docere voluit, quanam victima præcipuè delectaretur.Qua etiam deinceps de cauſa,quoties ei ſacrificatum eſt,immolandis hominibus pectus diſcindi,ac ex eo cor euelli extrahiq; inſtituebatur.Sontibus itaq; hoc modo multatis, ac ſolo deflua vnda reſiccato: Idoli ſuaſu caſtra tantiſper promouebant, donec in Chapultepec locum amœniſſimum ac paſſim celebratiſſimum, à Mexico vnius milliaris interuallo diſtantem peruenirent.In his montanis vallo & congeſtis molibus ſeſe muniebant,timore incolarum, quos vniuerſos hoſtes habebant: ideò comprimis, quod Copil, veneficæ filius,ipſos apud indigenas calumniatus eſſet. Is enim nō hoc ſaltem agebat,vt pro ſe euidens Mexicanis damnum daret, ſed & Tepanecas,Chalcas & finitimos cæteros populos inſtigabat, vt armata manu Mexicanos adorirentur, & penitus excinderent. Spe ergò futuri ſucceſſus Copil montem quēdam, in cētro ac medio lacus eminentem, Acopilco nominatum aſcendit, ex eo loco proſpecturus, qua ſtrage Mexicani funderentur & extirparentur.Hunc verò incautum, ac tale nihil ominantem, ſuaſu Idoli ſui Mexicani ibidem oppreſſerūt. Cuius cor cum ad Idolum tuliſſent,in mare ſeu lacum id proiici mandauit:ex quo poſtmodum,arbor Tunal enata dicitur.Quo loco Mexico deinde extructa eſt. Chalcas itaque cum vicinis cæteris nationibus aciem produxerunt contra Mexicanos, qui Ducem ſibi virum ſtrenuum & armipotentem Vitzilouitli conſtituerant.Is cum pugna intenſior eſſet,in conflictu captus & occiſus eſt. Hoc caſū tamen Mexicani nihilo ignauiores aut remiſſiores,aciem confertis cohortibus redintegrabant, & multis fuſis ſtratiſque, per medios hoſtes ſibi quandam viam moliebantur. In medium ſui ſeniores, fœminaſque ac liberos locantes vſq; in Atlacuyaraya,qui vicus ad Gulhuas,ſocios ſuos,ſpectabat,penetrabant. Vbi ſuas copias reſtaurātes, hoſtium impreſſionem imperterrito animo denuo expectabāt. Sed ab eo tempore deinceps nec à Chalcas,nec vllis aliis populis vnquam bellis laceſſiti ſunt.Pudebat enim ipſos,quod à tam paruis copiis vniuerſus eorum exercitus pulſus & profligatus eſſet.

Cap. VI.

De bello Mexicanorum cum Culhuacanis geſto.

IDOLI ſui iuſſu Mexicani ad primores in Culhuacan legatos amandantes, vt terræ, quam colerent ac habitarent, partem aliquam concederent, obſecrabant. Culhuacani autem ipſos in Tiçaapan ducentes, vt pro arbitrio ſuo ibi agerent, indulgebant. Arbitrabantur etenim fore, vt cum regio iſta ſerpentib. ac venenatis aliis plurimis animalib. ex montanis diruentibus paſſim ſcateret, breui omnes interirent ac occūberent. Sui ergò Idoli ſuaſu conditionem illam acceptabāt: quod ab eodem artem edocti eſſent, qua beſtiis iſtiuſmodi, ne cui nocerent, venenum adeò demeretur, vt etiam tuto in cibum aſſumi poſſent. Id cum Culhuacani intellexiſſent, & inſuper, qua ſedulitate terram excolerent, vidiſſent, adeundæ ciuitatis exteris illis non ſaltem ius præſtabant, ſed & commercia cum ipſis agitabant, ac amicitias contrahebant. Hæc verò omnia triſti fine à Mexicanorum idolo ita inſtituta erant, dicente, non hunc, quem ſibi delegiſſet, verum locum exiſtere, ſed ex eodem vi ac manu armata iterum excedendum eſſe. Mandabat etiam, vt fœminā quandam, quæ dea diſcordiæ & eridis fieret, feſtinò quærerent: quod hoc ingenio cōfectum dare poſſent, ſi nimirum regis Culhuacani filiam pro Mexicanorum regina & ſui Dei matre eligerent & accerſerent. Petitione hac ad Regem nūciata, filiam ſuam, pulcherrimè ornatam coronatamque ad Mexicanos miſit. Quam cum ipſi, vt fas erat, accepiſſent, eandem Idoli ſuaſu crudeli mortis genere affectam, totam excoriarunt. Pellem autem fictitio iuueni cuidam, virgineis veſtibus induto incinxerunt, & hoc habitu Regis filiam iuxta Idolum ſtatuentes, ipſam Deam, & Idoli matrem ſalutarunt, eamque adoratam Toçi, id eſt, auiam ſuam nominauerunt. Immanitate vero hac nec dum ſatiati, patrem inſuper virginis vocarunt, vt veniens filiam ſuam, quam deam initiaſſent, veneraretur & adoraret. Qui vbi multo comitatu & muneribus ampliſſimis inſtructus veniſſet, in ſacellum quoddam admodum obſcurum ac tenebroſum, vbi cum Idolo filia Regis ſtabat, ſacra facturus abducebatur. Cum vero carbonibus iniectum thus flammam feciſſet, pelle filiæ agnita, doloque intellecto, lachrymabundus è templo exiliens, Mexicanos animo manuque tam forti ac bellicoſa adortus eſt, vt ad ipſum vſque lacum eoſdem profligaret, ac in eas anguſtias adigeret, vt, quin vniuerſi in lacu vnà mergerentur, parum abeſſet. Hi tamen, cum in ſummo periculo omnia conſtituta viderent, recollecto animo telis virgeis in hoſtes coniectis, eorum viciſſim haud paucos ſauciarunt, & ab inſtātibus

bus ſe quodam modo extricarunt. Statione verò ſua deſerta, lacum toti madidi & laſſi tranſgrediebantur, fœminis ſimul ac liberis magno vlulatu planctuque, de idoli ſui, à quo in tot pericula coniecti eſſent, iniuria quiritantibus. Præter lacum fluuius porrò etiam alius profundiſſimus illis tranſeundus erat. Itaque ex peltis, telis, ac ſcirpis vna iunctis ligatiſque faſciculos crateſq; quibus fluuium traiiceret, conficiebant. A Culhuacan longis ambagibus in Iztapalacam, hinc porrò in Acatzintitlam, tandemque per locum illum, quo hodie S. Anthonij eremitæ ſacellum viſitur, in viam Mexicanam S. Pauli dictam, venerunt. Horum verò longos errores & accepta damna plurimis ac ingentibus ſubinde promiſſis factis Idolum ſolabatur mulcebatque.

Cap. VII.

De primordiis ac ædificatione Mexico.

IAM verò tempore tandem appellente, vt princeps homicidij ac mendacij diabolus cultoribus ſuis, qui iam erroribus ac laboribus longioribus ſuſtinendis pares non eſſent, promiſſa præſtaret; forte fortuna accidit, vt è ſenioribus ſacerdotibus aliqui per denſa iunceta ambulantes, ad vndam quandam claram, & auri candore pellucentem accederent. Poſtquam ergò circumactis oculis curiosè omnia diſpicerent, ac tum arbores, tum prata, piſceſq;, deniq; omnia oppidò candere admirabundi viderent: vaticinij cuiuſdam recordabantur, olim ab Idolo pronunciati, talem nimirum metam illam futuram, qua quieſcerent, & cæteris populis latè dominarentur. Præ gaudio ergò in lachrymas effuſi, hoc nuncium populo impertitum præcipites in caſtra reuertebantur. Sequente verò nocte ſacerdoti cuidam ſeniori Vitzliputzli per inſomnia apparuit, iubens, vt in lacu ſpectato Tunal arborem, è ſaxo enatam, eo loco, vbi faſcinatricis filij Copil cor demerſum fuiſſet, manè quærerent. In iſta ſiquidem arbore aquilam repertum iri aiebat, quę ibi cum volucribus aliis pulcherrimis viueret. Quæ ſi omnia ita conſtituta reperirēt, certò confiderent, ipſiſſimum hunc locum eſſe, in quo ciuitatem ſuam vniuerſas alias ſplendore exſuperaturam, ac per vniuerſum orbem celeberrimam futuram extruerent. Exorto die vero ſacerdos iſte conuocato vniuerſo populo, maioribus, minoribus, quantam gratitudinem ſuo Deo deberent, præfatus, ſignificabat, quam læta ſibi, licet indigno, apparuiſſent. Facerent ergo, vt certatim locum iſtum quęſitum exirent. Iam ergo profuſo gaudio vniuerſis exultantibus, nulla mora progredientes, vtroque latere per iunceta perrumpebant, & eodem ſtatim die ad aquam illam, quam ſacerdotes ſpectaſſent, pertingebant, quæ iam quidem nō amplius argēteo colore nitebat, verum ſangui-

ſanguinis inſtar rubebat,ac in duos alueos diffluebat, quorum alter præ craſſitie vniuerſus obſcurabatur. Cui rei omninò arcanũ quoddam ſubeſſe arbitrabantur. Quoquouerſum itaque illis diſquirentibus,tandem Tunal arborem, è rupe naſcentem conſpicabantur, in cuius ſummitate Regia aquila exertis alis ſtans, oculos ſoli obuertebat.In huius ambitu pretioſæ pennæ,candidæ,rubræ,croceæ,cyaneę, ac virides ſuffixæ ſtabant,pulchritudine vel cum illis certãtes,ex quibus imagines concinnari ſuperius commemorauimus. Ipſa aquila vnguibus ſuis pulcherrimam auem prehendebat. Itaq; viſa hac aue oraculi loco confirmato,in genua vniuerſi procidentes, aquilam veluti adorabant.Sed & aquila ipſa capite annuebat,& oculos quoquo verſum contorquebat.Poſthæc magno ſuo Vitzliputzli, cui vniuerſorum patri, veritatiſque perpetuo aſſertori,deuotas gratias agebant, & quam primam ciuitatem ab eo condebant, Tenoxtitlam, id eſt, Tunal in ſaxo nominabant. Sed & hodiè pro inſigni ſuo præferunt Aquilam in Tunal ſtantem,& auem vnguibus prementem. Poſterò die ſacellum rectà ſub aquilæ Tunal extruebant, in quo ſui Idoli arcam tantiſper reconderent,dum templum auguſtius &ſublimius ædificarent.Sacellum autem è glebis & rebus aliis compingebatur, & ſtramine deſuper tegebatur.Ab hoc deinde conſultabant,quomodo à vicinis ſuis,tum ligna, tum lapides & calcem, pro piſcibus, ranis & Garnaet,ac anſeribus,auibuſque aliis,in dicto lacu captari ſolitis,impetrare poſſent. Huiuſmodi ergò res in oppida vicoſque Tepanecarum & Tezcucorum inferentes,quæcunque ad ciuitatis ædificationem neceſſaria erant,illis in foro permutatis redimebant: & ante omnia ſacellum grandius ex calce & lapidibus ſuo idolo ſtruebãt. Sed & magnum lacus partem aſſeribus ac cæmento conſtipabant. His peractis ſacerdotum cuidam noctu Idolum vniuerſis in Mexico iniungere mandabat, vt quiuis dominus cum ſuis cognatis & adhærentibus in quatuor primarias vicinias abſcederet,ita,vt domus, quã in ſignum quietis condidiſſent, in medio ſolitaria relinqueretur, & vt quælibet cognatio,vbi ſibi commodiſſimum videretur,domos& habitacula faceret.Sic ergò quatuor illæ plagæ exædificatæ excultæq; fuerũt,quæ hodie S.Ian de Ronde,S. Mariæ, S.Paul,& San Sebaſtiani vocãtur.Mexicanis itaque hoc modo quatuor ſpatiis diremptis,Idolum porrò iniungebat,vt quos ipſis Deos nominaturum eſſet, inter ſeſe partirent,& vnum quoduis ſpatium, in diſcretas plateas diuiderent,vt diis iuſta veneratio commodius præſtari poſſet. Spatiorum autem horum aliæ quoque partes minores erant, quæ ſecundum Deorum numerum, quos pro iuſſu Idoli veneraturi eſſent, conſtituebantur.Et hi dij Calpultetco,id eſt,dii platearum vocabantur. Ex tam leuibus ergo primordiis ciuitas Mexico Tenoxtitlan enata, tam auguſtis incrementis poſt inualuit & exſplenduit.

Cap.

Cap. VIII.

De Tlatellulcorum ſeditione, & quî Mexicani primum regem ſuum conſtituerint.

PLATEARVM ac vicorum ſuperius dicto modo diſtributione facta, nonnullis nobilitate generis inſignioribus videbatur, quod non pro merito ac dignitate ſua loca idonea acceptaſſent. Id ad ſui ignominiam ſpectare putantes, ſeditione motâ, iſto loco cum cognatis omnibus emigrarunt, & ſedes alias quæſitum progreſſi ſunt. Per lacus ergò longitudinem protendentes, terramque quandam raram ac editiorem attingentes, eam Tlatellulco indigetarunt, ac habitandi animo occuparunt. Et hoc tertium Mexicanorum diuortium erat, quod à primo ex ſolo patrio egreſſu fecerant. Primum fiebat apud Mechoacam. Secundum apud Malinalco. Tertium hoc loco. Quo qui ſe demittebant, Mexicanos aſſiduis damnis iugiter laceſſebant. Quicquid enim in horum moliri contumeliam ſciebant, inauſum certè non linquebant. Animaduertentes ergò Tenoxtitlani, quod Tlatellulcos tam offenſos & acres hoſtes haberent, & quod illi indies tanto numero augeſcerent ac multiplicarentur: ne quando ipſis potentiores euaderent, valdè metuebant.

Ad quod prohibendum, nihil conſultius rati ſunt, quam vt è ſui medio Regem conſtituerent, cui vniuerſi parerent, & quem vicini hoſtes pauerent. Tum & hoc modo fore arbitrabantur, vt & ipſi maiorem inter ſeſe concordiam fouerent domi, & foris hoſtium petulantia procliuius reprimeretur. Cum ergò his de cauſis eligendi regis ſententia immota perſtaret: conſilium aliud intercidit, nequenquam è ſui medio regem crearent, ne electio non omnibus probata diſſidij ac diſcordiæ ſemen fieret. Sententiis ergò in partes omnes trutinatis, Regem Culhuacanum, quem obtruncata & excoriata filia ludificatum grauiſſimè offendiſſent, placare & ſibi reconciliare ſtatuerunt: ideò comprimis, vt ex Regio Mexicanorum ſanguine procreatum imperatorem, cuius dignitatis in Culhuacan plurimi erant, impetrare poſſent. Pro rege verò ſibi decernebant virum iuuenem Acamapixtli, inſignis cuiuſdam Mexicani principis filium, qui matrem Regis Culhuacani filiam habuerat. Huic vt Regia dignitas cum ampliſſimis muneribus haud cunctanter deferretur, ordinarij legati mittebantur, qui mandatum ſibi munus his ferè verbis exequebantur. Maxime princeps, nos tui ſubditi ac miniſtri Mexicani in vaſtis & deſertis iuncetis

agentes, & ab omnibus populis totius orbis deſerti (nam huc à Deo noſtro adducti ſumus, qui locus tuæ iuriſdictioni ſubiectus, ad Azcapuzalcos & Tezcucos pertinet) caput ac Regē vnicè optamus, qui nobis imperet, ius dicat, tueatur, de faciendis inſtruat, vitæ certum ac laudatum modum præſcribat, contraque hoſtes nos protegat ac tueatur. Iam verò, cum haud neſcij ſimus, in familia tua filios, tam nobis quam tibi cognatos, & ex vtrorumque ſanguine prognatos, comprimis verò tuum ſimul ac noſtrum nepotem Açamapixtli, regundis nobis apprimè idoneum exiſtere: ideoque vt illum nobis dominum ac Regem præſtituas, deuotiſſimè obſecramus: cui nos quidem omnem, vt fas eſt, obedientiam perpetuò præſtabimus, vt qui ex Regibus Culhuacanis, & ſanguine Mexico prodierit. Deliberata ergò re, Rex Acamapixtli, hoc cum Mexicanis, populo ingenioſiſſimó & bellicoſiſſimo initum fœdus, ipſi non tenui gloriæ futurum, reſpondit: ac ad legatos verſus, vt nepotem ſuum bonis auſpiciis ſecum abducerent, iuſſit. In hoc enim ſe iam conſentire: non certè facturum, ſi pro Regina fœminam petiiſſent. Quibus verbis vetus facinus clam ipſis exprobrabat. Tandem autem orationem ſuam his verbis finiuit: I fili mi, Deo tuo ſerui, eiuſque vicarium age, & creaturas eius, per quem viuimus, qui dominus diei, noctis & ventorum eſt, rege. I fili, & dominus eſto aquarum terrarumque, quas natio Mexicanorum occupauit.

Ad legatos verò dixit: ſecundis auſpiciis hunc vobiſcum abducite, ac, vt ipſum pro filiæ meæ filio colatis, curate. De iſto ergò officio Mexicani regi gratias agentes, orabant, vt nouo Regi ſua manu ſponſam adduceret. Quod Rex faciens, puellam è præſtantiſſimis illi coniugem faciebat. Nouum ergo Regem cum Regina Mexicani illuſtri pompa in Mexico adducebant: vbi iuuenes ſimul ac ſenes, confertim ad nouum Regem ſpectandum confluebant. Hinc magno comitatu in palatium, tenui ſanè apparatu ornatum, abductus, ſolio Regio imponebatur: vbi orator quidam ſenex orationem exorſus, ita ferè dicebat: Fili Regie, ò Rex ac domine, in hac paupercula domo ac ciuitate ſalue. In deſerto hoc ac iunceto ea perpetimur, quæ nobis creator noſter imponit. Tu ergo tutor, propugnator ac Mexicanæ nationis, quæ Vitzliputzli Dei noſtri ſeminium eſt, & cuius nomine gubernatio tibi defertur, auctor eſto. Ignorare verò non potes, quod iam à ſolo patrio exulemus. Hæc ſiquidem terra, quam tenemus, nobis peregrina eſt, nec, quis diei craſtini euentus ſit futurus, compertum habemus. Ex quo colligere potes, non ad otium & quietem te vocari, ſed ad nouos omnino ac perpetuos labores quaſi conduci. Vniuerſæ enim huius multitudinis, quæ tibi iam traditur, veluti miniſter ac ſeruus eris, ac eam contra hoſtes vicinos ſimul & remotiores animosè tutaberis.

Noſtris autem comprimis vicinis te commendabis, & cum ipſis

pſis, in quorum territorio habitamus, concordiam ales. Quibus verbis orationem finiens ſenex, prima verba hæc repetebat: Salue & tu, & Regina noſtra domina, hoc in regno tuo. Habita hæc à ſene oratio aſtantibus omnibus, teſte hiſtoria, probabatur. Cui reſpondens Rex, de gratulatione facta, ſuis ſubditis primò grates agebat: deinde omnem ſuam ipſis operā curamque deferebat, qua ipſos pro ſummis viribus adiuturus eſſet. His peractis, cum Regi iuramentum præſtitiſſent Mexicani, eius capiti coronam, Venetianis principibus imponi ſolitæ ſimilimam, obdebant. Primi huius Regis nomen idem ſignificat, ac alga in manu. Vnde pro inſigni etiam ſuo manipulum arundinum oſtentabat.

Cap. IX.

Quale tributum Mexicani Azcapuzalcis pendere ſuerint.

NOVI Regis electio tam felix, & auſpicata erat, vt breui tempore Reipubl. formam exactiſſimè conſtitutam acciperent, ad quam etiā peregrini attenderent. Finitimi verò his qui populi erant, partim metu, partim odio, illorum exitium meditabantur: ex quibus Tepanecas, quorum ciuitas primaria Azcapuzalco dicta erat, ſe primos offerebant. His Mexicani, quod peregrè aduenientes ipſorum in ditione conſediſſent, tributarij erant. Ipſorum ergò Rex, Mexicanorum potentiam admodum formidabat, quod eos ſubinde magno numero augeſcere videret. Horum excindendorum occaſionem captans, ad Regem Acamapixtli denunciari curat, quod tributum funderent, nimis tenue eſſe: curarent ergò, vt deinceps Tunal ac arbores aliæ pro amplificanda ſua ciuitate ad eum certo numero ferrentur. Porrò vero id etiam agerent, vt in media aqua agrum conſtiparent, quem diuerſæ ſpeciei piſis ac fructibus aliis conſererent: & hunc ipſum poſteà, probè maturatis fructibus per ipſam aquam, ſine omni noxa ac læſione ad ſe promouerent ac veherent.

Id ni facerent, ſcirent, non perpetuas ſaltem inimicitias ſibi indictas eſſe: ſed vniuerſale ipſorum excidium iam iam parari & accurari. Qua poſtulatione audita, mirum quantoperè Mexicani incanduerint, cum poſtulatum ita conſtitutum viderent, vt non ſolum non præſtari poſſet, ſed & vnum ipſorum interitum concerneret. Ipſis ergo trepidioribus, per noctis inſomnia Vitzliputzli apparuit, & Regi nunciari iuſſit, vt bono ac præſenti animo

eſſet, conditionemque iniunctam acceptaret. Nam petiti tributi poſtulationem, vt præſtaretur, ſibi curæ cordique futuram. Nec feſellit euentus. Soluendi enim tributi tempore appropinquante, Mexicani non arbores ſolum, ſed & ipſum agrum per mediam aquam afferebant. In agro autem erant Maiis, Chili ſeu Axi, Blitum, Tomates, Friſolen, Chias, cucurbitæ & fructus alij approbè maturi plenique. Et hos quidem lacus Mexicani agros qui non ipſis oculis contuitus eſt, is rem hanc aut fabuloſam, aut merè præſtigioſam ac diabolicam haud dubio arbitraturus eſt. Sed huiuſmodi agri non ſaltem facili labore fundantur, verum etiam paſſim in lacu frequentes ſunt.

Eorum ſtruendorum hæc ars eſt. Congeſtis ſcirpis ac algis propter ſummam leuitatem ſurſum renitentibus, terram iniiciunt, ac agros firmant. In his ſerunt, quæ volunt, quæ pleraq; vegetè ac largiter enaſcuntur. Ipſi agri huc, illuc, pro hominum arbitrio feruntur. Huiuſmodi ſtructuras, opera Vitzliputzli addita, in principio multò exquiſitiores factas fuiſſe arbitrantur: quibus ſpectatis ipſe Rex Azcapuzalco impendiò admiratus dicitur, cum rem hanc nulla vſquam induſtria præſtari poſſe, primo cenſuiſſet. Idem ad ſuum populum dixit, Mexicanorum Deum magnum & potentem eſſe, à quo omnia confici poſſent facillimè. Porrò autem ad Mexicanos verſus, dixit, quoniam Deum, cæteris omnibus potentiorem & peritiorem haberent: ideò ſe mandare, vt ſequentis anni eo tempore, quo tributum penderent, aut ſedentes aut ouis incubantes anſeres ac ardeas in natatili agro afferrent. Quod ni facerent, hoſtium loco omninò eſſent. Cuius petitionis iniquitate poſtquam iterum Mexicani admodum offenderentur, more ſuo idolum per inſomnia eos iterum ſolabatur, ac, vt præſentes eſſent, iubebat. Seſe enim vnum iſthæc vniuerſa curaturum eſſe. Tempus autem fore, vt petulantiam ſuam in nouis & inauditis tributis exigendis Azcapuzalcani propriæ vitæ impendio aliquando expiaturi ſint. Iam verò ſilentio & obedientia omnino opus eſſe. Tributi itaque pendendi tempore cum agris ſuis inſtructis appellebant Mexicani: in quibus eo ipſo puncto, quo in terram excederent, anſer ac ardea pullos ex ouibus excludebant.

Quod tamen qua ratione fieret, nec ipſi quidem norant. Rex ergò viſum miraculum impendio admiratus, dicebat, huiuſmodi res longè ſupra vires humanas eſſe: & Mexicanos, ſi ita pergerent, cæterorum vniuerſorum populorum dominos fore. Cæterum de tributo ne quidem tantillũ demebatur. Mexicani interim, cũ ſe viribus inferiores viderent, iniurias antiquas ferendo, quinquaginta integris annis ſeruitutis illud iugum patienter tolerabant. Circa id tempus Acamapixtli Rex, qui Ciuitatem Mexico multis ædificiis, plateis, alueis ac canalibus, & neceſſario commeatu auxerat, & illu-

illuſtrarat, diem extremū obiit: qui regni habenas cum pace & tranquillitate 40. annis moderatus; vnam amplificandi & felicitandi regni curam ſibi præfixam habuit. In agone autem conſtitutus, hoc inſigne præſtitit, vt non quibus vellet, regnum ex ſe deferret, ſed populo electionis plenam libertatem relinqueret, cùm & ipſemet ſolius populi ſuffragiis regno potitus eſſet. Subditis ergo hortator erat, vt talem quendam eligerent ſucceſſorem, cui regni ſalutem curæ cordiq; futuram cenſerent. Quibus cùm vxores ac liberos ſuos commendaſſet, auram extremam placidè expirauit.

Cap. X.

De ſecundo Mexicanorum Rege, & de iis, quæ imperante ipſo acta ſint.

CORPORE defuncti Regis humato, ſeniores populi ac primarii de nouo rege eligendo concilium coëgerunt. Ibi quidam annoſiſſimus fari exorſus, ſtatum Reipubl. perturbatum omnium animis exhibuit, dicens, conſultum omnino ac neceſſarium eſſe, vt tale iterum caput ac Rex ciuitati præficeretur, qui ſenum patronus, ac viduarum parens, & orphanorum ac omnium in vniuerſum ſubditorum tutor ac curator eſſet. Populum autem ſui Regis alarum pennas, ac oculorum palpebras, & faciei barbam viciſſim eſſe debere. Neceſſarium ſibi quoque videri dicebat, vt Rex nouus prudēs ac cordatus ſit, cum ſubditi eodem ſubinde momento & arma & raſtra tractare cogantur, ſicut id Idoli vaticinio ratum ſit. Quibus ſic habentibus; vnanimi conſenſu defuncti Regis filium Regem pronunciabant, ſperantes, eum patris, qui ſubditorum ſuorum ſalutem vnicè ſpectaſſet, veſtigia in omnibus ſecuturum eſſe. Nomen huius iuuenis Vitzilouitli erat, quod idem ſonat, ac inſignis ac pretioſa penna ſeu criſta. Illius ergo capiti regalem coronam imponentes, corpus regali (aliàs diuino dicto, quod eodem Idola quoque lini ſolerent) vnguento perfundebant. Hoc ritu rex fiebat. Poſthæc rhetor quidam prægnantem orationem exorſus, nouo regi animum addebat, vt in redimēdo & è ſeruitute extricando ſuo populo imperterritus duraret. Finita oratione, obſequentiæ iuramentum Regi omnes ſubditi ex ordine præſtabant. At vero quod vitæ cælibis eſſet: ſuaſores ac autores ipſi conſiliarij erant, vt vxorem ſibi Regis in Azcapuzalco filiam poſceret. Hoc enim medio nouas & conſtantes amicitias ſartum, & duræ ſeruitutis iugis quodammodo lenitum iri, perſuaſum habebant. Ex altera vero parte verebantur, vt apud Regem, cui ſubditi & vectigales eſſent, ignominioſam repulſam ferrent. Verūtamen cum ſubmiſſa ac deuota ſollicitatione miſſis legatis hanc rem popoſciſſent, conſenſum à Rege facilem impetraue-

trauerunt, vt filiam ſuam Ayauchigual cum bonis ac ceremoniis ampliſſimis nouo Regi vxorem daret. Matrimonij autem firmandi hic ritus erat, vt laciniam pallii ſponſi cum veſtibus ſponſæ innecterent. Hoc ſignum coniugij, ſeu vinculi maritalis erat apud ipſos. Cæterum cum Regi nouo infans natus eſſet, auum, vt nepoti ſuo nomẽ imponeret, pro more patrio rogarunt. Nam hanc rem ſortibus perficiunt, & in dandis nominibus, admodum ominoſi ſunt. Iubebat ergò Rex in Azcapuzalco, vt filiæ puer Chimalpopoca, id eſt, clȳpeus fumans, nominaretur. Quod verò Regina videret, patrem ſuum, recens nato nepote impenſius oblectari: occaſione arrepta apud ipſum precariò inſtitit, vt Mexicanos graui tributo ac cæteris oneribus ſeruitutibuſq́ue liberaret. Subditorum ergo conſenſu votoq́ue lecto, petitioni filiæ Rex ita annuit, vt vice vniuerſi tributi quotannis duos anſeres, & aliquot piſces penderent, vt hoc ſigno poſt aliquot ſecula recordarentur, quod ſibi ſubditi fuiſſent, & terram ſuam habitarent. Oneribus ergo his iam liberi Mexicani, vitam multò pacatiorem ſibi poſtmodum futuram ſperabant. Sed gaudij huius perfruitio haud quaquam diuturna extitit. Nam Regina patrona à paucis annis obibat: poſt quam elapſo anno ipſe quoque Mexicanorum Rex, Vitzilouitli fato fungebatur, filium Chimalpopocam decennem poſt ſe relinquens, poſtquam regni habenas 13. annis moderatus fuiſſet. Cum moreretur, annorum triginta erat. Viuus omnibus amabatur ob probitatem. Sed & prudentiæ ſingularis erat. Nam vicinos omnes ſingulari humanitate tantoperè ſibi conciliabat, vt & ab omnibus certatim amaretur, & ſuam ciuitatem bonis plurimis amplificaret. Subditos ſuos in certaminibus naualibus inſtruebat potiſſimum: vt poſcente neceſſitate reprimendis hoſtibus aptiores eſſent.

Cap. XI.

De tertio Mexicanorum Rege Chimalpopoca: & de huius crudeli obitu: vt & de cauſis, quibus Mexicani moti bellum adornarint.

REGE Vitzliouitli defuncto, poſtquam Mexicani de ſucceſſore idoneo diu deliberaſſent, loco eius filium Chimalpopocam decennem ſuffecerunt. Nam alta cum Rege Azcapuzalco amicitia omnino opus eſſe, peruidebant. Qua cauſa nepotem ipſius in patris defuncti locum ac ſolium omnino euehendum putauerunt. Huic ergo Regia ſigna, nempe arcum cum telis, & gladium offerentes, indicabant, armis his ad vindicandam libertatem opus eſſe. Cæterum Mexicani aquæ potabilis penuria maxima torqueban-

quebantur. Lacus enim admodũ cœnoſus & vliginoſus, potum inſuauem ſimul & inſalubrem dabat. Vnde, vt has difficultates euitarent, recens creati Regis nomine ad Regem Azcapuzalco legatos miſerunt, qui apud Regem inſtarent, vt aquæ in Chapultepec, quæ à Mexico vnius milliaris ſpacio aberat, ipſis copiam & vſuram faueret. Re à Rege impetrata, Mexicani, qua arte & ingenio eam aquam in ciuitatem corriuarent, ſedulò meditati ſunt. Cum verò tum ſtratis canalibus, tum aliis machinamentis tentatis per lacum, vndam traducere fruſtrà diu anniſi eſſent: tandem (forſan, quod Tepanecas bello infeſtare ſatagerent) ad Regem Azcapuzalco confidentibus legatis miſſis, ſignificarunt ipſi, quod aqua iſta, quam donaſſet, minimè frui potirique poſſint, cum aquæ ductus in plurimis partibus confringerentur. Petere ſe ergo, vt tum ligna, tum calcem, lapideſque ac artifices, qui canales putredini non obnoxios ſtruerent, ad ipſos Rex mitteret. Sed poſtulatio hæc, vt Regem, ſic ipſos comprimis ſubditos haud parum offendebat, vt quæ non ſolum temeraria & ſuperba, verum etiam iniqua videretur, & neſcio quid rebellionis in magiſtratum præ ſe ferret. Legatis itaque conſiliarij Regij per ſe reſpondebant, petitionem eorum impudẽtiæ & temeritatis plus ſatis promere. Nam, qui, quod in terra peregrina non tantum humaniter ferrentur, ſed & aqua rebuſque alijs neceſſarijs adiuuarentur, contenti eſſe debebant: hos, dicebant, iam etiam ſuperiores pro ſeruis quærere. Iubebant ergo, vt planè ac rotundè, quidnam his iniquis poſtulatis, gens illa, in algetis ac iuncetis quaſi ſepulta quæreret aut ſatageret, faterentur. Præſumptum enim ſibi eſſe, breui tempore clarum facere, quantoperè hæc ſibi temeritas probetur: quibus obſtinatè decretum ſit, non ſaltem poſtulantium ſupinam temeritatem & inſolentiam iſtam retundere, ſed vniuerſos ipſos inſtructa manu immaniter obtruncare, & excindere. Hac excandeſcentia & indignatione primores à Rege, quem propter nepotem Mexicanorum Regẽ iam dudum ſuſpectum habebant, abſcedebant, & pro ſe ipſis rem noua conſultatione deliberabant. Statuerunt ergo publica voce quoquo verſum denunciandum eſſe, ne quiſquam porrò Tepanecanorum cum Mexicanis quicquam commercij ageret: tum, vt nec Tepanecani Mexicanorum ciuitatem ingrederentur, nec hos in ſuam intromitterent. Secus qui faceret, crudeli morte afficeretur. Ex quibus (vt hoc obiter dicamus) colligere licet, gentium harum Reges, non abſolutum ac perfectum in ſuos ſubditos imperium habuiſſe, ſed conſulum ac primatum more ſaltem ſuos ciues rexiſſe. Rex ergo Azcapuzalco cum animaduertiſſet, primates ſuos id obſtinatè iam agere, vt Mexicanos delerent & extirparent: rogabat eos, vt furtim regem recentem è mediis Mexicanis eriperent, & poſteà, quod vellent, maturarent. Huic regis conſilio haud pauci aſtipulabantur. Contra hos verò duo è primariis proſilientes, conſilium hoc omnino damnoſum eſſe, vociferaban-

ferabantur, dicentes, etſi Chimalpopoca quidem, matris ratione ad ſe pertineret: patris tamen partibus longè certius ipſum omnino adhæſurum eſſe. Conſultum ergo ſibi videri affirmabat, vt idem ante cæteros omnes è viuis tolleretur. Et huic voto poſteà vniuerſi cominus aſtipulati ſunt. Quã quidẽ rem Rex Azcapuzalco tanta indignatione tulit, vt animi ægritudine decumbẽs, paulò poſt vita fungeretur. Porrò ergò defuncto Rege Tepanecani non diu feriabantur, ſed furtim per noctem ad palatium Regis, vbi ſomnũ captabat, contendentes, tanto ſilentio eum iugulabant, vt factum ne vnus quidem obaudiret. Sub auroram verò, cum nobiles Mexicani pro more ſuo Regem ſalutatum venirent, vulneribus eum aliquot perfoſſum ac mortuum in cubiculo inuenerunt. Tumultuaria ergò trepidatione veluti furiis perciti Mexicani, regis mortem vindicatum arma omnes arripiunt, & ſurſum, deorſum: prorſum, vorſum fremebundi quoquo verſum diſcurſitant. Quam confuſionem, cum nobilium quidam primarius ſpectaſſet, tumultus compeſcendi cauſa hæc ad eos verba exorſus eſt: Quô tandem præcitamini, ô Mexicani? quô ruitis? quid furitis? ſtate, & quieſcite, memores, furorem & feſtinationem ſemper fatales exitus habere. Ita verò vobis perſuaſum ſit, quod, etſi quidem Rex noſter nobis ſublatus ſit, non omnis tamen Mexicanorum ſanguis inaruerit. Nam & priorum Regum nobiſcum filij ſunt, eadem facinora ſtrenuè deſignaturi, quæ recens defunctus rex noſter præſtaturus erat. Hoc itaque ſi furore graſſabimini, quis veſter dux, quis caput erit? Pede ergo cohibito, de rege primum ac domino nouo, qui vos ducat, firmet & animet, diſpicite. Tum & defunctum prius honeſtè tumulate: & poſteà huius vindicandi occaſionem molimini. Hac oratione ergo Mexicani deliniti, exequias occiſo Regi adornabant, ad quas honoris gratia primates Tezcucanos & Culhuacanos etiam inuitabant, & nefandum Tepanecanorum latrocinium ad ipſos quiritabantur: quos vnà obſecrabant, vt Tepanecanis nullas ſuppetias ferrent, quos infeſtis armis omnino tentare ſibi conſtitutum ſit. Præter hoc enim ſe nec arma nec milites ab ipſis efflagitare: hoc ſaltem agerent, vt otioſi euentus ſpectatores eſſent, & in nullo ſibi quacunque re obſtarent. Quibus obteſtationibus cum Tezcucani & Culhuacani in condolentiam pertraherentur, non ſaltem Mexicanorum propoſitum probabant, verum & commercia omnia ac ſummam amicitiam iis offerebant, vt è ſua terra ſibi omnia neceſſaria comparare pergerent. His tranſactis, vt ad noui Regis vſque electionem apud ſe morarentur, Mexicani eoſdem rogabant.

Cap.

Cap. XII.

De quarto Rege Iſcoalt, & bello Tepanecanis illato.

POSTQVAM, qui noui Regis electionem accurare ſolebant, conueniſſent, è Senioribus quidam Rhetor facundiſſimus ſurgens, hac ferè oratione concilium allocutus eſt. Vos, ô Mexicani, oculorum, non cordium lumen deſideratis. Etſi enim eum perdidiſtis, qui lumen & dux veſter erat: vobis tamen ſuperſtes cor manſit, quod cogitat, etſi hoſtes vnum quidem iugularint, veſtrum tamen tam multos ſupereſſe, vt quod deſideratur, ex iis commodè ſarciri queat. Nobilitas Mexicana nondum extirpata iacet: nec ſanguis omnis regibus euanuit. Diſpicientes itaque, non vnum aut alterum, ſed plurimos præſtantes principes ac Regis Acamapixtli, natiui noſtri domini filios ante oculos vobis verſari videbitis. Ex illorum medio, quem vultis, deligite, & hunc vos velle, illum nolle, planè expedite. Quod ſi vnum quidem patrem perdidiſtis, in hoc ipſo tamen loco continuò alium patrem ſimul ac matrem, reperietis. Cogitate, ô ſocij, ſolem quidem tenebras exiguas offudiſſe: ſed lucem eius maioribus radiis haud cunctanter vobis rurſus effulſuram. Mexico quidem ſui Regis obitu obtenebrata eſt: At è vobis Sol rurſus prodeat. Eligite ergò Regem alium, in quem oculos ac corda veſtra intendatis. Et is eſt, quem Deus veſter Vitzliputzli eliget. Hac oratione aliquouſque diducta, tandem vniuerſorum conſenſu Orator concludebat, vt Iſcoalt, id eſt, anguis ſinuoſus, Mexicanorum Rex eſſet. Is filius Regis primi Acamapixtli erat, à ſclaua progenitus. Qui etſi non legitimo coniugio natus eſſet, attamen propter morum amabilitatem, ac fortitudinem & ſummam prudentiam, quibus virtutibus vniuerſis præſtabat, eum elegerunt. Et huius electio ipſis quoque Tezcucanis præcipuè placebat, quod Rex ipſorum huius Iſcoalt ſororem vxorem haberet. Quamprimum ergò recens electus & coronatus Rex ſolio Regali impoſitus eſſet, ſurgens alius Rhetor, longa oratione inculcabat ac repetebat, quam arcto vinculo Rex ſuis ſubditis deſtrictus eſſet, & quantoperè vſus exigeret, vt Rex in aduerſitatibus fortem & conſtãtem ſe præberet. Verba autem talia erant: Nos vniuerſi, ô Rex, à te vno depẽdemus. Onus ergo hoc tuis humeris nõ excute. Recordare ſeniorum, orphanorum ac viduarum, vt & filiolorum tuorũ, qui manibus ac pedibus per pauimentum repunt, ne ſi hoſtes noſtri nos vincant, illi pereant. O domine, pallium tuum extende, & impone humeris tuis filios tuos, qui ſunt populus iſte tuus, qui in vmbra tui pallij & fortitudine certa omnem ſpem ſuam habet. Circa hoc tempus, vt diximus, Tepanecani decreuerant, vniuerſos Mexicanos cũ puluiſculo excindere. Hoc fine etiam iam inſtructiſſimum exercitum coëgerant,

Tt Cæte-

Cæterum, rex Mexicanorum nouus, ſecum animo voluebat, quomodo bello principium daret, & hoſtes prior inuaderet, vt qui priores Mexicanos offendiſſent. Quod vbi ventoſa plebs animaduerteret, videretque hoſtes ſe longe ſuperiores eſſe numero: pauidi viri, ad regem irruentes, ſubmiſsè orabant, vt à tam funeſto bello abſtineret. Fore ſiquidem, vt illud inceptum tam ciuitatis ipſius, quam vniuerſi populi exitium crearet. Rex, his auditis, quid ergo medij aut conſilij promerent, rogauit? Cui hoc reſponderunt; nouum in Azcapuzalco regem mitem ac miſericordem eſſe: ab hoc pacem ſollicitandam, & ſeruitia omnia deferenda eſſe, eumque obſecrandum, vt è iuncetis extractos, certa aliqua habitandi prouincia donaret, vt hoc modo vniuerſis vnus Rex, vnus dominus imperaret. Porro autem ad votum obtinendum, id cumprimis quam plurimum factutum eſſe, ſi cum legatis pro mediatore & patrono in lectica Vitzliputzli Deus mitteretur. Huic deliberationi, cum ſua quoque vota nobilium nonnulli addidiſſent, tanto ſtudio certatim ab omnibus aſſenſum eſt, vt videretur optimum, lectica à ſacerdotibus ornata primo quouis tempore iter iniri. His ita conſtitutis, & ſententia, pacem eſſe petendam, & Tepanecas dominos agnoſcendos, plenè confirmata, deſubito ex omni populo iuuenis quidam vegetus admodum & ſpectabilis exiliens, in hæc verba erupit: Quid hoc, ô viri; An inſenſati, an excordes eſtis? Adeóne ratum vobis pauidis ac effœminatis eſt, vt Azcapuzalcorum tyrannidem tanta pœnitudine redimatis? Poſteà ad regem verſus, Domine, inquit, cur te permittente hęc fiũt? Quin iubes potius, vt media pręſtituat, quib. honeſtè viuere poſſimus, quam vt cum ignominia, ludibrio noſtrorum hoſtium appropriemur? Hæc qui perorabat iuuenis, Tlacaellêl, dictus, ac regis conſanguineus, Mexicanorum omnium longè prudentiſſimus ac peritiſſimus erat: ſicut deinceps intelligemus. Iſcoalt autem probè, quæ à conſanguineo audierat, expendens, plebem ſuſtinens, dicebat, media commodiora huic rei omnino aliqua inuenienda eſſe. Itaque ad nobiles verſus, Vos, inquit, mei omnes cognati & conſanguinei, ac in Mexico primarij eſtis. Inter vos ergo, ſi quis eſt, qui nuncium ad Tepanecas ferendum ſuſcepturus ſit, is ſurgat. Vniuerſis autem conſidentibus, & ſeſe mutuò contuentibus, generoſi animi iuuenis Tlacaellêl conſurgens, Regi ſuo officia mancipat, dicens, ſemel omnino ſibi moriundum eſſe. Parum ergò referre, id hodiè vel cras fiat. Quod ſi res ſeria ac ardua ſit, tum ſe, quicquid iuberet rex, lubentem, omne confectum daturum eſſe. Etſi verò Mexicani promiſcuè omnes hanc meram audaciam cenſerent: nihilominus tamen Regi placuit, Azcapuzalcorum Regis animi explorandi cauſa hunc iuuenem citra moram amandare: ratus, multò minore damno ſuum cognatum perire, quam famam ac exiſtimationem vniuerſi populi periclitari. Mandatis itaque Regiis inſtructus Tlacaellêl, ad Tepaneca-

panecanos cuſtodes (qui Mexicanos obuios omnes interficiendi mandatum habebant) ingreſſus, variis prætextibus ac commentis illis perſuadet, vt ad regem ducatur. Quo viſo, rex oppido admirabundus, iuuenis, pacem honeſtis mediis ſollicitandis, poſtulationem audiuit, eique ſe rem hanc cum ſuis principibus deliberaturum, reſpondit. Iubebat ſimul, vt craſtina die reuerteretur, & reſponſum auferret. Cum verò Tlacaellêl ſaluum à Rege conductum peteret, rex id impetrari non poſſe aſſeruit: monuit tamen, vt cautiſſimè in re iſta verſaretur. Hoc reſponſo Tlacaellêl in Mexico reuerſurus cuſtodibus, ſibi craſtino die redeundum eſſe, indicauit. Poſtero die Mexicanus rex hunc denuo amandans, iuſſit, vt, ſi acceptum reſponſum bellum ſignificare intelligeret, ipſe Regis caput pro more inungeret, & ſuffixis pennis ſeu criſtis exornaret, ab eoque viciſſim porrecta arma acciperet, hæc verba pronuncians: Cum omnino pacem abnuas, hæc arma tibi ac tuis vitam adiment. Etſi verò rex Azcapuzalcanus, vtpote probus, mitis ac pacificus, per ſe denunciatam pacem minimè detrectaret, ſubditi tamen, tamdiu inſolentia ſua & importunitate ipſum obtundebant, vſque dum Mexicanis pacem omnem reſignaret. Hoc reſponſum cum Legatus accepiſſet, omnia, quæ in mandatis regiis habebat, intrepido animo confecta dabat, ſuumque regem viciſſim Azcapuzalcano bellum denunciare, ſignificabat. Azcapuzalcanus verò rex ſe tum vngi, tum criſtis ornari nihil tergiuerſatus, Legato pulcherrima arma viciſſim pro remuneratione obtulit, eumque amicè monuit, ne incautus per maiorem palatii portam, vbi plurimi percuſſores illum opperirentur, ſed per poſticum oſtiolum, quod ipſi pandebat, clàm ſeſe proriperet. Cui obſequens iuuenis, notis ambagibus eò vſque penetrauit, dum ſe in loco ſecuro verſari ſciret. Ex hoc ergò vigiles inclamans: ô vigiles, inquit, Tepanecas & Azcapuzalcos ſomnolenti admodum excubatis. Sed hoc ſcitote, vobis vniuerſis iam ſtatim moriendum eſſe, ita, vt ne vnus quidem Tepaneca ſuperſtes maneat. Quo clamore exciti vigiles, certatim ad eum ſeſe effudere quidem, ſed contrà pugnantem iuuenem tam fortem inuenerunt, vt ex ſuo grege deſubitò fuſos aliquot deſiderarent. Pluribus tamen ſubinde ſeſe ingerentibus fuga arrepta Tlacaellêl verſus Mexico contendens, quid reſponſi acceperit, refert: Regi nimirum ac Tepanecanis Mexicanos bello infeſtare omnino decretum & conſtitutum eſſe.

Cap. XIII.

De prælio inter Tepanecas & Mexicanos commiſſo, & de Iſcoâlt parta victoria.

MExicani, quam primum ſibi bellum denunciatum eſſe intellexiſſent, ſolito pauore conſternati, ad regem gregatim ſe inferunt, & vt è ciuitate dimittantur, rogant. Ratum enim certumque eſſe dicebant, quod in prælio ſuccubituri ſint. Hos rex impendiò ſolatus, libertatem ſolidam ipſis pollicebatur, ſi fieret, vt ab hoſtibus vincerentur: ſaltem de victoria ſecuri eſſent. Quid autē, inquit, plebs, ſi nos ſuccumbimus, quid, inquit, faciemus? Quibus rex, ſi in prælio, inquit, ſuccumbitis, tunc hoc nos pacto vobis obligamus, ac in manus veſtras damus, vt nos ipſos crudeliter interficiatis, carneſque noſtras è ſordidis ahenis voretis, & ita de nobis diram vltionem expleatis. Fiat, ergo, aiunt, vt conſtituis, ſi victoria non potiamini. Contrà, ſi victoria vobiſcum ſtabit, vobis vectigales ac tributarij omnes erimus, ac domos agroſque extruemus & colemus, arma veſtra ac onera, quoties in bellum abitis, portabimus. Nec verò nos ſolum id faciemus, ſed & omnes noſtri poſteri, in omnem æternitatem. Et hoc fœdus inter plebem & nobiles ita firmatum eſt. Rex verò Tlaſcaellelum ſummum exercitus ducem faciens, copias vniuerſas in aciem conſtituebat. Optimos vero ac fortiſſimos quoſque è ſuis cognatis & conſanguineis centuriones creans, ſerio ipſis iniungebat, vt ſummo duci in omnibus attente parerent. Hic autem populum omnem in duas cohortes dirimens, animoſiſſimos quoſuis, quibus impetum & impreſſionem faceret, ſibi adiungebat. Partem alteram regi adiungens, expectare iubebat, dum hoſtium aciem à primis irruentibus diruptam videret. Hoc ordine incedentes eos quam primum rex Azcapuzalco conſpicatus eſſet, atroci & frementе impetu cum copiis ſuis è ciuitate erumpens, conflictui ſeſe ſiſtebat: cuius milites ornamentis nitidiſſimis ex auro ac argento, pennis item ac armis pretioſiſſimis conſpicui prodibant. Nam omnis illius terræ domini erant. Cum verò Iſcoalt, tympano, quod è dorſo pendebat, conflictus ſignum dediſſet: derepentè clamore horriſono, Mexico, Mexico ingeminato, hoſtes veluti furiis perciti animoſiſſimè adorti ſunt. Et licet numero multò inferiores eſſent Mexicani, Tepanecani tamen è ſtatione ſua moti, confusè & ſine ordine retro ad ciuitatem ſuam profugerunt. Quod videntes qui in inſidiis cæteri latebant Mexicani, præcipitata inſectatione in profugos irruentes, ac alta voce Tlaſcaëllêl, Tlaſcaëllêl, victoria, victoria, clamitantes, cum hoſtibus ſuis vnà in ciuitatē penetrant, in qua diſcurſantes, nulli, (vt rex præceperat) nec viro nec fœminæ, nec ſeni, nec puero par-

ro parcunt,ſed promiſcuè obuios omnes trucidant, & ciuitatem ipſam valdè opulentam quoquo verſum diripiunt expilantque. Sed nec hac laniena contenti, ciuitate miſſa eos infeſtanter inſequebantur,qui in deſerta & montana vicina aufugerant.Hos omnes, quotquot corripiebant,cædebant.Tepanecanorum verò nonnulli,qui in montanis latebant,abiectis armis, Mexicanos, vt ſibi propitij eſſent, obſecrabant, & ſimul ad ciuitatis ſuæ ædificationem, lapides, ligna & calcem vltrò deferebant. Sed & ſe Mexicanos ab hoc tempore in omnem æternitatem dominos ſuos agnoſcere velle, ſanctè deierabant.Quibus auditis Tlacaellel populo ſignum dedit, vt trucidandi finem facerent, & ſuperſtitibus vitam donarent, hac tamen conditione,vt ipſi victi pacta & promiſſa ſua iuriſiurandi ſigillo obfirmarent.Sic ergò Tepanecani in Azcapuzalco,Mexicani verò ſpoliis ampliſſimis in Mexico redibant. Poſtero die Mexicanus Rex Tepanecanorum præcipuos conuocans, pactum pronunciatum iis repetẽdo proponit,& an ſeruandi illud animum haberent,denuo rogat. Cui tum nobilitas tum populus reſpondit,rem ſemel promiſſam apud ſe omninò ratam fore, & vel dum æternam Mexicanis ſeruitutem vouere.In cuius rei ſignum & ſtabilimen vnà quoq; fidei ſacramẽtum præſtabant,& iuramenti religionem omni poſtero tẽpore ſartam ſacramque colebant.Poſt hæc Iſcoalt in Azcapuzalco reuerſus, ſubditorum ſuorum conſilio Tepanecanorũ agros ac bona inter Mexicanos ita partiebatur,vt pars præcipua ſibi & regno, ſecunda verò Tlacaellelo, tertia nobilibus, prout ſe quiſque fortem geſſiſſet, cederet. Sed & ex plebe nonnullis,qui ſtrenuã in cædendis hoſtibus operam nauaſſent,agros impertiebat,ignauioribus&timidioribus inanibus dimiſſis. Tum & agros publicos quoſdam Mexicanorum vicinis diuidebant, vt ad ſacrificia & cultum diuinum præſtandum ſuppeterent.Et hæc ferè diuidendorum bonorum ratio erat,quam ſeruabãt, quoties nouas prouincias occupabant. Per hãc verò diſpertitionem Azcapuzalcani ad tantam paupertatem redigebantur, vt agros proprios nullos retinerent. Sed & quod grauiſſimum rerum omnium erat,præter Mexicanum iam nullum Regem proprium amplius ſciebant.

Cap. XIV.

De victoria Mexicanorum apud Cuyoacan impetrata.

ETsi Azcapuzalco quidem ciuitas Tepanecanorum primaria eſſet: Præter hanc tamen aliæ quoque ſuos priuatos aut peculiares dominos agnoſcebant. Inter has Tacuba & Cuyoacan erant. Harum ciues, cum ſtragem factam cognouiſſent, Azcapuzalcanos, vt

rebellionem facerent,& bellum reſtaurarent; continenter inſtigabant. Hi verò, cum infirmitate ſua trutinata, Camarinam mouere nollent: Cuyocanis ipſis, continuandi belli libido inceſſit. Quod vt cum paratiore manu ordirentur, vicinas omnes prouincias ſibi ſocias quærebāt. Sed his pleriſq; citra cauſam Mexicanis implicari, ſtultum videbatur. Tandem vero, vbi cum Mexicanorū fortuna vicinorum quoq; odiū & inuidia augeſceret, cæperunt Cuyoacani Mexicanorū vxores, rerū emendarum gratia in forum ſuum ingreſſas, omni petulantia ac ludibrio cōtemerare. Idē & viris, quos attingebāt, factitabant. Hiſce ergo iniuriis & contumeliis offenſus Mexicanus Rex, mandato promulgato ciuibus vniuerſis edixit, ne quiſquā deinceps ad Cuyoacanos pergeret: ſed nec Cuyoacani in Mexico admitterentur. Iam ergo hac occaſione arrepta, Cuyoacani de bello Mexicanis intentando ratè decreuerant: ſed ita, vt prius ipſos inſigni quadam contumelia inuſta irritatiores redderent. Id ita inſtituebant. Ad feſtum ſolenne quoddam nonnullos Mexicanorum honoris gratia inuitabant. Cæterum cum & cibariis lautis, & ludis variis prolatis omnes abundè ſaturi eſſent, bellariorum loco veſtes muliebres inferri iuſſerunt, & Mexicanos, vt has induerent, ſicque veſtiti ad Mexicanos redirent, vi ac minis compulerunt, hoc ſcommate animi mollitiem & effœminatos affectus ipſis exprobrantes. Pro cuius iniuriæ retaliatione narrant Mexicanos ipſis hoc damnum repoſuiſſe, vt in portis Cuyoacan ingentem fumum excitarint, cuius hauſtu non prægnantes ſaltem plurimæ abortum facerent, verum & infiniti alij homines iugularentur. Tandem verò mutæ huiuſmodi offenſiones belli manifeſta cauſa fuere. Vtrinque ergo magnis copiis congredientes, aperta pugna dimicarunt: in qua magnanimitas Tlacoellêli victoriam peperit. Cum enim regem ſuum Cuyoacano prælium facturum emiſiſſet: ipſe ſtrenuis aliquot militibus ſtipatus aciem ambiens, hoſtem è parte poſtica inuaſit, ac fuſis plurimis ita coërcuit, vt rupto ordine iam certatim omnes ad ciuitatem conuerſi tenderent.

Cum vero Tlacaellel videret, hoſtes profugos in templum vicinum approbè munitū ſe recepturos: ipſos cum ſociis tribus militib. anteuertens, templū vi occupat, & ſubiectis lignis ipſum exurens, in campi planitiē hoſtes retropellit. Vbi crudeli ſtrage quāplurimi fundebātur, & viui in montana quoquouerſum cogebātur. Quos cum Mexicani frendentes inſectarentur, excuſſis armis, & manibus ſupra caput comploſis, lachrymiſq; largiſſimis profuſis, veniā ſuæ temeritati dari obſecrabāt; quod per ludibrium Mexicanos fœminas dixiſſent. Et cum ſe vniuerſos pro ſclauis ac mancipiis obtuliſſent, tādem in gratiam recepti ſunt. Ita parta victoria cum ſpoliis ampliſſimis, pannorum, armorū, auri, argenti, pennarum & captiuorū Mexicani domum reuerſi ſunt. Hoc in conflictu Culhuacani qui Mexicanis

auxilia-

auxiliatum venerant, admodum ſtrenuos ſe & bellicoſos præſtiterunt. Quos cum in pugna intrepidè & animoſè dimicare vidiſſet, ſignis Mexicanis indutos, ſecum aſſiduò ceu peritos milites quoquo verſum agebat. His verò ac ſummo duci, ipſique adeò regi victoriæ partem maximam aſcribendam fuiſſe, nemo dubitabat. Captiui ſiquidem vniuerſi fatebantur, ſuorum partes duas ternaſue omninò iſto prælio captas eſſe. At vero quos iſti cæperant, his floccos capillorum præciderant: quam notam plerique ferebant. Culhuacanis ergo de præſtita fortitudine, non gloria ſaltem, ſed & inſignia ſpolia & agri plurimi à Rege deferebantur. Hac liberalitate ſuorum quamplurimos, vt fortitudini in bellis ſtuderent deinceps quoq; inſtigabat.

Cap. XV.

Quomodo Mexicani Suchimilcos deuicerint.

TEPANECANIS ergò ingenti ſtrage à Mexicanis fuſis, Suchimilcos quoq; vlciſcendi occaſio iam ipſis commoda videbatur. Hi, vt ſupra diximus, ſeptem familiarum ex antris egreſſarum primi erant. Etſi vero inferendi belli Mexicani cauſas multas iuſtaſque haberent: non ipſi tamen id primi ordiebantur, ſed dum à Suchimilcis laceſſerentur, prouidi expectabant. Suchimilci ergo id tandem inchoabant magno ſuorum exitio, ſicut incautis plerunq; euenit, vt dum malum vitare ſatagunt, in peius præcipitentur. Verum tamen cum videretur horum nonnullis, fore, vt Mexicani ſe quoq; ſub iugum mittere conaturi eſſent: ſuaſerunt populo, vt huic malo maturo conſilio obuiam iretur, & Mexicani pro ſuperioribus ac dominis omninò agnoſcerentur. Pars vero maxima ſeruitutem detrectandam, & cum Mexicanis aperta pugna decernendum cenſebat. Et hæc potior ſententia quoque inualeſcebat. Horum itaque decretum, poſtquam Rex Mexicanus cognouiſſet, Tlaſcaellèlo cum copiis miſſo, ipſorum fines occupari iuſſit. Etſi vero vtrique hoſtes tam numero, quam armorum paritate conuenirent: in pugnæ tamen modo diuerſi erant. Suchimilci etenim turmatim è ciuitate effundebantur: Tlacaëllèl vero ſuas copias in ordines, ac claſſes alaſque ita diſponebat, vt hoſtes promiſcuo impetu vndelibet inſultantes facile turbarēt, & retro ad ciuitatem verſos fugarent. Cum hoſtibus autem ipſe quoque Tlacaellèl in ciuitatem irrumpens, templum, in quod confertim ſeſe ingeſſerant, obſidebat, & ſubdita flamma exactos, rurſus in montana compellebat. Vbi denuo trucidari cæpti, manibus ſupplicibus hoſtium gratiæ ac arbitrio ſeſe dedebant. Ita & hac victoria parta Tlacaellèl Dux, inſigni triumpho auctus in Mexico redibat. Ingredientem ſacerdotes cum cæteris quoque ducibus ſuffumigabant, & ſolemnia alia ipſis exhibebant. Rex vero cum ſub-

ditis,

ditis; poſtquam in templo Deo ſuo de felici ſucceſſu gratias egiſſet: poſtero die ad Suchimilcos contendens, ab iis fidem obediētiæ popoſcit,& ſuum ipſis viciſſim fauorem detulit: in cuius ſignum iuſſit, vt viam lapidibus à Suchimilco in Mexico, quod interuallum quatuor milliarium erat,cōſternerent,vt eo commodius inter ſeſe commercia & negotiationes agitare poſſent. Suchimilci verò,quod iuſſi erant,non ſaltem lubentes præſtabant: ſed ipſis quoq; breui tempore bonum Mexicanorum regimen tantoperè arridebat, vt de mutata ſuæ Reipubl.forma iam oppidò gauderent. Suchimilcorum verò exemplum vicini alij adeò non æmulabantur, vt vel odio & inuidia, vel timore damnorum aduerſari Mexicanis non deſiſterent. Inter cæteros Cuytlauacani, rerum naualium peritiſſimi, Mexicanos nauali pugna adoriri decreuerant. Qua re ab Iſcoalt cognita, vniuerſas copias ſuas cōtra hos emittere ſtatuerat. Tlacaelleli verò aliud conſilium placuit, nimirum vt ſolis iuuenibus emiſſis Cuytlauacani oppugnarentur.Nec cōſilio ſucceſſus defuit. Nam in templum abiens, ex cellis pueros eos eligebat,qui à 10. ad 18. annos progreſſi, inſtituto ſuo idonei futuri videbantur.Hos arte palæſtrica aliquantiſper prius inſtitutos, ſecum aduerſus Cuytlauacanos eduxit, & eo anguſtiarum hoſtes adegit,vt trepidi illicò fugam capeſſerent.Ipſos ergò dum ponè acriter inſectaretur Tlacaellel, dominus Cuytlauacanus ei occurrens,& ſe & ſuos vniuerſos hoſtium gratiæ ſupplex obtulit, ac vt trucidationis finis fieret, rogauit. Hoc pacto dicti iuuenes ſpoliis opimis & hoſtium captorum magno numero ad ſua miniſteria redibant.quibus ob id ſolenni proceſſione obuiam itum eſt. Qui cum thure expiati eſſent,pergentes ad idolum adorabāt, & humo ſedētes edebāt.Sacerdotes etiam frameis adactis ſibi crura ſauciabāt,& ſimilia alia ſolennia præ gaudio factitabāt. Ipſe quoq; Rex iuuenes victores deoſculabatur:propinqui vero & cognati eoſdē comitabantur.Et fama rei geſtæ quidē vniuerſam terram illam peruolitabat,nimirum quod Tlacaellel,Cuytlauacam pueris expugnatorib. occupaſſet. Cęterū tot ac tam illuſtrib. Mexicanorū victoriis partis Tezcucani vſq; adeo in timorē dabantur,vt ſeſe & ſuam ciuitatē Mexicani Regis clementiæ dedere decernerent.Itaq; Tezcucanus Rex legatos ſuos cum honorariis ampliſſimis ad Regem Mexicanum amandans, pacem ac amicitiā eius ſollicitabat:quam labore facili etiā impetrabat. Conſilio tamen Tlacaelleli res his ritibus peracta eſt. Tam Mexicani quam Tezcucani acies ſuas proferebant,& pugna imaginaria decernebant. Hac nemo cædebatur, nemo vulnerabatur, ſed Tezcucani ſaltē hoſtib.ſeſe hoc ritu captiuos dedebāt,& caput ſibi Regemq; Iſcoalt conſtituebāt.Nec tamen Iſcoalt Regem Tezucanorum loco demoliebatur,ſed eum ſibi ſummum conſiliariū ſtatuebat:quæ deinde conſuetudo ad tempora vſq;Motecumę eius nominis ſecundi,quo regnāte Hiſpani illas oras occuparūt, iugiter perdurauit. Iam itaq; ipſa quoq; Tez-

Tezcuco Mexicanis ſubiecta, deinceps Mexico ciuitatũ ac vicorum finitimorum omniũ metropolis erat. Iſcoalt verò, cum 12. annis regnum felici ſucceſſu moderatus eſſet, fatis concedens, regnum Mexicanum Tlacaellẽlo reliquit: cui tamẽ, vt deinceps intelligemus, reges facere, quam regẽ fieri, longè præſtantius & laudabilius videbatur.

Cap. XVI.

De quinto Mexicanorum rege, Moteçuma.

NOVI regis electio, vt ſupra dictum eſt, penes quatuor Electores ſtabat. Tezcucano tamen & Tacubano regibus præcipuè eligendi regis priuilegium erat. Hos ſex Tlacaellẽl, vt cuius iam autoritas maxima eſſet, conuocans, cum ipſis de nouo rege conſtituendo deliberabat: vbi omnium ſentẽtiis, Moteçuma, primus, Tlacaelleli cognatus, rex pronũciabatur. Electio hæc vniuerſis oppido probata ſolenni feſto illicò coornabatur. Rex itaq; ingenti comitatu ad templi thuribula deductus, poſtquam rem ſacram feciſſet, in ſolium regale attollebatur, & pũctis, tigriumq; ac ferarum aliarum, idolo mactatarum, pellibus ornabatur. Ipſe quoq; rex poſtquam ex auribus, malis ac cruribus, copioſum ſanguinẽ elicuiſſet, Rhetorum orationibus aliquot exceptus eſt. Regis huius tempore ea cõſuetudo inoleuit, vt ante feſtum regiæ coronationis, ipſi regi in bellũ aliquò egrediundum eſſet, quo hoſtium plurimos ad facienda ſacrificia caparet. Ea vim legis poſterioribus ſeculis adepta eſt. Rex ergo Moteçuma in prouinciam Chalco, cuius incolæ hoſtes declarati erant, exiẽs, acri cum ipſis pugna conflixit, & captiuos multos ſecum reduxit. Vniuerſam tamen prouinciam hoc tẽpore domare ideò non poterat, quod plerique illius ciues viri fortes & ſtrenui eſſent. Ad coronationem regis ex diuerſis vndecunq; locis turba innumera ſpectandæ ſolennitatis gratia cõfluebat: quibus omnib. lautæ epulæ, nouæ veſtes, comprimis verò egentiorib. offerebantur. Hoc ipſo quoq; die illuſtri pompa tributa regia in ciuitatẽ inferebantur, vt panni varij Cacao, aurum, argentum, nobiles pennæ, goſſypij moles, Apij ſiue piper indicum, varij generis piſa, piſceſq;, fructus & feræ innumeræ, & honoraria inſignia, à regibus & regni primatibus nouo regi miſſitata. Hæc omnia diuiſim, pro cuiuſq; prouinciæ ratione, ex ordine in ciuitatẽ ingerebantur. In prima ſerie anteãbulabant aulæ ac rationũ præfecti, diuerſis armis ſigniſq; cõſpicui: cuius pompæ nõ pauciores quã ipſius feſti ſpectatores erãt. Coronatus & cõfirmatus rex, ad ſuas prouincias ſuſcipiendas ab vno mari ad alterũ pergebat, & in omnib. Tlacaelleli, quẽ meritò amabat, conſiliis obſequebatur. Cæterum bellum, quod cũ Chalconibus gerebat, magnas ei difficultates pariebat: cum ab his inter cæteros german⁹ quoq; eius frater ab hoſtib. capt⁹ fuiſſet.

Hunc Chalcones ſibi regem poſcentes, ſceptrum ſubmiſſe ei deferebant.Is verò cum aliquoties refragatus, Chalcones nihilominus in propoſito obſtinatos pergere videret,reſpondit ipſis,Si ergo,Chalcones,omninò vobis ſententia perſtat,vt me veſtrum regem faciatis, agite,grandem mihi malum in foro veſtro erigite, & in ſublimitate eius ſuggeſtũ,ex quo conſpici poſſim,extruite. Quod Chalcones quidem, rati, hæc ipſum auguſtioris honoris gratia efflagitare,haud cũctanter confectũ dederunt.Itaque ſuggeſto aſcenſo,cum Mexicanos cõgregatos videret,ad eos hæc verba locutus eſt:ò Mexicani nobiles, viri bellatores,populus hic me ſuum ſibi regẽ præſtituit. Sed Dij noſtri haud quaquã facient,vt patriæ meæ proditor fiã.Vos autem meo exẽplo diſcite,multo honeſtius eſſe pro patria occumbere,quam hoſtibus ſeſe ſeruum dedere.Vix hæc effatus, è ſublimi ſe deturbauit, & totus fruſtulatim cõminutus eſt. Spectaculo hoc Chalcones vſq; adeo in furias acti ſunt,vt lanceis omnes Mexicanos perfoderẽt,dicentes,gentem eã contumaciſſimã & obſtinatiſſimã eſſe, cuius cor diabolus obduraſſet.Sequente nocte horriſonũ ac terribilẽ duarum bubonũ,ſibi mutuo q.reſpondentiũ,vlulatum obaudiuerunt. Ex quo ſe breui tẽpore vniuerſim exciſum iri,haud incaſſum augurabantur. Rex etenim Moteçuma,cum omni ſua potentia aduerſus hos egreſſus,oras regni eorũ vniuerſas latiſſimè vaſtabat. Et per alpes traiiciens exercitũ,terrã omnẽ vſq; ad mare aquiloniũ occupabat & expilabat. Et hinc iterũ conuerſus ad mare Auſtrale,ſuo imperio paſſim omnes prouincias ſubigebat,ita,vt Rex longè potentiſſimus conſtitueretur. Et hæc omnia ope,conſilio, ac prudentia Tlacaelleli, cui vni omne Mexicanorũ regnũ velut iure quodã debebatur, fiebant.Inter cætera hic etiam ſuaſor erat, ne Tlaſcala prouincia occuparetur: vt his nimirum hoſtibus relictis,iuuentus finitima haberet, contra quos armis ſubinde exerceretur, & vt ex his pro victimis captiui ſemper aliqui prehenderentur.Namque, vt iam multoties repetiuimus, plures ſubinde homines ſimulachris immolari opus erat. Et Moteçuma quidem,ſeu verius Tlacaellel cõſtitutis iudiciis, conſiſtoriis, iudicib. prætoribus & ſenatorib.tam elegantem in regno ordinem cõdebat, vt optima reipubl. forma Mexico vel cũ ipſa Europa certare potuiſſet.Autoritas ergo regni iam ampliſſima erat, & officiariis idoneis omnia adminiſtrabãtur dexterrimè: rexq; ſibi magna ſolennitate miniſtrari ab omnib.patiebatur. Sed & in cultu diuino augendo nihilo ſegnior erat.Nam & templorum miniſtros plures faciebat, & nouas ceremonias plures veterib.addebat, & leges religiosè tuebatur, templũq; illud auguſtiſſimũ, de quo in priore libro dictum eſt, in honorẽ Dei Vitzliputzli extruebat. Quod dum initiaret aut cõſecraret, innumeros homines,diuerſis præliis captos,immolabat.Qui tandem & ipſe,cum 28.annis feliciter regnũ adminiſtraſſet,è viuis exibat: ſucceſſoribus ipſi nec fortuna nec fortitudine pari reſpondentibus.

Cap. XVII.

Vt Tlacaellêl regnum delatum detrectarit: & quæ ſub electionem & gubernationem Tiçocîc acciderint.

PRo nouo creando rege,cum ordinarij electores iterum apud Reges Tezcucanum & Tacubanum conueniſſent:vota omnia & ſuffragia vni Tlacaellelo,vt digniſſimo,dabantur.Ipſe verò quamplurimis adductis rationũ momentis regnum detrectãs, electores ad nouam electionẽ ſuſcipiendam compellebat. Dicebat enim, multo magis id ex regni vſu fore,ſi regis vicarius & coadiutor, qualis fuiſſet hactenus,maneret, quam ſi regnum ipſe ſibi arrogaret. Confidere etiam vniuerſos iubebat,quod nõ minorem augendi & amplificandi regni curam habiturus ſit,quam ſi ipſemet rex coronaretur. Quod exemplum quidem tale videtur,vt ſimile vix in quoquã alio experiri licuerit:nimirum,labores & regni onera grauiſſima quenquã ſibi imponere,& regni honorẽ maieſtatemq; tamen detrectare. Tum & nemo facilè reperitur vſpiam, qui,cum ſciat, per ſe vnum vniuerſa expediunda eſſe,alium ſibi præferri non dicam toleret,ſed & vltrò citroq; roget. Quæ ſi cominus paulo penitius expẽdamus,videbimus ſanè,Barbarũ hunc ipſis tum Græcis tum Romanis multo æquiorem & ſapientiorem extitiſſe. Pro exemplo nobis Alexander & I. Cæſar ſint. Iſti parum fuit, vni mundo imperare. Idem immaniſſimo & crudeliſſimo mortis genere vel fortiſſimos quoſq; ac fidiſſimos miniſtros,obtrũcauit, quos de regni affectatione leuiter ſaltem ſuſpectos habebat. Cæſar vero profeſſum ſe patriæ hoſtem declarat,dicens,ius flecti aliquãtiſper & violari debere, vt regnum teneri poſſit.Ex quibus, quæ horũ regnãdi inſatiata libido extiterit,nemini nõ planũ ſit.Quanquã & id fieri potuerit,vt Tlacaellel arrogantia grauiore actus,regni delationẽ reſpuerit, id magnificentius & glorioſius eſſe ratus, reges in ſua q. manu & poteſtate habere, quã ipſum regem eſſe.Singulari quoq; priuilegio Tlacaellel Tiaram geſtabat,quod ſoli alias regi licebat.Sed vt vt ſint hæc, ipſum certè factũ laude ſua nõ caret:quæ prætextu eo quoq; illuſtrior ſit, quod putauit,ſe multo cõmodiorem regno futurũ,ſi ſubditus eſſet, quã ſi caput ſupremum conſtitutus,moderatorẽ nullum haberet. Tlacaellel itaq; cum regnum obſtinate detrectaſſet : votũ ſuum defuncti regis filio Tiçocic,admodũ adoleſcentulo cõferebat. Cui cum reſponderetur, humeros huius ferẽdis tot regni onerib. nõ pares eſſe: vt ſuos cõiungerent,& onera(cuiuſmodi etiã priorib.regib.eueniſſent)proferre iuuarẽt,iubebat.Sic ergo Tiçocic ſuetis ceremoniis regi electo, nares perterebrabãtur,& ornatus gratia ſmaragdꝰ plagæ inſerebatur: quo vultu in Mexicanis lib.quoq; depictꝰ cernitur.Patri ac auis hic in nullo ſimilis,ob timiditatẽ ac mollitiẽ male ab omnib. audiebat.

Contra rebellantes quoſdam prouinciarios egreſſus, ſuorum plures perdidit,quam hoſtiū cæpit.Cum his domum reuerſus, tot ſe hoſtes afferre,quotis ad coronationis ſacra opus eſſet,prætendit.Ita cum ceremoniis ampliſſimis coronabatur. Mexicanos interim id peſſimè habebat,quod regem puſillanimem,& bellorum pertæſum nacti eſſent. Propinato ergo veneno è medio ipſum ſuſtulerunt,cum regni habenas annis quatuor adminiſtraſſet.Vnde liquet, fortitudinē non perpetuo à parentibus in liberos deſcēdere.Quo ergo maior auorum gloria ac virtus fuit: eo nepotum puſillanimitas & defectus ignominioſior merito habetur. Tiçocici tamen vitia ſuccedens eius frater Axayaca Moteçumæ & ipſe filius,magna parte reſarciuit.Quem Tlacaëlel defuncto fratri ſurrogari curauit.

Cap. XVIII.

De Tlacaelleli obitu, & Axayacæ ſeptimi Mexicanorum regis facinoribus.

CIRCA hoc tempus ſumma ſenectute affectus Tlacaellel,ſellæ inſidens in ſenatum proferebatur, quoties rerum grauiorū deliberatio incideret. Cum vero exhauſta ætate ęger decumberet,rex nouus,cui coronæ imponendæ ſolennitas nondum appropinquaſſet, Tlacaellelum inuiſens, totus in lachrymas effundebatur,quod perſuaſum haberet,hoc obeūte de patre patriæ actū fore. Huic Tlacaellêl ſuos liberos,filium præcipuè natu grandiorem, qui ſtrenuè ſe in bellis geſſerat,cōmendauit.Cuius cum rationē ſedulo ſe habiturū rex pollicitus eſſet,paulò poſt ipſi ſummi ducis inſignia cōtulit.Qui honor filio delatus patrem tanto gaudio afficiebat,vt ex affectu iſto paulo poſt diem extremum obiret. Qui ſanè vir, ſi vitæ æternæ quoq; hæres fieri potuiſſet, meritò mortalium omnium beatiſſimus habitus fuiſſet.Sua enim prudentia,pauperculam & deſolatam ciuitatē,in qua natus erat,tanta potentia, totq; opibus cumulauit auxitq;,vt in regnum auguſtiſſimum & potentiſſimum euaſerit. Qua cauſa tam pompoſæ etiā ac illuſtres exequiæ defuncto illi factæ ſunt,vt ſimiles ne vlli vnquā regi contigiſſe cōſtet. Vt ergo publicum luctum gaudio aliquo reſarciret ciuitas, bellum parare Rex ſtatuit, quo coronationi ſuæ iuſta faceret. Qua ergo ſumma poterat feſtinatione in prouinciam Teguantepec,à Mexico,200.milliaribus diſtantem ſeſe recepit,& contra rebelles,qui maximo numero ſeſe cōtra regem ſociarant,inſtructiſſimā aciem eduxit. Incurſione ergo vtrinq; auida facta,Rex Axayaca fugam ſimulans,hoſtes in inſidias,quib. militum aliquot cohortes ſtramine obtecti latebant,prolectauit. Hi ergo tēpore diſpecto cōmodo è latebris exilientes,hoſtem mediū concluſerunt,& obuios quoſq; miſere trucidarunt. Tū & ciuitatē ipſam occu-

occupantes, eam cum templo pulcherrimo diripuerunt, & de viciniſquibuſuis atrox ſupplicium ſumpſerunt. Quo facto, verſus Guatulco portum maris auſtralis, hodiè notiſſimum, deflexerunt, in Mexico tandem cum ſpoliis ampliſſimis redeuntes. Ergò quod ſupererat, ibi cum ſolennitate auguſtiſſima rex & pater patriæ creabatur, vicinis vniuerſis ad nouum regem videndum vndecunque irruentibus. Ab eo tempore Axayaca Rex perpetua cum hoſtibus bella gerens, cum victoriis glorioſis plerumque domum redibat. In prima acie ſemper pugnabat. Primus in hoſtes impetum faciens, ſocios ad cominus confligendum animabat. Hoc modo gratiam, & boni Ducis titulum apud populos vniuerſos impetrabat. Sed nec exteris prouinciis edomitis contentus, vicinis iis quoq; frenum iniecit, quos omnimodo coërcere non poterant anteceſſores. Nam à Mexicanis quidam rebelles defecerant, non procul ab ipſa metropoli ciuitatem Tlatelluco extruentes eo loco, vbi hodiè S. Iacobi vicus conſpicitur. Seditioſi hi cum paulatim magno numero augerentur, Mexicanos Reges contemptui habentes, nihil non meditabantur, quam quod ad irritandos eos faceret. Ad hos Axayaca legatos amandans, ne quo temerario conſilio defectionem faceret, amanter rogabat. Æquum enim eſſe, vt qui ab vno ſanguine deſcenderent, cum cæteris pariter vnum Mexicanum dominium agnoſcerent, & ipſi haud grauatim parerent. Princeps tamen Tlatellucanus admonitionem hanc irriſui habens, Mexicanum regem ad pugnam inuitabat, & nonnullos de ſuis in iunceta mittebat, vbi latitantes in contumeliam Mexicanorum, inſtar anatum, aut coruorum, ac ranarum coaxarent. Sed & inſidias conſtituerat, quibus Mexicanos, lacum tranſgreſſuros, incautos obtruncaret. Cognita rebellium contumacia, Axayaca copias ſuas diuidens, partem ſummo belli duci Tlacaelleli filio tradebat, vt in inſidias locatos obrueret, & exigeret. Ipſe verò Rex cum cæteris per vias incognitas ac inſolitas verſus Tlatelluco feſtinabat. Eò poſtquam peruentum eſt, ante omnia, principem ciuitatis, à quo ad duellum inuitatus erat, euocat. Vtrinq; ergò cæteris ſtare & quieſcere iuſſis, duo hi monomachia conſerti, aliquandiu ſtrenuè ac fortiter confligebant, dum tandem Tlatelluco princeps acrius infeſtanti Axayacæ tergum obuerteret, & retrò pedem referret. Iam itaque Tlatellucanis ſuum principem fugitare conſpicatis, fugere & ipſis animus inceſſerat: quos tamen rapida feſtinatione inſectantes Mexicani quoquo verſum dira cæde fundebant & obterebant. Tlatellucanus princeps faſtigium templi conſcendens, vt ibi reſpiraret, quærebat. Hunc tamen exactè ſemper inſequens Axayaca, prehenſum de ſummitate templi deturbabat, vt totus comminueretur miſerrimè. Poſteà ſubiectis flammis tum templum, tum ciuitatem ipſam exurebat. Interim, dum hæc fierent, caſtrorum præfectus ipſe quoque in excindendis inſidiariis apprimè occupabatur. Quos cum ad deditio-

nem cõpuliſſet, ſupplicibus tam diu propitius eſſe detrectauit, dum denuò priore exemplo anatum ranarumq; more vociferarentur & coaxarent. Hoc modo contumeliam propriam augere ipſi cogebantur. Narrant, vel hodiè iſtiuſmodi cantu Tlalellucanis ludum fieri. Qua ſubſannatione oppidò gauiſus Axayaca, triumphator ad Mexicanos redibat. Rex hîc ſumma induſtria & felicitate regnum vndecim annis moderatus eſt. Cui defuncto nec virtute nec fortuna impar poſteà ſuccedebat.

Cap. XIX.

De Autzôl, Regis Mexicanorum octaui, rebus geſtis.

ELECTORES Mexicani, vt dictum eſt, huic tantum adeundi regni vota dabant, qui omnibus maximè probaretur. Sic in defuncti huius regis locum Autzôl quoque ſurrogabatur, quod is apud populum vniuerſum maximi fieret. Quod enim in bono duce requiri ſolet, idem non ſolum ſtrenuus, ſed iuxta quoque mitis & humanus ſupra modum erat. Quam expeditionem primã impetrandæ coronationis cauſa inſtituerat, hæc erat, vt Quaxutatlán incolarum proteruiam, terram opulentiſſimam inhabitantium, vindicaret. Ea prouincia hodiè quoque omnis nouæ Hiſpaniæ optima cenſetur. Belli cauſa erat, quod Quaxutatlani officiarios & rationum regiarum præfectos, tributum paſſim corrogantes, nefariè obruiſſent, & contra ipſos ſeditionem ſuſcitaſſent. Hos, prius quam totos edomaret Rex, laboris plurimum impẽdere cogebatur. Nam in ea illi ſe loca receperant, ad quæ Mexicani propter magnum interiectum fluuium penetrare haud poterant. Itaque coërcendorum eorum hæc via excogitanda erat. Machinam quandam, fluitandi inſulę ſimilem, ex virgultis, terra, & lignis aliis conſtruebat. Ea milites ſuos traiiciens, hoſtes pugna adortus eſt, & victos pro merito puniuit. Coërcitis his, cum ſpoliis opimis & victoria glorioſa domum rediens, coronabatur. Hic rex diuerſis expeditionibus factis, regni ſui pomœria vſq; ad Guatimalam, 300. ferè milliaribus à Mexico, protulit. Liberalis admodum erat. Tempore appendendi tributi, multitudinem populi loco aliquo placito congregans, & dapes, & pannos, & quicquid his ſimile erat, pauperioribus diſtribuebat. Pretioſiora verò, vt aurum, argentum, clenodia, criſtas, ac arcus, ducibus ac militibus impertiebat, prout cuiuſquam dignitas ac meritum poſcere videretur. Idem Reſpublicas multas condebat: & ruinoſa ædificia deſtruebat, eademque innouabat. Cui cum videretur, ciuitatem ab aqua non ſatis inſtructam eſſe, vt quæ limoſa & cœnoſa ſemiputeret: ideò bracchium quoddam illius aquæ, qua Cuyoacani vterentur, in Mexico deriuandi conſilium agitabat.

Quod

Quod cum celebri in ciuitate Cuyoacan imago cuidam reuelaret: monuit is, vt cautè hanc rem tractaret, caueretque, ne fluminis dicti deriuatione ciuitatem ipſam nimia inundatione opprimeret. Sed hoc conſilium fraudulentum ratus rex, miniſtrum aliquem magum comprehenſum & adductum emittit. Magus, vbi miniſtri animũ intellexit, iuſſit ad ſe vt ingrederetur. Is ingreſſus magum in vaſtam & portentoſam aquilam mutatum videns, corripiendi eius animum amittit. Sequente die, cum indignabundus Rex miſiſſet alium: magus prodigioſæ tigridis formam induens, captorem hunc quoque eluſit. Tertio die, venientes alij, horrendum & terribile ſerpens animal magum factum conſpicati, & ipſi horrore perculſi ſunt. Quo diludio cognito rex adeò ira incanduit, vt Cuyoacanis, niſi magum illicò vinctum traderent, minitaretur, ſe breui tempore ciuitatem ipſorum euerſurum eſſe. Itaque magus aut timore, aut Cuyoacanorum compulſu ad regem ingreſſus, ſtatim occidebatur. Poſtea per canales aquam in Mexico deriuari rex curauit. Hanc Mexicani multis ceremoniis ac ritibus exhibitis comitabantur, & Sacerdotes in ſinu maris ipſi ſuffitus faciebant. Nonnulli fluuij marginem ſuo ſanguine illinebant. Alij tibiis, & muſicis inſtrumentis ſimilibus aduentantem aquam ſalutabant. Summus verò Sacerdos, Deæ aquis præfectæ habitu indutus, cum vniuerſo populo appellenti aquæ occurſabat, & eam quaſi hoſpitem acceptabat. Et hæc imago hodiè quoque in faſtis Mexicanis, quos Romæ in conſecrata Vaticani Bibliotheca oſtendunt, depicta viſitur. Hanc ac ſimiles hiſtorias quidam è ſocietate Pater, iſti, qui horum librorum curator eſt, aliquando ita percenſuit: qui quidem re iſta ſuauiter afficiebatur, vt qui pridem illorum explicationem certam deſideraſſet. Eo ergo, veluti diximus, modo, aqua in Mexico deriuabatur. Quæ tamen primitus tanto impetu irruebat, vt ciuitatem ipſam prope ſubmerſiſſet, quod anteà magus fore prædixerat. Nam inſultu vndæ violento magna ciuitatis pars diruebatur. Quas noxas tamen Autzol ſua induſtria facilè emendabat, & contra alluuionem ciuitatem muniebat, quæque diruta erant, reædificabat. Poſtero omni tempore ciuitas, Venetiarum inſtar, circumfluis vndis cincta, & oppido firmata conſtabat. Huic regi, cum vndecim annis regnum adminiſtraſſet, nouiſſimus tandem & omnium potentiſſimus ſucceſſit, de quo modò dicemus.

Cap.

Cap. XX.

De magni Moteçumæ, Mexicanorum Regis nouiſſimi electione.

ANNO à nato Chriſto 1508. quo tẽpore Hiſpani in nouã Hiſpaniã appulerunt, Moteçuma II. Mexicanorũ regum vltimus imperabat. Hunc verò vltimum regẽ dicimus nihilominus, etſi poſt huius fata alius quoque, iam dũ viuo adhuc Moteçuma electus rexerit. Moteçuma enim à ſubditis, hoſtis patriæ declarabatur, vt deinceps dicemus. Tã vero Moteçumæ ſucceſſor, quã alter à marchione de Thale captiuus adductus, præter titulum regis amplius nihil tenebant: cum rem & ſubſtantiam à prouinciis occupatis Hiſpani Mexicanis vniuerſim ademiſſent. Ideo Moteçumam iure merito regem nouiſſimum appellamus, quod ſub eo Mexicanorum potentia & maieſtas vſque adeo inualuiſſet, vt admiratione omnino dignum ſit, ipſos quoque Barbaros ad tantorum honorum culmen aſcendere potuiſſe. Cum vero hoc regnante tempus id appropinquârit, quo Euangelium de regno Chriſti gentibus his annunciari Deo placuit: ideo, quæ ſub ipſo geſta ſint, paulò fuſius enarrabuntur. Moteçuma Rex taciturnus admodum erat. Ob id, quoties in ſenatu loquebatur, plerique obſtupeſcebant. Nedum rex deſignatus, à pleriſque impenſius colebatur. Plerumque autem in certo quodam templi Vitzliputzli loco agebat, vbi, vt fama erat, cum ſuo Deo conuerſabatur, initiato per omnia ſimilis. Is ergo cum propter generis nobilitatem, tum animi magnitudinem maximi ſemper æſtimatus, nullo contrà pugnante rex eligebatur. Cum factæ electionis nuncium accepiſſet, in dicto templo ſeſe occuluit: quod vel graue putaret, tam amplo regno, totque populis iura dare: vel dominandi non admodum auidus eſſet. Sed è latibulis protractus à populo in conſiſtorium educebatur. Is tam graui inceſſu erat, vt vniuerſi, ipſum iure Moteçumam, id eſt, grauem dominum appellari aſſererent. Ingredientem in conſiſtorium electores ſubmiſſo geſtu ſalutantes, ſuum regem pronunciabant: qui ob id rectà diis ſacrificatum pergens, ex auribus, genis & cruribus pro ſolito more ſanguinem eliciebat. Ornatu regio induto naſi imum pertundebant, & plagæ ſmaragdum inſuebant. In ſolio ſuo conſidens, ſeuero vultu recitatas orationes attendebat. Quarum primam à Tezcucano rege habitam, hiſtoria his ferè verbis refert. Ex applauſu populi & iubilo publico, ô nobilis iuuenis, quanta te nobis rege conſtituto ſalus regno noſtro obtigerit, ſatis ſuperque intelligi poteſt. Magnanimitatem enim ac fortitudinem ſceptra tenentis, gubernandi populi numero correſpondentem eſſe, omnino æquum videtur. Cum vero à Deo noſtro ſcientia, prudentia

dentia ac animi moderatione ſingulari donatus ſis: meritò vniuerſi hanc ciuitatem Deo curæ eſſe dicemus, quod, quo imprimis egebat illa lumine, ipſi largè id contulerit. Quis enim dubitet, principem illum, qui, priuſquam rerum potiretur, nouem cælos ſuo ſcrutinio penetrauit, nunc regem electum non ſimili ſagacitate res terrenas, quibus populi commoda ac ſalutem vegetare poſſit, ſeriò meditaturum eſſe? Quis ambigat, quin cum tua virtus in aliis arduis efficax fuerit, nunc quoque, cum opus eſt, eadem viuida futura ſit? Quis eſt, qui putet, te regnante, viduas ac orphanos deſertum iri? Quis inficietur, te à ſummo rerum conditore nobis conceſſo, imperij vigorem in ſummo gradu conſtitutum eſſe? Quæ ſanè dum prodis, in eum digitum intendis, qui te reſpexit. Exulta igitur, ô feliciſſima terra, datum cælitus tibi principem eſſe, qui tuæ quietis fulcrum & columna exiſtat: qui tibi pater & tutor ſit: qui tibi opem & auxilium ferat: qui ſorte tua afficiatur: qui miſericordiam tibi præſtet. Tibi verò, ô rex, hoc perſuaſum habe, dum hæc ſceptra tenes, non in otio tibi vitam delitioſam futuram: ſed ſcito, quod frequentes curæ ſomnum tuum multoties interrupturæ, & cibus etiã ſuauiſſimus inſipidus ac amarus futurus ſit. Iubila, ô felix regnum, iubila. Et tu quoque, potentiſſime rex, confide, & viue. Cum enim, qui vniuerſa condidit, hoc tibi munus imponat: eundem quoque vires tibi ac eius obeundi robur clementer impertiturum eſſe, certò credere debes. Huic ergo benigno largitori in omnibus fide. Orationem hanc rex tam profundo & attento animo auſcultabat, vt ter reſponſurus, ter in lachrymas effuſus ſit. Tandem tamen recollecto animo ita fari cæpit: cæcus quidem ſim, ô rex, niſi quæcunque à vobis in me collata ſunt, à mero affectu profluxiſſe videam. Præterquam enim, quod multi eximij & præſtantes in hoc regno heroes reperiantur: vni tamen mihi, omnium indigniſſimo manus tuas imponere voluiſti. Tantillum enim in me induſtrię & dexteritatis inuenio, vt, quid agam, neſciam aliud, niſi vt omne perfugium meum in eum collocem, qui vniuerſa ſolus creauit. Quem de auxilio vt mecum inuocetis, oro. Vix hæc tanta profatus, ſingultus in lachrymas denuo erupit.

Cap. XXI.

Quomodo Moteçuma res ſuas conſtituerit, & vt pro coronationis auſpicio expeditionem inſtituerit.

MOTEÇVMA, poſtquam modeſtiæ & humilitatis ſuæ largis in electione profuſis lachrymis aſtantibus indicium feciſſet: cæpit paulò poſt conuerſus inſolentiæ ac faſtus ſui ſigna non leuiora promere. Mandabat enim continuò, ne quiſquam è plebe & viliori-

bus in domo eius qualecunque munus obiret:& prædeceſſores ſuos hac de cauſa præcipuè criminabatur, iuxtaque conſtituebat, vt vniuerſi nobiles ac magnates in ſuo palatio verſarentur,& aulica munera omnia adminiſtrarent. Ob hanc nouitatem cum à Seniore quodam, magnæ exiſtimationis viro admoneretur, vt diligenter caueret,ne hoc inſtituto animos populi ſibi alienos redderet: hoc ipſum vnicum ſeſe quærere, præcipitatè reſpondit. Nec enim ſe paſſurum dicebat,vt nobilitas cum plebe,ſicut hactenus factum eſſet,confunderetur. Hanc enim palmariam hucuſque cauſam fuiſſe,quod tam contemptæ autoritatis omnes anteceſſores ipſius extitiſſent. Iubebat ergò, vt ab officiis omnibus populares amouerentur, & eadem ſolis nobilibus curanda offerrentur. His confectis, quæ ad coronationem maturandam porrò neceſſaria erant,accurabat. Eo tempore verò prouincia quædam remotiſſima iuxta mare boreale ſita, regno Mexicano rebellabat. In hanc expeditionem faciens rex, ſelectiſſimos quoſque ſecum ducebat,armis ac ornamentis pulcherrimis oppidò inſtructos.Hoc verò bellum tanta feſtinatione ac prudentia gerebat,vt breui tempore vniuerſam prouinciam ſubigeret. Rebellionis reos, graui ſupplicio plectebat, & captiuorum ad ſacrificia ingentem numerum cum ſpoliis opimis domum ducebat.Reuerſum vniuerſa ciuitas gratulabunda magnificentiſſimè accipiebat, & magnates manibus eius aquam miniſtrabant, & munia ſeruilia cætera obibant. Coronationis autem feſtum in Mexico, tot ſolennitatibus, comœdiis,ludis,cantilenis, poëmatiſq; exhibitis,ac tributis tam amplis ex vniuerſis regnis illatis exigebatur,vt ſimile quid anteceſſorum tempore nunquam viſum ſit.Porrò & vndecunque concurrentium hominum tanta multitudo ſeſe aggeſſerat, vt capiendis vix locus eſſet. Nam & Mexicanorum hoſtes, ſimulata perſona,ex Tlaſcalâ & Mechoaca ſpectandæ pompæ ac ſolennitatis cauſa, confertim irruebant. Qui cum apud regem proderentur,iuſſit,vt hoſpitiis & epulis non ſeipſo quidem leuius aut tenuius tractarentur: quorum in gratiam etiam theatra ac feneſtras extrui curabat, vt certiores ſolennitatis ſpectatores eſſent.

Recenſuimus ſuperius, Mechoacanos aliquoties Mexicanorum copias fudiſſe.Idem Tepeâcæ quoque ciues, qui regno Mexicano ſeſe perpetuò oppoſuerunt,fecerant. Hac ipſa in prouincia Marchio Ferdinandus Cortês,cum Hiſpani è Mexico profligarentur,primam pro Hiſpanis ciuitatem condere incepit, ſi rectè meminimus Segura de La Frontera,id eſt, Caſtellum finium dictam. Tepeacanos ergò, cum Tlaſcalanis & Mechoacanis, Mexicanis ſemper obluctatos fuiſſe, certum eſt: & tamen hos Meteçuma ideò ſe extirpare noluiſſe, Cortês marchioni reſpõdit, vt ſimul haberent ipſius milites, quibus antagoniſtis exercerentur,& iuxtà captiuorum neceſſarius numerus inde expromeretur.

Cap.

Cap. XXII.

De Moribus ac Pompa & Maieſtate Moteçumæ.

FASTV hic rex vſqueadeò turgidus erat, vt pro Deo etiam coli & adorari ſe iuberet. Ex plebe vultum eius intueri nemo audebat. Hoc qui feciſſet, occidebatur. Pedem nudæ terræ nunquam imponebat, ſed magnatum humeris aſſiduè gerebatur. Ex ſella deſcenſuri pedibus tapetes pretioſas ſubſternebant, per quas ingrederetur. Veſtem eandem ſecunda vice non induebat: ſed nec ex eadem patina aut poculo bis edebat potabatque, ſed vniuerſis his ſubinde innouatis opus erat. Semel vſibus exprompta, miniſtris obijciebat vſurpanda. Leges ab ipſo conditæ ſtrictè & rigoroſè ſeruandæ erant. Partis victoriis, cum ab exteris domum rediret, recreationem aliquam captandam prætendens, mutabat habitum, &, qua fidelitate quæſtores circa cenſus & tributa verſarentur, venabatur. Negligentes & infidos, vltimo ſupplicio afficiebat. Idem in officiariorum cæterorum quoque fide expiſcanda peregrino indutus habitu ſubinde ſatagebat. Scrupuloſè etiam inquirebat, an qui miniſtrorum ac iudicum aut muneribus ſe corrumpi paterentur, aut cauſas iniuſtas tueri ſolerent. Qua in culpa quoſcunque depræhendebat, nulla mora iugulabat, nulli nec cognato, nec magnati, nec fratri quidem proprio parcens. Parcè admodum ac raro cum ſuis conuerſabatur, nec in conſpectum hominum facilè ſe efferebat: ſed vt plurimũ ſecum ſecreto in cõclaui de rebus regni deliberabat. Præterquam quod ſeuerus iudex eſſet, ſtrenuus quoque dux & moderator habebatur: in bellis ſupra modum felix & victorioſus. Qua laude haud parum etiam inſoleſcebat. Quæ huius fatũ antegreſſa prodigia ſint, cum in Hiſtoria Hiſpanica longa & eleganti ſerie deducta reperiantur, non inconueniens arbitramur, noſtro idiomate reddita hic aliquantiſper æmulari.

Cap. XXIII.

De variis & inſolitis prodigiis oſtentisq́ ante Mexicani regni fatum in Mexico viſis auditisq́.

QVAMVIS diuinationibus & prognoſticis fidem dari ſacra Pagina vetet: & diuus Ieremias, ne à ſignis cæli gentium more metuamus, ſuadeat: contra tamen ex ipſa quoque ſacra Scriptura docemur, quod quæ in mutationibus vniuerſalibus, à Deo inſtitutis, ſigna & oſtenta inſolita aliàs & inuſitata præambulãt, non *Deut. 18.* *Ier. 10.*

omnino ſpernenda & abiicienda ſint, ſicut id Euſebius Cæſarienſis innuit, cæli nimirum terræque creatorem noua & rara in cælo, Elementis, animalibus & creaturis cæteris ſigna edere, vt humano generi partim admonitioni, partim ſupplicio eadem exiſtant. Libro

2. Mach. 1. Machabæorum 2. capit. 5. legimus, ante inſignem mutationem & filiorum Iſraël perſecutionem, quam Antiochus Epiphanes, in ſacris literis radix peccati dictus, fecit, per vniuerſam Hieroſolymorum ciuitatem diebus quadraginta per aëra equites diſcurrentes auratas ſtolas habẽtes, & haſtas quaſi cohortes armatas, & curſus equorum per ordines digeſtos, & congeſtiones cominus factas, & ſcutorum motus, & galeatorum multitudinem gladiis diſtrictis, & telorum iactus, & aureorum armorum ſplendorem, viſa & conſpecta fuiſſe: & vno voto vniuerſos oraſſe, vt monſtra ea in bonum verterentur.

Sap. 17. Libro Sapientiæ docemur, cum Deus populum ſuum ex Ægypto educeret, vt terram illam puniret, varia ibidem quoque prodigia (quæ illic recenſentur) apparuiſſe, & populis horrorem incuſſiſſe. Ioſephus

Euſeb. lib. 1. de hiſt. Eccl. quoque libro de bello Iudaico, quatuor diuerſa ſpectra ante excidium Hieroſolymitanum, & poſtremam infelicis populi captiuitatem comparuiſſe teſtatur: quæ Euſebius Cæſarienſis & alij ex Ioſepho deinde mutuati ſunt, & prognoſes iſtas affirmarunt. Et in omnibus paſſim hiſtoriis huiuſmodi monſtra vniuerſales Rerumpubl. euerſiones plerumque præceſſiſſe, legimus. Paulus Oroſius horum non pauca in ſuis obſeruationibus recenſet, certè non omnia vana. Etſi enim vanitas ſit, ac expreſſo Dei verbo vetetur, ſuperſtitioſis ſignis fidem dare: huiuſmodi tamen ſigna, quæ alterius generis ſunt, ac regnorum & imperiorum mutationes verè præcedunt, non vniuerſim explodenda videntur. Credamus igitur firmiter, ſummam Dei ſapientiam hæc nobis ſigna ideo immittere, vt futurorum euẽtuum præludio & nobis admonitioni ſint, vt incumbentem pœnam euitemus, & ipſius cæli rectorem emendatione probroſæ vitæ propitium nobis reddamus. Ideo à Deo quoque ita conſtitutum eſt, vt mutationem omnium maximam & grauiſſimam, diem nimirum iudicij extremi antegreſſuram, maxima quoque & truculentiſſima prodigia præceſſura ſint. Nam vel leuioribus etiam mutationibus impendentibus plerumque diuerſis locis apparitiones ſingulares fiunt, quas pro ſua ſapientia Deus certo fine immittit. Sciendum quoque eſt, diabolum ipſum, etſi pater mendaciorum ſit, mandato ac iuſſu ſummi monarchę, nonnunquam puram veritatem ſuis quidem ingratiis ac inuito confiteri cogi. Ita clara voce inuitus per ob-

Luc. 4. ſeſſi hominis os exclamauit: Sine, quid mihi & tibi Ieſu Nazarene?

Act. 16. veniſti perdere nos. Idem per ancillam Pythonem habentem de Paulo & Sila teſtatus eſt ita: Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annũciant vobis viam ſalutis. Idem per ſomnum Pilati etiam vxorem torſit, vt ſuo viro diceret, ne quid cum illo iuſto haberet. Præter ſacras

verò

verò literas aliæ quoque hiſtoriæ rerum ſimilium de Idolis pro confirmanda Chriſtiana doctrina locutis mentionem faciunt, ſicut iſta apud Lactantium, Proſperum & alios videri poſſunt. Idem Euſebius in lib. de præpar. Euangel. & demonſtr. longa ſerie explicat. Quæ omnia eo fine hic citamus, ne quis ea contemnat, quæ in faſtis Indicis, de ſpectris & horum præſagiis occurrunt. Sed ad hiſtoriam. Moteçuma ergò cum aliquot annis ſucceſſu proſperrimo regnaſſet, eò vſque inſolentiæ ac faſtus contendit, vt non ſecus ac Deus adorari colique poſceret. Deus ergò ſceleris iuſtam vltionem parans, per ipſos quos adorabat diabolos, illum prius admoneri voluit. Qui interitum regni regiſque tot prodigiis ac oſtentis præmonſtrarunt, vt vel plura vel horridiora ibi nec viſa nec audita vnquam fuerint. Quibus ſpectatis, Moteçuma adeò præcipitabatur, vt porrò conſiliorum ſuorum nullam rationem ſciret. Simulachrum in Cholola, Quezalcoalt vocatum, publicè nũciabat, peregrinum populum appellere, qui regnum id inuaſurus & occupaturus ſit. Tezcucanus rex, inſignis magus, & fœdere ſingulari diabolo obſtrictus, Moteçumam extraordinario tempore viſitans, ab Idolis ſuis ſe percepiſſe aſſerebat, ingentem vniuerſi Mexicani regni mutationem præ foribus eſſe. Similia alij quoq; magi teſtabãtur. Inter hos vnus ſigillatim, quæ euentura eſſent, prædicebat. Quem dum rex adhuc loquẽtem audiret, deſubitò ſibi tum in manibus, tũ pedibus vniuerſos digitos deeſſe animaduertit. Quare ira tantoperè excanduit, vt omnes magos in vincula coniiceret. Qui tamen ex carcere breui diſparuerunt. Ita deluſus, cum ira eius adhuc grauius exacerbaretur, miſſis ſicariis, magorum vxores cum liberis crudeliter dilaniari, domoſque eorum funditus euerti curauit. Cæterum conſentientibus omnium præſagiis, ſuum & regni excidium præ foribus eſſe, ſentiens, ad placandos Deos animum appulit, & grandem quendam lapidem, in quo efficacia ſacrificia fierent, aduolui iuſſit. Ad hunc cum operarij quamplurimi admouendum egrederentur, vectibus atque contis emotioni neceſſariis inſtructi; coniunctiſſimo tamen niſu ne tantillum quidem eum loco mouere poterant, adeò vt tentando vectes pleroſque confringerent. Ipſis tamen metu regis in lapide emotando extremas vires tentantibus, proximè apud lapidem vox talis perſonuit: Fruſtra quæſo nihil molimini. Qui enim vniuerſa creauit dominus, veſtras ſuperſtitiones diutius haudquaquam tolerabit. Hoc prodigio ad regem enunciato, vt eodem ipſo loco ſacrificium ſuper lapidem fieret, indignabundus mandauit. Quod dum adornaretur, vox alia talis obſtrepuit; Non dixi vobis, dominum, rerum omnium conditorem velle, talia ne deinceps fierent? Et hoc vt verum eſſe videatis, aliquouſque me quidem promoueri patiar, ſed ab eo vlterius me non voluetis. Id hoc ipſo pacto euenit. Nam primò aliquouſque prouolutus, poſteà totus immotus iacuit. Rogantibus autem illis, vt porrò quoque moueri ſe pateretur:

ad ciuitatis Mexico introitum prolatus, nemine cauente repentè in aquam decidit. Diu poſteà & curioſè ibidem quæſitus, illic quidem inuentus non eſt, ſed poſt aliquod tempus tamen in loco priore, vnde euolutus erat, denuò ſpectabatur. Qui euentus ſtuporem vniuerſis iniecit. Porrò circa hoc ipſum tempus flamma quædam luciſſima, forma pyramidali in cælo ſpectabatur. Quæ media nocte aſcendens, manè ſub ortum ſolis in plaga meridionali comparebat, & ibidem repentè euaneſcebat. Et ſingulis vniuerſi anni noctibus perpetuo more flāma hæc exoriebatur. Illa emergente, populi omnis multitudo altè vociferabatur, quod rem triſtem imminere auguraretur. Tum & ipſum templum ardere cæperat, cum tamen nec intus faces, nec foris fulgura ac tonitrua ſentirentur. Et licet clamore vigilum infiniti quidem homines ad flammam reſtinguendam acciti confluerent, omnis tamē omnium conatus irritus erat, tēplumque ipſum in meros cineres deflagrabat. Nam quo copioſior aqua ardentibus lignis infundebatur, eo plus flamma increſcebat & dilatabatur. Sed & medio die cometam ſurgere videbant, cuius cauda ab occidente in ortum proiecta, ſcintillarum ingentem vim expuebat. Caudam hanc admodum promiſſam fuiſſe, & in extremis eius tria veluti capita adhæſiſſe, perhibent. Magnus intra Mexico & Tezcuco lacus citra ventos ac terræ motus ſubitò ebulliebat, fluctuſque tanto æſtu fremebant, vt vicina omnia ædificia corruerent. Vocem etiam aliquoties lamentabilem, querulæ fœminæ ſimilem auditam eſſe perhibent, quæ ita ſonuerit: O mei filij: veſtrum iam ante fores exitium. Et paulo poſt: O mei filij, quonam vos agere, quo abducere potero, vt non vniuerſim pereatis? Sed & monſtra nonnulla, tribus capitibus horrida capta ſunt. Quæ ante regem producta, euanuere. Sed his vniuerſis duo inſignia monſtra alia longè truculentiora viſa fuerūt. Vnum in lacu à piſcatoribus captum auem, gruis magnitudine, ſpecie omniuò peregrina & ignota referebat.

Hoc Moteçumæ exhibebatur, cum in eo palatio ageret, quod lugubre vocabāt, fuligine vniuerſum atratum. Sicut enim ſingularia gaudio parata conclauia habebat: ita triſtitiæ quoq; alia dicata non deſiderabat. In hoc ergo cū Deorum cōminationes & prodigiorum malas ominationes ſecum profundius ruminaret: auis monſtroſa illa ad eum inferebatur, quæ ſupra caput quiddā pellucidum & ſpeculi modo tranſparens exhibebat. In hoc Moteçuma pulchritudinē cæli ac vniuerſorum aſtrorum cum ſtupenda admiratione primò contuens, cum deinde oculos cælo rurſus aduertiſſet, illud ſtellis penitus orbum vidit. Poſteà iterum in ſpeculum inſpectans, grandem exercitum ab oriente ſurgētem, pugnantem, cædentem & proſternentem cōtuitus eſt. Quod ipſum etſi harioli regis quoq; viderēt, tamē quid eſſet, aut ſignificaret, explicare minimè poterāt. His viſis, auis, magna Moteçumæ contriſtatione diſparuit. Monſtrum ſecundum hoc erat.

rat. Ruſticus quidam pannoſus & vilis, Moteçumam alloquens, hæc narrabat: Elapſo die cum agrum coleret, inuſitatæ magnitudinis ac vaſtitatis aquilam quãdam ad ſe prouolaſſe, & ad antrum quoddam illæſum abripuiſſe. Hoc ſe ingreſſo, Aquilam hæc verba edidiſſe: Potentiſſime domine, quem me adducere iuſſiſti, en aſtat. Cum verò, cuinam aquila loqueretur, diſpiceret, neminem, vſpiam inuentum fuiſſe: vocem tamen ſe compellantem audiuiſſe, quærentem ita: An, qui ſupra terram porrectus iacet, virum iſtum nouiſti? Tum verò ſe oculos quoquo verſum contorquentem, virum ante ſe tenſum porrectumque vidiſſe, qui graui ſopore oppreſſus, paſtillum ſeu faſciculum fragrantem ellychniorum prout mos patrius fert, manu premeret, & regio habitu cinctus iaceret. Quem cum accuratius aut attentius contuitus eſſet, Moteçumam eum eſſe deprehendiſſe: Reſpondiſſe ſe ergò, virum hunc Motecumam videri. Tum vero vocem reddidiſſe: Rectè ais. Sed denuo vide, quam veternoſus iaceat, ſecurus omnium periculorum, quæ breui ipſum oppreſſura ſunt. Iam tandem illud tempus eſt, vt, quod tyrannide ac faſtu in Deum peccauit, abundè luat & expiet. Ipſe verò adeo ſecurus quidem ſocorſque iacet, vt miſerias ſuas ne olfaciat quidem. Hoc vt teſtari poſſis, en, ardens ellychnium eius manibus euelle, & illud femori intenta, videbiſque, dolorem ipſum non ſenſurum. Id cum facere recuſaret, vocem denuo clamaſſe: nihil metuas, nihil: nam immenſo ac infinito modo rege potentior ſum egomet, quem vel delere vel ſeruare mei arbitrij eſt. Itaq; , quod iubeo, exequere. Tum vero ſe è iacentis manibus ellychnium extricaſſe, & femori eius admouiſſe, nec dolorem ſentientis, nec quoquam ſe mouentis. Hoc facto vocem dixiſſe: Cum ergo videas, regem vſq; adeo ſocordem & ſoporoſum exiſtere: perge, & ipſum exuſcita, & quæ vidiſti, ipſi ſigillatim enarra. Hiſce tranſactis, iubente domino ab aquila ſe in priſtinum reductũ locum eſſe. Narrant Moteçumam his auditis femore inſpecto, ſtigma inuſtum ibi deprehendiſſe. Quod qui factum ſit, cum neſciret, in mœrorem acerbiſſimum ruiſſe. Permiſſu quidem Dei hæc aut à bono aut malo angelo patrari potuerunt, vt iſtis Moteçuma de futuris tragicis euentibus admoneretur. Tradunt enim ſacræ literæ, viſa huiuſmodi gentibus quoque incredulis obueniſſe, vt Nebucadnezari, Baalamo, & pythoniſſæ Sauli. Porro, etſi hæc nõ omnia prædicto modo ſe haberent: certiſſimum tamen eſt, Moteçumam admodum obtriſtatum fuiſſe propter tot vnà concurrentia prodigia, quæ de regno eius interituro tam exactè vaticinarentur.

Dan.2. Num.22. 3.Reg.2.

Cap.

Cap. XXIV.

De nuncio ad Motecumam allato, Hiſpanos in littore eſſe: & de legatis ad hos ab ipſo miſsis.

ANno regni Motecumæ 14. nati verò ſaluatoris noſtri Chriſti 1517. in boreali oceano naues, multis populis conſpicuæ apparuerunt, magna ſanè Indorum admiratione. Qui vt ſciſcitarentur, quænā illæ gentes eſſent, Canois ſuis, cibariis varij generis, ac pannis, vendendi ſpecie onuſtis, ad ipſas naues quāproximè ſucceſſerunt. Illis vero ab Hiſpanis in naues receptis, pro cibis ac veſtibus fila aliquot lapidum rubrorum, flauorum ac viridium data ſunt: quos Indi pro gemmis accipiebant. Et cùm de regis ſui magnificentia multa iactaſſent, diſcedentes dicebant, ſe gemmas has ſuo domino dono exhibituros eſſe. His ergo Hiſpani mandabant, vt regi ſuo nunciarent, quod, qui dediſſent hæc, ipſum iam conuenire non poſſint: facturos tamen, vt in reditu ſuo ipſum compellent & inuiſant. Hoc nuncio Indi in Mexico properabant, & in linteis, quæcunque vidiſſent, accuratè depicta ferebant, nempe tum ipſas naues, tum homines, & horum habitum: & ſimul acceptos ab ipſis lapillos quoque promebant. Quibus auditis, cum Motecuma oppidò obſtupeſceret: ne quicquam cuiquam de his reuelarent, nūciantibus ſeriò interdixit. Sequente die conſiliarios ſuos cogens, pannos ac lapillorum lineas iis oſtendens, quid his rebus medij obuertendum ſit, in commune conſulere iubebat. Sententiis collectis, decretum eſt, vt in littorib. maris diligentes excubiæ fierent, & ſi quid noui accideret, ad regē maturrime enunciaretur. Sequēte anno 1518. è littoribus claſſem illam proſpectarunt, quam Marchio de Thale, Don Ferdinandus Cortès moderabatur. Huius indicio accepto, Moteçuma grauiter percellebatur. Et cum de iſtis rebus cum ſubditis conferret, vniuerſi reſponderunt, haud dubio auum magnum Quetzalcoal, qui iam ab oriente, quo abierat, rediret, claſſis illius præfectum eſſe. Nam per omnem Indiam paſſim magnus rumor vagabatur, quod olim à potentiſſimo quodam domino deſerti fuiſſent, qui abiens ipſis certum reditum ſpoponderit: de qua re alibi planius acturi ſumus. Tādem verò communi decreto, cum honorariis ampliſſimis quinque inſignes legati ad Hiſpanos emiſſi ſunt, qui eos pro more exciperent & ſalutarent, dicerentque, nihil ſe neſcios eſſe, magnum imperatorem Quetzalcoal iam rurſus appellere: ideóque ſeruum eius Moteçumam ad ipſum legatos amandaſſe, qui dicerent, Moteçumam Quetzalcoal ſeruum eſſe. Legati autem Hiſpanos Indi cuiuſdam, Marinæ, quem ſecum adduxerant, interpretatione intelligebant.

Is

Is enim Mexicanæ linguæ peritus erat. Hanc itaque ſalutationem Ferdinandus Cortês admodum propoſito, ſuo in ciuitatem ingrediundi idoneam fore ratus, conclaue ſuum exornari iubebat, & Legatos ad ſe intromittebat. Hunc Indi tanta ſubmiſſione & veneratione adibant, vt quin adorarent, parum abeſſet. Dicebant autem, ſeruum Moteçumam ipſum ſaluere iubere, & gubernatoris loco ciuitatem eius hactenus moderari. Scire enim ſe, iam aduenam non niſi Tolpicni eſſe ipſiſſimum, qui ante plurimos annos ad Mexicanos reditum pollicitus eſſet. Iuxtà Ferdinando quoque veſtes eas, quas Tolpicni, cum inter ipſos olim verſaretur, geſtare ſolebat, offerebant, deuotè rogantes, vt eas cum cæteris oblatis donariis accipere non dedignetur. Acceptis muneribus Cortês ſe ipſum illum eſſe, quem ſalutarent, reſpondebat. Quod Legatis apprimè placebat, ſe tam familiariter & amicè ab aduenis tractari haberique. Quæ certè Ducis huius comitas meritò laudanda eſt. Omninò enim ſecum decreuerat, gentem hanc beneficentia & lenitate lucrari: cui inſtituto iam delatæ occaſiones non inidoneæ futuræ videbantur. Etſi verò, vt diximus, Cortês votum hoc vnicum haberet, vt comitate & manſuetudine gentes has ad Euangelium agnoſcendum inuitaret: enormia tamen immaniſſimorum iſtorum homicidarum, ac Sathanæ mancipiorum peccata de cælo ingentem pœnam ſollicitabant: adeò vt moderationi Chriſtianæ nullus hîc locus eſſet. Radix enim arefacta excindenda erat: vt vnius cæcitas dicente Apoſtolo, alterius beatitas eſſet. Poſtero die Duces & claſſis præfecti vniuerſi in prætoria naui deliberabant, qua via, quo modo, cùm Moteçuma Rex admodum opulentus & potens ſit, autoritatē ſibi quandam apud Mexicanos conciliarent, vt ab ipſis ſtrenui Heroes haberentur, & vt, licet numero pauciores, præ incolarum formidine in Mexico facilè reciperentur. Iſti captationi vt viam aliquam ſtruerent, tormenta ſimul omnia, quæ in nauibus erant, certatim diſplodebant: quo fragore Indos, rerum harum neſcios vſque adeo terrebant, vt cælum ſibi in caput deruere putarent. Poſteà Indos ad conflictum Hiſpani inuitabant. Quod cum Indi detrectarent: magna infamia timiditatem ipſis Hiſpani exprobrantes, deinceps eos durius tractabant, & gladios, haſtaſq; & bipennes, armaq; ſimilia, metus & formidinis incutiēdæ gratia ipſis oſtendebāt. His iam factis offenſi Indi, de Hiſpanis longè aliam ſententiam ferebant, dicentes dominum ac regem ſuum Tolpicni inter ipſos haud quaquam verſari, ſed eos Deos hoſteſque peregrinos eſſe, qui ad perdendos ſe huc contendiſſent. Legatis verò in Mexico redeuntibus, Moteçuma in domo quatuor columnarum ſacris vacabat. Ad quem priuſquam itarent, infelix homo magnum captiuorum numerum mactabat, quorum ſanguine Legatos perſpergens, hoc ritu felix nuncium captabat. Cum verò de forma nauium armorumq; indicium acciperet, horrore totus rige-

bat:tandemque multis deliberationibus habitis decernebat, ad hos aduenas exigendos & perdendos nullum medium commodius proſtare,quam vt eos vi magica,quam artem admodum familiarem habebant,& per quam maxima ſæpius opera cõmunione diaboli confecerant,arcerent. Congregati ergò vndelibet magi Moteçumæ iuratò ſtipulabantur, hos peregrinos è ſuo territorio penitus eiicere. Quo facto in ſecreta & commoda loca, vbi cum diabolo deliberarent,& ex arte ſua efficacius operarentur,ſecedebant. Tentatis itaq; tentandis omnibus,nulla tamen parte Chriſtianis nocere ſe poſſe videntes, ad regem redeunt,dicuntque, qui foris in nauibus verſarentur, altiores & potentiores cæteris hominibus eſſe, vt quibus nulla incantatio,nulla effaſcinatio damnum inferret vel minimum. Hoc ergò medio nihil ſuccedente, viam Moteçuma aliam ingreſſus, ſimulat,quaſi aduentu hoſpitum apprimè delectaretur: & per omnes ſuas prouincias mandat, vt ſubditi cæleſtibus diis iſtis iam aduenis in omnibus miniſtrarent, & parerent. Nuncium hoc, & quod ſimul Hiſpani de ipſorum Rege, & eius regni ratione & opulentia curioſius inquirerent, Indos vniuerſos in mœrorem maximum coniectabat.Quæ res vel ipſi quoq; regi id intelligenti diuidiæ erat.Cum verò magos ſuos iterum,quid faceret,conſuluiſſet, iuſſerunt,vt ſe alicubi abſconderet. Facturos ſe etiam promittebant, vt in ea loca abduceretur, vbi à nemine mortalium vnquam inueniri poſſet. Hoc cum ipſi conſilium inane videretur, decreuit, hoſpites ſuos expectare, etſi cum vitæ diſpendio ea res futura ſit. Tandem verò è palatio ſuo regio in aliam domum ſe efferebat, vt in illo peregrini Dij commodius haberent.

Cap. XXV.

Qua ratione ac modo Hiſpani in Mexico venerint.

CVM noſtri minimè inſtituti ſit, de Hiſpanorum, nouam Hiſpaniam occupantium, rebus geſtis, vt & de ſingulari Ferdinandi Cortês prudentia ac magnanimitate longius tractare, ſiquidem illa omnia ex eo tractatu, quem dictus Ferdinandus ad Carolum V. Imperatorem edidit, commodè repeti poſſint: id tamen hoc loco percenſebimus, quod ab ipſis Indis de hac re edocti ſumus,& quod in nullis Hiſpanorum libris reperitur.

Moteçuma ergo intelligente, claſſis præfectum cum Tlaſcalanis ſuis hoſtibus fœdus ac amicitiam pepigiſſe, & Chololanos, ſuos amicos, miſeranda ſtrage fudiſſe: fraude excogitata quendam ſuorum primariorum ſignis & ornamentis regiis conſpicuum ſub-

orna-

ornauit, qui ſe Moteçumam ſimularet. Sed præfecto dolum hunc Tlaſcalani prodebant: vt ob id Cortês Moteçumæ id ignominioſè exprobraret, quod dolis ipſum decipere ſategiſſet. Quo audito rex multo grauius perculſus, magos prioribus longè numeroſiores conuocat, & niſi peregrinos iſtos ſuis artibus ex territorio eliminarent, ipſis crudelem mortem minitatur. Magi id regi recipientes, magno numero in viam illam ſecundum Chalco, per quam Hiſpanos penetrare oportebat, tendunt, & ibi loca editiſſima occupant. Ad hos Tezcalipuca, Deorum, quos illic venerarentur, primarius, ex caſtris Hiſpanicis ſe inferebat, veſtibus Chalcarum ritu indutus, & pectus funiculo ex ſparto, corpus octies ambiente, cinctus, totum ſe amentem, temulentum, laſſum & furioſum ſimulans. Ad gregem verò magorum veniens, reſtitabat, & magna indignatione motus dicebat: vt quid denuo huc reditis? quidve per vos Moteçuma molitur? Seriò ſeriò, ſapit ille. Iam enim immotè decretū eſt, vt honoribus, regno, ac omnibus poſſeſſionibus, propter infandam tyrannidem, quam erga ſibi ſubditos exercuit, exuatur. Non enim is regis more regnauit: ſed tyranni & proditoris ſcelerati partes egit. Quæ audientes magi, cum ſuum Deum agnoſcerent, aduerſus eum ſe incuruantes, lapideam ibi aram condebant, quam floribus & herbis obuiis inſpergebant.

Nihili tamen diabolus hos cultus faciens, criminabatur eos, dicens: Ad quid proditores vos huc redacti eſtis? Redite, redite, & Mexico ciuitati fata ſua annunciate. Ipſis ergò reconuerſis, ciuitas omnis in flamma ſtare videbatur. Poſt Tezcalipuca euanuit. Cæterum, cum Magi nihil vltra tentare auderent, pergentes quod iuſſi erant, regi denunciant. Ipſe verò aliquandiu in terram defixis oculis veluti ſtatua, verbum nullum edere poterat. Paulo poſt in hæc verba erupit: Agite ergò, quid nunc faciemus, cum nec Dij, nec noſtri amici conſilium & auxilium nobis impertiant? Mihi tamen, vtcunq; euentus cedat, ſtatutum eſt, nullâ profugere, aut abſcedere, multo minus abiecti animi ſignum quoddam edere. Senum autem & infantum me præcipuè miſeret, qui manibus ſuis ſeſe tutari ipſos nequeunt. His dictis, repentè conſiluit, vſque adeo animus eius in partes varias agebatur. Interim Marchione Mexico appropinquante, Moteçuma neceſſitatem virtutem faciens, ex ciuitate tribus milliaris quadrantibus ei obuiam procedebat, & hoſpitem humaniter accipiebat. Hunc inſigni maieſtate quatuor primates ſuis humeris nixum ferebant. Supra caput eius cælum ex auro ac pennis pretioſis fulgentiſſimum eminebat. Occurſu iam inſtante, deſcendens Moteçuma cū Marchione congreſſus, familiariter ipſum ſalutabat. Hūc vero viciſſim Marchio bono ac præſenti animo eſſe iubebat, non ſe veniſſe dicens, vt regnum eius auferret, aut vlla parte minueret. Moteçuma itaque Marchionem cum ſociis reliquis in auguſtum

ſuum palatium abducebat:ipſe verò in ædes alias abſcedebat. Nocte poſtera iubili gratia Hiſpani omnia ſua tormenta elidebant:quæ res inſuetos Indos haud parum terrefaciebat. Sequente die Marchio regem cum ſuis primoribus in ampliſſimo quodam atrio conuocabat.

Quibus congregatis, ipſe in ſella ſedens indicabat, magni ſe principis ac domini miniſtrum eſſe,hoc fine emiſſum, vt hiſce terris bene faceret,& omni beneuolentia proſequeretur. Iam verò Tlaſcalanos, fœdere ſibi iunctos, grauiter conqueſtos eſſe, quod variis & intolerandis iniuriis à Mexicanis ſubinde premerentur. Poſtulare ſe ergo,vt,qui rei illarum iniuriarum eſſent,proderentur,ſi forte aliquo medio conciliari,& poſtera damna,futura concordia ſarciri poſſent. Se verò cum fratribus Tlaſcalanis manſuros,& ſi vſus poſcat, auxilium ipſis præſtituros. Hæc Marchio per interpretem ipſis reddi iubebat. Moteçuma verò ac cæteri primores iſta audiẽtes, admodum bono animo erant,ſicut ex amicitia,qua Hiſpanos præueniebant, id colligi poterat. Multi putant,hoc tempore & concilio à Rege & magnatibus Mexicanis, pleraque illa, quæ poſt petebantur, impetrari potuiſſe facilimè: & doctrinam præcipuè de Chriſto citra laborem illis inſtillari licuiſſe. Sed hæc incerta diuino iudicio relinquenda ſunt,qui pro iuſtitia ſua,quæ & quando vult,peccata vindicat. Cæterum haud multo tempore elapſo, ſuſpiciones ſiniſtræ inter vtramq; nationem obortæ ſunt. Securitatis itaque maioris gratia Marchio Moteçumæ manus iniicit, & ipſum compedibus ſtringit. De quo Marchione id oppidò admiratione dignum eſt, quod concrematis propriis nauibus,in medios ſeſe hoſtes immiſerit,vt eos aut vinceret, aut ab ipſis trucidaretur.Iſto tamen caſu hoc comprimis admodum incõmodum rei optimè gerendæ obtingebat, quod propter intempeſtiuum Pamphilo de Naruaes acceſſum Cortês in prouinciam Vera crux abſcedere cogeretur,vt ſeditionem ibi ſuſcitatam ſopiret. Ita enim miſerum Moteçumam ſuis ſociis relinquere cogebatur, quorum non eadem modeſtia & lenitas erat. Qua cauſa etiam poſtmodum tumultus inſignis enatus eſt,qui æqua facilitate ſedari minimè potuit.

Cap. XXVI.

De Motecumæ obitu:& quî ex Mexico Hiſpani rurſus exceſſerint.

POSTQVAM Cortês Mexico abſceſſiſſet, is cui vices abſentis mandatæ erant, ſupplicium aliquot de Mexicanis ſumpturus,nobilium ex ipſis plurimos in Mitote ſeu ludo interfici curauit. Qua iniuria multitudo Indorum offenſa, arma arripuit, & vim hanc pro-

propulſauit. Domum enim, in qua Hiſpani erant, cingentes, nihil quicquam ea damna, quæ ſclopetis frequentibus fiebant, morabantur. Hoc ergò propoſito aliquot diebus domum obſidebant, vt neceſſaria omnia Hiſpanis interciperent. Pugnabant autē contra Hiſpanos lapidibus, telis miſſilibus, haſtis, gladiiſque, ſuo more peculiariter paratis. Hi gladij nihil aliud ſunt, quam ferulæ, quatuor vel ſex acutiſſimis nouaculis ſupernè reuinctæ, quibus vibratis, vt Indica fert hiſtoria, vno ictu collum equi, qua parte craſſiſſimum eſt, decutere ſciunt. Gliſcente itaque diutius pugna, Moteçumam cum alio è magnatibus primario in ſupremam ædium planitiem Hiſpani deducunt, & hos duobus ſcutis prætentis contra tela muniunt. Mexicani, vbi primum Moteçumam conſpicati ſunt, illicò quieſcunt. Moteçuma verò, per ſocium magnatem elata voce populum adhortatur, vt rem ſobriè agant, & infeſtis armis Hiſpanos non acrius iritent.

Horum enim cum iam captiuus ſit, fieri non poſſe, vt inſigne quoddam commodum ſua ferocia facturi ſint. Hæc verba iuuenis quidam, Quicuxtemoc, quem populus regem electurus erat, exaudiens, clamoſa voce ad Moteçumam ſic orſus eſt: Apage te, hominum ignauiſſime, & contemptiſſime. Nec enim iam tibi audientes ſumus: verum pœnam, quam grauiſſimam meritus es, ipſimet tibi accuramus. Cumque ignominioſo fœminæ nomine eundem criminatus eſſet, cæpit tela in eum emittere, quod idem faciebat populus lapidibus. Non deſunt, qui affirment, hoc tumultu Moteçumam lapide percuſſum, ex ea plaga deinde obiiſſe. Quod tamen obſtinatè alij inficiantur, eumque alio mortis genere ſublatum ab Hiſpanis eſſe, contendunt: de quo poſteà dicemus. Videntes itaq; Aluarado ac Hiſpani cæteri, quibus in anguſtiis verſarentur: ad Cortês amandantes ei pericula illa, quibus nunc pateant, ſignificant.

Marchio verò ſumma prudentia ac celeritate cum Naruaes rebus compoſitis, populi illius partem maximam ſibi adiungens, magnis confectis itineribus in Mexico redit, & tempus illud, quo Mexicani feriantur, præſtolatur. Nam quouis quarto die Mexicani feriari ſolent, cum bella gerunt. Ita partim dolo, partim vi ad ſuos in palatium penetrat, qui de eius aduentu tempeſtiuo impendiò ſibi gratulabantur. In cuius rei ſignum tormenta ſua iterum exonerabant. Indis autem nihilominus in furore ſuo pergentibus, nullaque vel pacis ſarciendæ, vel inferendi commeatus ſpe iam reliqua exiſtente, conſilium cum ſuis Cortês inibat, vt nocturno ſilentio clam ex Mexico profugerent. Binis ergo pontibus magna celeritate ad duos profundos fluuios tranſeundos paratis, ſub noctis tenebras abſcedūt. Cæterum cum iam vnum flumen trāſiiſſent, ab Indica fœmina prodebātur, quæ Hiſpanos fugā capeſſere, altè vociferabatur. Repentè ergò cōcurrentibus omnib. Hiſpani nouo prælio tentātur: adeò vt

priuſquam flumen alterum tranſirent, ipſorum 300. circiter caderēt & vulnerarentur. Hæc ſtrages eo loco edita eſt, vbi hodiè ſacellū, iniquo nomine Martyrū dictum viſitur. Multi, qui aurum ac clenodia ſua ſeruare conabantur, aut vitam perdebant, aut à Mexicanis capti, crudeli lanietia ſimulachris immolabantur. Moteçumam, multis pugionum ictibus confoſſum, vt aiunt, Mexicani mortuū inuenerunt: quē eadem nocte cum cæteris primoribus trucidatū eſſe exiſtimabant. In eo tractatu, quē ad Carolum V. Imperatorem Marchio perſcripſit, traditur, Mexicanos ea nocte Moteçumæ filiū quendam cum multis aliis nobilibus iugulaſſe: theſauros item auri, argentique ac gemmarū, quos Hiſpani ſecum tuliſſent, in lacum omnes illapſos nec vllo vnquā deinde tempore repertos fuiſſe. Quæ tamen vtcunq; ſeſe habent, certū eſt, Moteçumā exitum admodum tragicū ac funeſtum ſortitū eſſe, tyrannideq; ſuam iuſto admodū ſupplicio luiſſe, adeò, vt non modò non regio apparatu, ſed ne plebeio quidē ritu tumulatus fuerit. Cadauer enim eius Mexicanorum ira inſtar mortuæ pecudis abiiciebatur. Cuius tandē ſortem miniſtrorū quidam miſeratus, ipſum cōcremauit, & cineres collectos in locū non admodum æſtimatū condidit. Sed ad Hiſpanos redimus. Qui cum hoſtiū manib. elapſi eſſent, mira & miſera fame admodū tabeſcebāt, Indis quoquo verſum ipſos acerrimè inſectantib. Maiis aliquā quantitatem alicubi adepti, eam granis inter ſeſe partiebantur. In hoc verò Indica hiſtoria cum Hiſpanica conuenit, Hiſpanos mira ratione in monticulo quodam, in quo tribus à Mexico milliaribus diſtante hodiè rei index ſacellum, diuæ virginis auxilium vocatum viſitur, liberatos fuiſſe. Tandem vbi ad confœderatos Tlaſcalanos iterum penetraſſent, expeditionem tam naualem quā terreſtrem auxilio & ope Tlaſcalanorum adiuti, contra Mexicanos illico faciunt, qua celocum actuariarum, quas in lacu Cortês fabricari fecerat, opera, ſexaginta diuerſis, iiſque funeſtis & atrocibus præliis prius commiſſis, ipſo S. Hippolyti die, qui in 13. Auguſti anni 1521. incidit, regiam ciuitatem Mexico tandem expugnarunt & occuparunt. Poſtremus quem Mexicani elegerant, Rex in magna Canoa profugiens, captus eſt.

Qui vbi cum aliis primoribus ad Cortês adduceretur, pugione diſtricto dixit: Hactenus, qua potui fide meos ciues tutatus ſum. Porrò nemini quicquam debeo, quam tibi hunc pugionem, quo me è veſtigio confodias. Cui Cortês reſpondit: ſe mortem ipſius non quęrere, nec Mexicanis damnum dandi, vnquam conſilium cæpiſſe. Quod verò tot ſtragibus & ſuorum interitu fuſi eſſent, id præfractæ ipſorum contumaciæ imputari debere: cum ſciant, multoties ipſis pacem ac concordiam rationibus æquiſſimis delatam fuiſſe. Poſteà captiuos vniuerſos lautè tractari & humaniter haberi iuſſit. In occupanda ciuitate Mexico mira & memorabilia multa inciderunt Certum eſt etenim, niſi in huius terræ occupatione ſingulare cælitus

tus miſſum auxilium fuiſſet, quod tam paruis copiis tam bellicoſam gentem coërcere & domare minimè licuiſſet. Et licet nos quidem diuinæ opis indigniſſimi ſimus: id tamen ad Dei gloriam ac honorem imprimis facit, per nos infinitas animas, ad ſalutem ab ipſo deſtinatas, iis mediis, modiſque, qui naturæ vim ac metam omnem excedunt, redemptas eſſe.

Cap. XXVII.

De miraculis nonnullis, in India confirmandæ Chriſtianæ religionis cauſa editis.

SANTA Crus de La Sierra in regno Peru prouincia remotiſſima eſt, circa quam diuerſæ terræ aliquot S. Euangelij vocem vniuerſim nondum agnouerunt, nec de ſocietate Patres admiſerunt. Noſtro tamen iam ſeculo pauci aliqui baptiſati Indi ibi reperiuntur. Chriſtianiſmus verò ad ipſos hoc modo introductus eſt. In Charcas prouincia facinoroſus miles quidam, vitam variis næuis turpem agens, cum ſupplicij metu in penitiſſimas oras profugiſſet, à Barbaris ſuſceptus eſt. Quos cum miles ingenti aquarum inopia laborare, & huius impetrandæ cauſa ſuperſtitioſas multas ceremonias agitare attenderet: ad eos dixit, ſi, quod iuberet, facturi eſſent, tum pluuias illicò cælo deciſuras. Annuentibus illis miles magnam Crucem erigens, vt illam adorarent, & vndas peterent, iuſſit. Quod cum feciſſent, dicto citius copioſi imbres delapſi ſunt. Ex quo factum eſt, vt Indi ad crucem iam vnum perfugium habeant, & de idolis ſuis non admodum ſolliciti ſint. Crucem deinde etiam ſuo inſigni addiderunt, & ſacerdotes ſeu præcones popoſcerunt, qui de diuinis myſteriis eos plenius erudirent, & conuerſos baptiſmo initiarent. Et hac de cauſa ea prouincia Santa Crus de la Sierra nominatur. Etſi verò hic miles aliquot continuis annis inſtar cuiuſdam Apoſtoli plurima miracula edidiſſet: nec tamen ad vitæ frugem rediit, ſed longius in prouinciam Charcas reuerſus, cum facinorū ſuetorum finem non faceret, tandem in Potoſi ſuſpendio ſtrangulatus eſt. In longa & periculoſa illa peregrinatione, quam Cabeça de Vaca, poſteà in Pariguay Gubernator conſtitutus, confecit, mirabilia ac memoranda plurima recenſentur, quæ ipſi ac tribus ſociis, decennij illius, quo inter Barbaros verſati ſunt, decurſu obtigerint. Tradit autem inter cætera, terram eam ſe vſque ad mare auſtrale peruagatum, à Barbaris ſæpius coactum fuiſſe, vt morbis incolarum medelas faceret, qui recuſanti multoties mortem minitati eſſent. Cum verò nec ipſe nec ſocij medicinæ cognitionem vllam haberent, & inſuper ad has res neceſſarijs etiam inſtrumētis deſtituti, nihilominus tamen mor-

borum curationem aggredi cogerentur: tum ad Euangelica medicamenta diuertentes, precationibus & deſignatis crucibus ſeſe morbos expugnare cæpiſſe. Qua poſteà fama increbreſcente, artem eam in innumeris oppidis ac vicis ab ipſis extortam, proſperrimè ceſſiſſe, adeò vt ipſimet de ſucceſſu in ſtuporem darentur.

Cap. XXVIII.

Quomodo Chriſtiana religio in India ſeminata ſit.

PRo Indicæ hiſtoriæ coronide, quàm admiranda ratione Euangelium in has regiones introductum ſit, tandem planius explicabimus. Hoc ex libro edocti ſumus, tam nouæ Hiſpaniæ, quam ipſius Peru regna ad vigorem & maieſtatem ſummam circa hoc tẽpus conſcendiſſe. Ingæ etenim in Peru, vniuerſas oras à Chile vſq; ad vlteriorem Quito, interuallo 1000. milliarium tenebãt, ac ex iis aurum, argentumque ac res alias pretioſiſſimas capiebant. In Mexico verò Moteçuma à mari boreali ad ipſum auſtrale dominabatur, & diuinis honoribus colebatur ac adorabatur. Iam ſicut lapis, *Dan. 2.* cuius Daniel meminit, regna & mundi monarchias eo demum tempore confregit & cõminuit, quo Romana Monarchia ad ſummum cõſcendiſſet: ita in India pari ratione idẽ euenit Occidentali. Et ſicut, vno totius mundi domino ac capite conſtituto Euangelium ad infinitos populos facilè propagari potuit: ita in India quoq; Euangelij de Chriſto notitia quoquo verſum latè diſſeminari potuit, poſtquã ſemel à primariis illarum prouinciarum capitibus acceptatum fuiſſet. Eadẽ linguarum quoq; ratio eſt. Quæ cum victoribus Mexicanis & Cuſcanis vna opera vbiuis introduci ſueuit. Quæ etſi inter ſeſe quidẽ alicubi quadamtenus diſſonarent: Cuſcana tamen lingua, vt & Mexicana vltra 1000. milliaria notæ ſunt. Quod concionatoribus inſigni emolumento fuit, qui quarumlibet linguarũ dona non omnes habebant. Sic ergò Eccleſia Chriſti ſecundum Eſaiæ vaticinium, vt *Auguſt. libr. de conſenſ. Euangel. c. 36.* id D. Auguſtinus interpretatur, non ſolum verſus rectam, verum etiam verſus læuam extenſa colitur. Porrò autem ſingulari Dei prouidentia id quoque ita conſtituebatur, vt, qui primi has terras occuparent, ipſorum Indorum, qui ingentibus diſcordiis diſſilierant, ſuppetiis adiuuarentur. Sub dio enim ac in propatulo eſt, Solam fratrum geminorum Atagualpæ & Guaſcaris diſcordiam Marchioni Franciſco Piçarro ac Hiſpanis cæteris terras eas acceſſas præſtitiſſe. Quilibet enim horum hoc vnum omni ſtudio agitabat, vt marchionem ſuis partibus fauentem ac amicum faceret. Idem in noua quoque Hiſpania factitatum ſcimus. Tlaſcalanorum enim Mexicanorum iuratorum hoſtium, ope manuque ciuitas Mexico expugnata eſt: quod ſolis Hiſpanis confectum dare impoſſibile

futurum

futurum erat. Hic ſi quis dicat, rem hãc adeo arduam non eſſe, quod Indi natura imbelles & timidi ſint, Hiſpani autem armorum ac equorum prærogatiuam magnã habuerint, vnde Indos vincere facili labore potuerint: is ſciat, Chilen, Auraco, & Tucapel, viginti quinque integris annis edomari non potuiſſe, etſi Hiſpani in iis perpetua bella gererent, & vires extremas ſuas impenderent. Quamprimum enim ſemel equorum ac ſclopetorum metum excuſſiſſent, & Hiſpanos lapidibus ac telis ſauciari poſſe didiciſſent, vſque adeo illicò furentes & rapidi facti ſunt, vt per ipſas quoque frameas atque haſtas ſeſe ad hoſtem intruderent. Quot annis obſecro, cũ Chichimecis, gente nuda, & arcubus ſolis pugnante, dimicatum eſt? Et hi tamen nec hodierno die ſe victos dant: quinimò indies pugnaciores & animoſiores euadunt. An non ipſi verò Chuchos, & Chiriguanac & Pilcoçones, aliique tam probè ac inſtructè armati milites ſunt, vt meliores non Sol videat? contra quos quid actum eſt? An non de vita ſua ſaltem ſeruata horum oppugnatores ſibi gratulati ſunt? An non arma equoſque profugi poſt ſe reliquerunt? Nemo itaque qui de Indis audit, eos ex ligno dolatos eſſe ſomniet: ſed eos viros acres, prudentes ac ſtrenuos eſſe, certò ſciat. Honorem demus, cui is debetur. Quod ſi enim Moteçuma in Mexico, & Ingæ in Peru coniunctis armis egreſſi eſſent, tum certè nec Cortês nec Piçarro tantillum quidem effeciſſent, licet & ipſi ſimul peritiſſimi duces fuiſſent, & militū copias multò validiores ſecum aduexiſſent. Ad regni Chriſti ergo propagationem haud parum id contulit, quod Indi ſuis regibus tam procliues obtemperarent, & graue à diabolis impoſitum iugum, tanta æquanimitate tolerarent. Hæc enim aſſuefactio, introducendi boni melioris certiſſima occaſio erat. Certiſſimum ſiquidem eſt, Indos occidentales ideò potiſſimum doctrinam Euangelicam promptius agnouiſſe, quod anteà multis tributorum ac ſeruitutum, vt & ſuperſtitioſorum cultuum oneribus ferendis aſſueti eſſent. Iugi enim Sathanici iam pridem certum faſtidium cæperant: ideò de mitioribus & placidioribus diis quærendis dudum apud ſe conſilium inierant. His ita hærentibus & nutantibus, cum ſana de Deo religio offerretur: eius leges illicò æquas, tolerabiles, ac gratioſas eſſe, facile ex collatione videre poterant. Eoſdem etiam res perſæpè arduas ac grauiſſimas facile captare ideo potuiſſe certum eſt, quod antè à diabolo de multo grauioribus inſtituti eſſent. Qui ex Euangelica quoque doctrina plura ſuffuratus, pro ſuis venditârat Indis: cuiuſmodi ſunt, cœna Dominica, Confeſſio, adoratio trium in vno, & vnius in trino, & ſimilia alia. Hæc cum anteà in mendacio ſuſcepiſſent: multo facilius eadem in veritate amplecti poterant. Sic Deus plerumque hoſtem ſuum armis propriis iugulat, & caput ei præcidit. Sic Deus Sathanam nolentem quoque compulit, vt de vero Chriſti & saluifico verbo, teſtaretur, vaticinareturq;, ex ſignis illis, quę in Peru aliiſq; locis

locis apparuerant: ſicut id ipſo magorum ore proditum ſcimus. Sed & hoc notum vniuerſis eſt, non commodè in iis locis verſari Sathanam, in quibus ſinceram Chriſti Eccleſiam collectam pernouit. Ceſſarunt hodiè omnia oracula, linguæ, viſiones ac apparitiones, aliàs apud incredulos frequentes ac ſolennes. Quorum, ſi quædam fors adhuc fiant, in ſpecubus tamen ſaltem ac iis abditis locis, ad quæ nomen Chriſti non penetrauit, agitantur. Deo excelſo ac rerum vniuerſarum domino pro immenſa ſua miſericordia ſit laus & gloria in ſeculum. Quod ſi Indis tam ſuaue à magiſtratu politico iugum imponeretur, quale ſaluatoris Chriſti doctrina præ ſe fert: non dubium eſt, quin ipſi per vniuerſum orbem populi omnium feliciſſimi ac beatiſſimi futuri ſint. At noſtramet nobis plerunque peccata obſtãt, vt vberioribus beneficiis non cumulemur.

Cæterum, cum inſtitutum noſtrum non ſit, præterquam quæ ad Indiæ hiſtoriam faciunt, deſcribere: ideo hoc loco colophonem tandem huic libro imponi tempeſtiuum eſt. Æternum autem ac miſericordem Deum ardentibus precibus oramus, vt regnum ſui nominis, quod hoc extremo mundi ſenio in his noui orbis regionibus conſtituit, largiſſimè & efficaciſſimè conſeruare, confirmare ac amplificare dignetur, quò id in ſui honoris augmẽtum, ac humani generis emolumentum vnicè cedat. Cui laus, gloria, honor, in ſecula ſeculorum, Amen.

MORALIS IND. OCCIDENTALIS HISTORIÆ
LIBRI SEPTIMI ET VLTIMI, FINIS.

RELATIO HISTORICA,

ſiue

VERA, ET GENVINA CONSIGNATIO AC DESCRIPTIO ILLIVS NAVIGATIONIS, QVAM V. NAVES, MENSE IVNIO ANNO 1598. AMSTELREDAMO SOLVENTES,

fretum Magellanicum in Moluccanas inſulas tranſmittendi inſtituto ſuſceperunt: quid nimirum ipſis vſque ad 7. Septembr. Ann. 1599. acciderit, quo tempore frementium tempeſtatum ac procellarum vi diſſipatis his nauibus, duo Capitanei Sebalt de Weert, & Balthaſar de Cordes, cum binis tantum nauibus, ſoli iuncti manſerunt: qui & ipſi tandem Menſibus quatuor integris in freto dicto infandis laboribus ac periculis infinitis iactati ſunt tamdiu, donec Capitaneus de Weert, diſpulſa ſibi ſocia naue iam ſolus vna ſaltem anchora, paucoque commeatu inſtructus, relinqueretur: qui poſt biennium illi itineri impenſum, tandem infecta re in Hollandiam An. 1600. reuerſus eſt.

OMNIA PER MR. BERNHARDVM Janſz Cirurgni, qui nauigationis huius pars fuit, congeſta ſunt & deſcripta:

Ac

ELEGANTIBVS FIGVRIS TABVLISQVE IN æs inciſis expreſſa, & edita à Theod. de Bry p. m. vidua, & binis filiis.



FRANCOFVRTI,

EXCVDEBAT MATTHAEVS BECKERVS.

M. DCII.


FRETVM MAGELLANNICVM, vnd deſſen eigentliche Beſchreibung, ſo die hollender durch ſchifft vnd auch der leng beſchrieben.
TERRÆ DEL FVOGO PARS
AMERICÆ PARS
Meridies
Orient
Occident
Septentrio
Marre del Nort.
Marre Mediterano
Fretum Magellanicum
A. die ſechs Schiff kommen in die Enge.
B. Pinguiſche Inſeln.
C. Pinguins Vogel.
D. Muſchel Bay
E. Muſchel.
F. cap Fruart.
G. Cordes Baij.
H. der Hollender kirch hoff.
I. Ritters Baij.
K. ein wilder von 12 ſchuh
L. verſchloſſen Baij.
M. Felſen baij.
N. ein wilde fraw
O. auch ein wilde fraw
P. ein wilder Man.
Q. die 2. ſchiff ſo wider vmb gewendet.
R. iſt vorzeit ein Veſtung geweſſen.

RPJ
RPJCB

VERA ET ACCVRATA DESCRIPTIO EORVM OMNIVM, QVÆ ACCIDERVNT QVINQVE NAVIBVS,

Anno 1598. Amſtelredami expeditis, & per fretum Magellanicum ad Moluccanas inſulas perrecturis: naui præcipuè Fidei, Capitaneo de VVeert addictæ, qui poſt infinitos labores & ærumnas biennio integro toleratas, tandem anno 1600. re infecta ad ſuos rediit.

ANNO à ſaluatore Chriſto nato 1598. Amſtelredami quinque naues inſtruebantur, tentaturæ, an per fretum Magellanicum in Moluccanas inſulas penetrare poſſint: vt eo pacto commercia & negotiationes faciliores ac expeditiores fierent. Ex his prætoria 250. onerum capax, Spes vocabatur. In hac 130. perſonæ inerāt. Prætoriæ vicaria Charitas, 160. onerum, & 110. hominum erat. Prætoria de nocte vocata, Fides, 160. onera, perſonas 109. ferebat. Quarta, Fidelitas, 100. onera, 86. viros vehebat. Poſtrema, Liburnica, Lætum vocata Nuncium, onera 75. viros 56. claudebat. *Nauium nomina.*

Vniuerſæ hæ naues, tormentis, armiſque tam nauticis quam bellicis, pecunia, bonis ac mercibus varij generis, peritis itidem ac prudentibus Capitaneis & Ducibus, optimè inſtructæ ac onuſtæ erant. Huic claſſi ſummus præfectus Sr. Iaques Mahu: ViceAlmiranti verò Sr. Symon de Coordes: & Fidei Capitaneus Sr. Gerrit de Beuninghen: Fidelitati Sr. Ieurian de Bockholt: & poſtremò Sr. Sebalt de VVeert præſtituebantur. *Nomina præfectorum & Capitaneorū.*

Omnibus ergo, vt ex vſu erat, conſtitutis, 27. Iunij ex littore Goeree ſoluerunt, ferente cauro progredientes. Sed poſtquam fines Angliæ iam tenerent, vento hoc mutato, in arenarum moles anchoras iacere coacti ſunt. Durauit hæc aduerſitas vſque ad 15. Iulij: quo ventum ex ortu iterum ſpirantem nacti, poſtquam commeatum & cibaria ea mora abſumpta, reſarſiſſent, curſum ſuum inſtaurarunt. His diebus notatu nihil dignum accidit. Die 10. Auguſti, poſtquam ad Capo S. Vincent, circa veſperam veniſſent, quatuor naues con-

ſpicati ſunt, quarum vna phaſelum Hiſpanicum referebat. Vnde, cum naues iſtæ Hiſpanicæ putarentur, impetus in eas concitatior fiebat. Veruntamen, cum acceſſu propiore, illæ non Hiſpanicæ ſed Anglicæ noſcerentur, inſtituta meta vtrinque procurſum eſt.

Commeatus diſpenſatio.

Circa hoc tempus, cum Almiranti indicium fieret, quod, quantum panis indies populo diſtribueretur, à ſingulis abſumi non poſſet, ſed in ciſtas & vaſa vacua contemptim abijceretur: ob id Generalis conſenſu cæterorum officiariorum conſtituit, vt deinceps parcius commeatus diſpenſaretur, & ſingulis indies panis ſelibra, menſæ verò cuilibet (quæ octo perſonas capiebat) tres menſuræ (Mutsken) vini præter alia ſueta opſonia, vt piſces carneſque, daretur. Curſu autem continuato 19. Auguſti in primo noctis quadrante vento Iapyge flante in littus Barbaricum, longè alia quam intenderant, meta impulſi ſunt. Et priuſquam terrę veſtigium viderent, iam 12. paſſuum profunditatem incurrerant. Ventis ergo à tergo impetuosè fremētibus, cum regredi in altius mare non liceret: naues profunditate 7.8.& 10. paſſuum iactis anchoris firmare compulſi ſunt. Capitaneus autem Beuninghen cum vix 5. aut 4. paſſibus ſubſediſſet, eodem ipſo illicò die (quamuis duro & inceſſabili labore, cum anchoræ funis vicino ſcopulo implicatus eſſet) è fundo nauem ſuam extricauit. Hac tamen nocte, prætoria nauis ſuis anchoris non incumbebat, vt ex qua vicina terra primò conſpecta fuiſſet. Cum verò vniuerſis videretur, incuria & negligentia gubernatorum in hoc periculum naues redactas eſſe: conuocatis nauium omnium præfectis & gubernatoribus Generalis per ſenatum bellicum mandauit, vt deinceps præfecti ſinguli ſuarum nauium ſtatum, & aquæ profunditatem bis ad minimum hebdomadatim metirentur, & eam cum mappis ſuis ſedulo conferrent.

Periculum ex imperitia & negligētia gubernatorum.

Hoc conſtituto vela verſus inſulam Capo Verde, nobis dulcem dictam dirigētes, vltimo Auguſti die S. Iago inſulam conſpicati ſunt. Cum verò in Generalis naui 60. circiter infirmi eſſent, qui ſcorbuto & morbis aliis decumberent: non conſultum ſaltem, ſed & neceſſarium videbatur, vt ad vnam harum inſularum excurſus fieret, ad res neceſſarias reparandas. Nam & carnium, & fructuum & aquæ iam haud mediocris indigentia erat. Quod autem compertum haberēt, in S. Iago portu plerumque phaſelos aliquot cibariis refertos morari: iuſſit Generalis, vt ſcaphæ vniuerſæ viris probè munirentur; & apud Capitanei de VVeert nauem congregarētur. Ductu enim Capitanei Beuninghen ſub noctem in portum, imò, ſi fieri poſſet, in ipſum littus excurſum faciēdum eſſe. Quod ſi ergo fieret, vt fuga retrocedendum eſſet: facerent, vt omnes apud Capitaneum de VVeert, cuius Liburnica in proximo terræ confinio ſtatura ſit, conuenirent. Hoc intento cum ad portum propinquaſſent, diuerſis locis ſucccenſos ignes videntes, haud temerè, cōſilium ſuum proditum eſſe, ſuſpicabantur.

Qua

Qua cauſa,& quod ſimul ventus incommodus ſurgeret, portuſque conditio nulli nota eſſet,re infecta reuertebantur.

Poſtero die, Calendis Septemb. Islæ de Mayo propius ſuccedentes, vniuerſi ibi anchoras iactarunt, præter vnum Almirantem, qui propter ſtationis incommoditatem diutius illic morari nolebat. Ex hoc loco Capitanei Beunnighen & Bockholt,cum militum parte in terram egreſſi,aquæ nihil inuenerunt. Cumque vniuerſa iſta nocte,voto inueniendorum hominum circumiuiſſent,ſub poſteri diei meridiem ad naues reuerſi, annoſum ſaltem quendam Luſitanum cum capris aliquot ſtrigoſis adduxerunt.Luſitanus hic, cum de ciuitatis S.Iago conditione rogaretur, occupari eam ideo difficilimum fore dicebat, quod plerunque 500. Luſitanis, & 15000. Æthiopibus, cum aliquot tormentis promptis cuſtodiretur. A meridie diſceſſionis ſigno dato, vniuerſi vnà verſus S. Iago tendentes ſecundum porrecta littora vela fecerunt: in quorum ſinu quodam contum,è naue in portu Praya merſa,viderunt.Hunc angulum tranſmittentes, in ipſo portu vnam grandiorem,& binas minores naues offenderunt: quarum illa Hermanni VVebbe Naucleri Hamburgenſis, in Braſiliam nauigaturi erat. Claſſis autem vbi tum ad latera tum tergum huius nauis conſediſſet: Generalis ſcapham maiorem, Capitaneus autem de VVeert minorem ſcapham ad geminas conſpectas minores naues mittunt.Sed viris vtraſque vacuas inueniunt. Altera ſiquidem phaſelo ſimilis, Æthiopes aliquot tranſuexerat, nec in ea quicquam præter duas aquæ tonnas, & milij modicum, viniquè Bottigiam vnam reperiebatur.Alterà 15.onerum, vt videbatur, Epiſcopus quidam nauigaturus in S. Thomam erat. Eius enim in hac omnis ſupellex condita fuerat, ante, quam metu aduenarum in tutiora loca,& partim in nauem Hamburgenſis efferretur. Ciſtæ pleræque inanes:paucæ veſtibus & libris refertæ erant. Sed & vini dolium, & alterum olei, & quatuor vel quinque panum ibidem reperiebantur, quæ inde abrepta ad Generalem illico comportabantur. Iuxta portum hunc in editiſſimo & præruptiſſimo loco caſtellum erat,de quo in naues aliquoties conſulminabatur. Quo animaduerſo, vt vniuerſæ ſcaphæ Hamburgenſi naui ſuccederent, & poſt eam laterent, ibique capitanei Beuningen mandata morarentur, Generalis ſuadebat. Interim nauclerus V Vebbe in prætoriæ vicariã nouem accitus, cum de ciuitatis cõditione rogaretur, quicquid ſciret, recenſebat. Ad hũc ſc. Symon de Coordes fari orſus, cauſas,cur huc appuliſſet,explicabat: quod nimirum hoſtile nihil meditarentur, ſed pro ægris, recentem aquam carneſque ac fructus quoſdam, pretio iuſto numerato ſaltem rogarent. Quæ poſtulata cum nulli vnquam iniqua videri poſſint: nauclerum iuxta orabat, vt ſuorum nautarum habitu indutus ad vice Almirantis Franſoys Veruys præfectum haud cunctanter ſe reciperet,& ipſi aduenarum inſtitutum explicaret, reſponſum-

Luſitanus vetulus ad naues fertur.

Praya aditus.

Nauis Hamb. apud Prayam.

Nauis Epiſcopalis.

ſumque ab eodem referret, ne commeatus denegati inopia grauius quid moliri cogerentur.

Nauclerus Hamburgenſ. ad Luſitanos amandatur.

Sollicitantibus Hamburgenſis gratificaturus, caſtellum adi- tum ſe accingit. Circa noctem mediam reuerſus, hoc à præfecto re- ſponſum tulit, quod amici venerint, credere ſe haudquaquam poſſe: cum id expilatione nauium minimè declararint. Sed quocunque ſe iſta modo habeant, cum ſibi incōſulto Gubernatore, qui in ciuitate Iago, hinc duobus milliaribus diſtante agat, nihil quicquam niſi ca- pitis ſupplicij periclitatione, horum agere liceat: ideò ſe ſuaſorem eſ- ſe, huius diei moram adhuc æquo animo ferrent. Pegaſo enim ſeu curſore ſeſe feſtinò hanc rem ad Gubernatorem nunciaturum iam eſſe, vt eius ante auroræ exortum reſponſum ſcirent.

Hoc præfecti reſpōſo in deliberationem vocato, intutum & in- conſultum ſenatus bellicus fore cenſuit, ſi mora protractiore Luſi- tanis commodius armādis, & tum peditibus tum equitibus ex Iago congregandis occaſio pręberetur. Nihil ergò cunctando Capitaneus Beuninghen & Teſſerarius Rombout Hooghſtoel cum ſcaphis vni- uerſis & 150. circiter viris in terram eruperunt. Cumque in ordines coëgiſſent milites, fragoſo tympanorum ac tubarum ſonitu, ac vo- lantibus binis vexillis verſus caſtellum (quod 175. paſſuum altitudi- ne elatum, ea parte, qua mare ſpectat, loricis validis, quatuor pedes latis, ac ex grandibus lapidibus conſtructis, munitum, ac aditu an- guſtiſſimo, vix binos iunctum viros ingredientes admittente, ob- ſeptum erat: cuius inſuper præcipitium tam decliue ac arduum viſe- batur, vt ex eo ſex viri, ſolo lapidum coniectu 1000. aſcenſuros ſuſti- nere poſſent) ſeſe proferunt. Capitaneus, nulla difficultate permo- tus, cum ſuis ad ſacellum quoddam feſtinat: in quo ſi decem vel duo- decim ſaltē milites repugnaſſent, aditum omnē ſine ſuo damno vllo intercludere potuiſſent. Hoc exſuperato, aſcenſum intrepidi conti- nuant, & in ſublime directis ſclopetis effulminantes, Luſitanos ho- ſtiliter tentant. Hi iam ergò præſente ſpectato periculo territi, cum decies in noſtros (quorum bini læſi ſunt) effulminaſſent, è caſtello, ex quo prius omnia abegerant & extulerant, furtim ſe proripiunt. Noſtri ergò iam nemine contrapugnante, id ingreſſi ſunt. Vbi per- noctantes, diligentes excubias egerunt. Poſtero diluculo, cum Luſi- tani magno tum peditum tum equitū numero quoquouerſum è montanis erumperent: Beunhingen à Generali petiit, vt in auxilium plures milites, & certam pulueris pyrij quātitatem ſibi mitteret. Vſu ergò iſta poſcente, Capitaneus de VVeert cum 60. viris miſſus eſt. In- terim Capitaneus Beuninghen tria ferrea tormenta, in campo illo, per quem Luſitani profugerant, reperta, in portas & viarum nonnul- larum aditus locauit, cæteroſq; acceſſus, ſcamnis, ſellis, & ciſtis, con- tra equorum irruptum, quaſi vallauit & obſepſit. Hoc extēporaneo inuento ſeſe vtcunque munitos faciebant: etſi longius illic morari nul-

Caſtelli Praye deſcriptio.

nullum propoſitum haberent. Malebant enim, quod opus erat, cum pace impetrare, quam vi, quæ neceſſitatibus maioribus præſeruanda videbatur. Occaſionibus ergò quibuſcunque ad colloquium mutuum captatis: tandem in valle iſta, quæ iuxta propugnaculum erat, Iuez, id eſt, iudex loci ſuper equo, vexillum paciferum prætentans prodiit.

Ad hunc dicti Capitanei decliuius ſe conferentes, quid primum aduentantes poſtulaſſent, longius ipſi enarrant. Quos excipiens iudex, magnam hanc eſſe iniuriam quiritatur, quod ſe amicos profitentes, quæ amicorum erant, non præſtarent. Cui ipſi contra reſpondent: Neceſſitatis legem excuſari non debere. Et cum iam à patria ſua abſint longius, grauiq; rerum inopia premantur: ſibi omninò neceſſarium fuiſſe, vt quo ad vitæ ſuſtentationem indifferenter egerent, id aut pretio aut vi exigerent. Sed hic diſputationis locum non eſſe. Breui igitur ſecũ deliberarent, an, quæ extremè deſiderarent, ſibi ipſi conceſſuri ſint. Nam ſi id facerent minus: conſilium è tempore capiundum fore. Quibus iudex reſpondit, citra Gubernatoris conſenſum indultumque ſibi nihil quicquam præſtare integrum eſſe. Ad illum ergò in S. Iago ſe feſtinanter perrecturum, vt voluntatem ipſius cognoſcat. *Hollandi cum Prayæ iudice loquuntur.*

Vice Almirans vbi acta cognouit, conſultum fore ratus eſt, vt ad gubernatorem ipſum litteræ mitterentur. Puerum itaque ſuum, Luſitanicæ linguę peritum, feſtinò miſit, qui eodem illico die gubernatoris reſponſum attulit. Literis autem illis Gubernatori exponebant, quomodo commeatus & aquæ inopia nimioperè premerentur. Coactos ſe ergo fuiſſe dicebant, vt ad iſta neceſſaria paranda, quæcunque obuia eſſent media, vſurparent. Suum vero animum nunquam fuiſſe, binas in portu nauiculas inuentas prædari, multo minus eaſdem ſpoliare. Quæ autem ex ipſis vacuis extuliſſent, ſecuritatis ſuæ cauſa feciſſe. Eodem etiam animo ipſum caſtellum occupaſſe, non vt illud ſibi ſeruarent, ſed ex eo ſaltem neceſſaria acquirerent. Se ergo impendio de maturando ad hæc reſponſo inſtare. Sed & hoc ſe ſimul polliceri, quod, quæcunque per ſuos in caſtello alienata ſint, primo quouis tempore reſtitui, curaturi ſint: hoc vnum rogantes, vt rebus iis, quibus oppido egerent, maturrime inſtruerentur. Quod ni fieret, certo ſibi conſtitutum eſſe, Gubernatorem ipſum in Iago inuiſere.

Amandato puero circa meridiem ipſemet Generalis cum Capitaneo Bockholdt, ad ſpectandum caſtellum aſcendit. Quo facto, cum vniuerſis Capitaneis ad vallem vicinam, Coquis ſeu nucibus Indicis confertiſſimam profectus eſt. Ibi Luſitanis vſq; adeo familiares facti ſunt, vt illi ſub noctem pomerantia, Limones, punica & fructus ſimiles in portum ſe aduecturos eſſe, promitterent. Sed promiſſum haud præſtiterunt. Inter cæteros Fydalgo quidã ſimulabat, *Dolus & perfidia Luſitanorum.*

quaſi

quaſi Hollandis nimioperè faueret. Is vnà etiam cum Beuninghen, qui prægreſſæ noctis laboribus admodum fatigatus erat, ad naues vſque pergebat. Ibi lautius habitus, clam ſe curaturum dicebat, vt refocillamenta, quæcunque optarent, acciperent, modo ad eum locum, vbi habitaret, hinc duorum milliarium interuallo diſtantem, ſcaphas duas ternaſue mitterent. Nam ad hoc accurandum occaſionem ſibi certiſſimam eſſe. Poſtero die, cum ſcaphæ eo excurriſſent, pro homine mendacium inuenerunt.

Circa veſperam Generalis, cum viceAlmirante & capitaneo Bockhold ad naues recõuerſus, Capitaneum de VVeert cum 300. militibus in caſtello reliquit. Sequente die, qui 4. Septemb. erat, paſſim in omnibus montanis plurima ſe turba ſpectandam dedit. Itaque quod puer emiſſus cum reſponſo nondum rediiſſet, ſua in ſtatione Hollandi omnes manebant. Circa meridiem puer cum literis rediit: quibus Gubernator de præſtitæ amicitiæ genere raro valdè amarulenter querebatur, dicens quod ſi amicè egiſſent, multò minore labore, quibus egerent, impetraturi fuiſſent. Se verò, quod Chriſtiani ſint, credere haud poſſe: quorum ſocij templa tam ſacrilegè ſpoliaſſent. Quod ſi tamen omnino id ita vellent, in ipſorum ſe crediturum eſſe gratiam, quod effreni petulãtia militum iſta omnia patrata ſint: cuius argumentum ex eo quoq; liqueat, quod vaſa argentea omnia licet confracta, reddita ſint. Cæterum ſe nihilominus ipſis omnem ſuam fidem & officia ſpondere. Curent ergò vt cum in iſto, quo degerent loco, nihil in parato ſit, primo quouis tempore vſq; ad ipſam S. Iago ciuitatem pertenderent: & cætera ex ſuis præſentibus intelligerent. His Gubernatoris literis lectis, viſum eſt Capitaneis, vt è veſtigio de ſuis aliquis cum literis ad Gubernatorẽ remitteretur, quib. ipſi indicaretur, minimè opportunum eſſe, vt deſerto caſtello vniuerſam claſſem in S. Iago agerent. Velle ſe tamen aquam inde Liburnicis aduehere, & quod ſoluendum reſtaret, integrè dependere. Quæ vt ratiora & confirmatiora eſſent, obſides dare ſe nil perplexari, tantiſper, dum cum ipſis nauibus, aut ipſa quæ extuliſſent, aut horum iuſtum pretium reſtituerentur. Denuò ſe ergò inſtanter rogare, vt rotundum ad hæc omnia reſponſum det. Sin minus, cum vltrò citroque miſſitandis internunciis, temporis opportunitatem manu mittere non poſſint, coactum ſe iri, vt ad media diuertant, iſtiuſmodi, quibus ſe pro voto adiuuari poſſe arbitrentur. Hæc vt decreta, ita ſcripta & miſſa ſunt. Circa hoc tempus Capitaneus de VVeert ex alui profluuio infirmus ad naues rediit: cuius loco Capitaneus Bockholdt ſubſtitutus ſucceſſit.

Hollandi à Gubernatore literas accipiunt.

Hollandi Gubernatori reſpondent.

A meridie Generalis in terram egreſſus eſt. Circa veſperam à Gubernatore Luſitani aliquot appulerunt: inter quos & ſacrificus numerabatur. Hos vniuerſos, quod iam ſerum eſſet, Generalis inuitauit, vt ad naues ſecum vnà pergerent, has ſpectatum ſimul, & quæ

neceſſaria eſſent, tractatum. Luſitani, cum viderent, Hollandos ſumma æquitate & pace omnia tranſigi optare, non tergiuerſati ſunt apud eoſdem diuertere. Ergo in Generalis nauem recepti, lauteque ac magnificè ibidem tractati, noctem eam amotis ſeriis, Genio impenderunt. Poſtero die, qui 5. Septemb. erat, conditionibus vtrinq; æquis propoſitis, facile conciliati ſunt. Iurabant enim Luſitani, præſtituros ſe vniuerſa quæ ab Hollādis rogata eſſent: eo tamen modo, ac pacto, ſi cū nauib. ſuis ad ipſam S. Iago pergerent. Extra hoc enim, pactum ratum eſſe minimè poſſe. Cui & ipſe Generalis tandem aſtipulatus eſt, ea propoſita conditione, vt pro Liburnicarum reſtitutione Luſitani aliquot obſides mitterent. *Luſitani ab Hollandis in naues recipiuntur.*

Hoc modo rebus compoſitis, Luſitani è nauibus in terram rurſus egreſſi ſunt. Mandato verò Generalis, milites deſerto caſtello ad naues redierunt, & dum Luſitanos prætergrederentur, vexillis quatuor volantibus tam cōcinno ordine & habitu inceſſerunt, vt Luſitani non ipſorum ſaltem agilitatem, ſed & prudentiam ſingularem admirarentur, nec cuiates eſſent, ſatis ratum haberent, cum varias inter ipſos linguas ſonare audirent.

A meridie 6. Septembr. anchoræ emotæ ſunt, hoc fine, vt eodem die in S. Iago portum incurrerent. Sed certo Hollandorum cōmodo is obtineri non poterat. Conſtituerant enim Luſitani, quas naues amice allectaſſent, inſidiosè & hoſtiliter excipere: quē in finem etiam iam omnia ſua tormenta in littus extulerant. Bona tamen, vt diximus Hollandorū fortuna ventus à portu naues abſtinuerat: qui tanta aduerſitate ſpirabat, vt ipſum non ſaltem non tenere, ſed ne iūctim quidem procurrere poſſent. Capitaneus ſiquidem Beuninghen & de VVeert, qui iuncti manebant, ſub auroram ſe ſolos videntes, in proximo duas naues proſpectarunt, iuxta Maijo ſtātes. Ad quas cum ſpeculatores emitterent, cognouerunt ipſas illas eſſe, quas prius ad Prayam occupaſſent. Vnam enim cum claſſe metam tenere non poterat, quod nec remos nec gubernacula idonea & ſolida haberēt. Ceteri, nimirū Generalis, vice Almirās, & Capitaneus Bockhold, omnibus velis id annitebātur ſedulo, vt ea adhuc veſpera portū ingrederētur. Quē tamen cū obtineri minimè poſſe viderēt, ſcaphā cū 12. viris & puero literas ferēte ad Gubernatorē mittētes, ſignificarūt ei, quod nullo vſpiā niſu portu potiri poſſent, ſed quod ſumma neceſſitate cōpulſi in Prayam redire cogerētur. Faceret ergò primo quouis tēpore, vt cōtractus ibi cōditiones præſtarētur. Emiſſitij dicti cū in littus exiiſſent, id vniuerſum tū armatis viris, tū poſitis tormētis occupatum viderūt. Puero autē ſolo ad Gubernatorē deducto, cæteri in domum quandā recepti ſunt. Cognita re, ſuſpicabatur Gubernator, ꝙ ex cōpacto Hollandi duas naues in rapidū & tumultuoſum mare eduxiſsēt. Manè ergò emiſſitios iterū dimittēs, interminabatur ſerio ne poſt vnq̄ hac redirēt. Nam ꝓ ipſis ſe præter puluerē & glandes nihil paratū habere. *Intempeſtas oborta, Hollādis commodat.* *Luſitanorum reſponſio infiſiatoria.*

habere. Generalis itaq; hoc nuncio accepto, recto curſu cum tribus comitibus nauibus illicò in portum Prayæ reflexit, & ibi quatuor reliquas altius in mari peruagantes, moratus eſt.

Intereà, ne tempus fruſtrà periret, Sr. ſymon de Coordes, cum viris aliquot ac doliis trium ſociarum nauium, aquam hauſtum in terram egrediebatur. Et cum ad caſtellum paulatim aſcenderet, Luſitani, qui iam redierant, ex eo rurſus profugiebant. Itaque cuſtodiis vbique diſpoſitis, Teſſerarium Hooghſtoel caſtelli tutorem & inſpectorem relinquens, deſcendit iterum, vt aquam, cuius ſumma neceſſitas eſſet, inuaſari curaret.

Holläđi aquis ſe inſtruunt.

His agitatis, duo treſue Luſitani equites pecora aliquot propius adducentes, Hollandos hoc pacto ex caſtello prolicere conabantur, vt eoſdem poſteà ex inſidiis obtruncarent. Sed viceAlmirans dolo percognito, ſuos in ordine cogebat, ita vt in inuaſanda aqua ſtrenuè pergeretur. Cæterum hoſtis, dolum proditum videns, cum 200. equitibus, quorum ſinguli ſclopetis inſtructi erant, prorumpens, rectà verſus caſtellum, qua id acceſſum erat, per montana contendit. Et cum iam in apertam caſtelli planitiem ſe intuliſſet, teſſerarius ei haud intrepidus ex caſtello fortiter obluctatus eſt. Quod intelligens viceAlmirans, nonnullis apud ſcaphas & dolia relictis, ipſemet feſtinò in caſtellum ſe ingerens, hoſtem animosè adortus eſt, ac eundem breui in fugam vertit. Sic ergò porrò nullo obſtante dolia ſua complere aqua Hollandi poterant. Conflictus autem impetum videns Generalis, expeditè cum vexillo ſuo in terram aliquammultos milites exponi iuſſit. Et tamen iuxta, cum vereretur, vt cæteras naues in mari paſſim peruagantes, nec portu potiri valentes, ex conſpectu amitteret: & diutius ibi morandi nullam voluntatem haberet, cum propter aëris inſalubritatem ægri indies infirmiores fierent, & ipſemet quoque febri correptus eſſet: ideò his cauſis omnibus motus viceAlmiranti mandauit, vt cum vniuerſo populo ad naues rediret.

Hollandorum & Luſitanorũ conflictus.

Quod is haud cunctanter expeditum dabat, prius tamen ſubiectis flammis caſtello ac pleriſque ædibus ſuccenſis & exuſtis. Hinc ergò, cæteras vagantes naues conſecutum 9. Septemb. ſoluentes circa veſperam Generalis ſcapham in ſinum vicinum, vbi armenta aliquot conſpiciebantur, amandarunt: vnde taurum vnum ſaltem, cum longius in terram penetrare inconſultum videretur, abſtulerũt. Intereà Capitaneus Beuninghen, harum rerum omnium neſcius ſcapham ſuam in littus emittens, illud tum viris tum diſpoſitis tormentis vndiquaq; eſſe occupatum cognouit. Qua cauſa inde ſe properè rurſus amouit. Die Septembr. 10. Generalis parcendi temporis gratia ſtatuit, vt S. Iago Inſula deſerta, vela in Inſulam Brauam, id eſt, vaſtam ac deſertam fierent, vt quantum aquæ deeſſet, ibi inuaſaretur.

Caſtellũ igni exuritur.

Hollandi S. Iago deſerunt.

A meri-

A meridie diei 11. Inſulæ dictæ propius appulerunt. Cæterum quod ad figendas anchoras commodus fundus non eſſet, ſiquidem ſcopulis ſaxiſque omnia inuia erant: obliquis velis ſecundum Inſulæ longitudinem pronauigantes, ſub noctem aquam puteanam inuenerunt. Quæ etſi quidem non niſi magno & ærumnoſo labore auferri poſſet: nihilominus tamen ſcaphæ Capitanei Beuninghen & Bockhold cum doliis in terrā emiſſæ ſunt. Quæ poſteà ſub noctem, magno labore ad naues redierunt.

Hoc die Ian Eldrix chirurgus in prætoria naui obiit, & in dicta Inſula ſepultus eſt. Intereà Capitaneus de VVeert cū prætoriæ ſcapha ſinum quendam incurrens, poſtquam ingreſſus terrā omnia attentè diſpexiſſet, Æthiopes tandem & Luſitanos aliquot offendit. Quos de longinquo compellans, rogabat, vt commodum ſibi locum aliquem oſtenderent, in quo aquā haurire poſſet: & ſi quid vel fructuum vel carnis haberent, æquo pretio ſibi diuenderent. Cui illi reſponderunt: Anglos quidem & Gallos ibi aqua ſe plerunque inſtruere, ſed naues tamen ſemper in mari relinquere. Cæterum quod fructus & carnes attineret, illorum ſe quidem nullam copiam habere, nec quicquam etiam inconſulto ſuo Capitoſo, qui in edito monte habitet, diuendere poſſe. In Inſula tamen Del Fuogo copiam eorum paratiſſimam adipiſci licere. His digreſſis, Capitaneus omnes terræ angulos perquirens, tandem quatuor vel quinque ruinoſas caſas inuenit, quarum vnius aditus congeſtis grandibus lapidibus obſeptus & obſtructus erat.

Hunc reſerari iubens Capitaneus, caſam frumento turcico cōfertā inuenit. Ibi ergò cum tribus ſociis manere cōſtituens, ſcapham ad Generalem remiſit, & ei, quid inuentū eſſet, impertiuit. Veſpera autem appellente, cum metueret, ne Luſitani frumenti auferendi cauſa fors redirent: commodum accidit, vt eodem momento vna ex nauibus Epiſcopi in ſinum incurreret, in quam ob id Capitaneus frumētum inferri iubebat. Hoc labore vniuerſa nox inſumebatur, cum ſaccos, quibus frumentum portarent, nullos in promptu haberent, ſed caligis follicantibus ad hoc vti cogerentur. *Hollandi caſam frumento turcico plenam inueniūt.*

Eodem in loco teſtudines grandes quoq; binas inuenerūt, quarum quælibet vltra 600. oua fouebat. His ad naues allatis, gaudio omnes perfuſi ſunt. Luſitani ac Æthiopes, cum ſub noctem frumentum ex caſa efferri viderent, ingenti clamore per decliue montis proruerunt. Quos tamen Capitaneus, qui duos ſaltem ſclopos ſecū habebat forti à ſe animo propulſabat. Et cum frumentum iam vniuerſum ferè naui intuliſſet, cum ea ad alterā ſcaphā, quæ à terra non procul aberat, perrexit, vt ibi diei ortum expectaret, & contra quoſcunque impetus ſe fortius inſtrueret ac muniret. Exorto ergò die Luſitani cum Capitaneo, propius ad terram progreſſo, ſermocinatum deſcendunt, grauiſſimè querentes, quod ne verbo vno *Grandes teſtudines.*

admonitis ſibi frumentum ademiſſet: quo orbati, cum victualia reliqua nulla habeant, iam fame mori cogantur. His Capitaneus reſpondit, longè ſibi certius, quam prætenderent, cōſtare: nec neſcium eſſe, quod idem frumentum ibidem enatum ſit: quod hoc fine in illam caſam congeſſerint, vt in S. Iago inferrent. Nec enim credibile eſſe, cum in montibus degant, facturos, vt vniuerſum ſuum cōmeatum in littore recondant. Sciant tamē nihilominus, per vim ſe non ſtatuiſſe ipſos frumēto ſuo ſpoliare, ſed pretio multo æquiore, quam Inſulani facturi ſint, id æſtimantibus ſoluturum eſſe, modo aquæ hauriendæ commodum locum monſtrare non detrectent. Id enim æquum eſſe: & apud Gubernatorem excuſari commodè poſſe, ſi vi ſibi ſurreptum frumentum, ſeq; ad aquæ locum monſtrandū compulſos eſſe prætenderent. Luſitani conditione probata, aquarum locum commodum monſtrare promiſerunt, ſi naues in alteram partem Inſulę agerent, ad illum locum, vbi ſuccenſo igne ſignum accepturi eſſent. His tranſactis diſceſſum eſt.

Generalis poteſtatem & officium ſuum viceAlmiranti imponit.

Poſthæc Capitaneus ad prætoriam nauem reuerſus, Generalis lāguorem valdè auctū cognoſcit. Is enim iam vniuerſos Capitaneos ad ſe acciuerat, vt cum ipſis de neceſſariis conferret, dicens, diutius ibi obhæreſcere ſibi neutiquam commodum eſſe, & ſimul viceAlmiranti omne ſuum munus demandans, rogansque, ne porrò rebus alienis moleſtaretur, ſed viceAlmirans tum vexillis tum ignibus noctu præfectus eſſet.

Nouus viceAlmirantis ordo.

Itaq; viceAlmirans, cum, quantum aquæ cuilibet naui adhuc deficeret, à cæteris Capitaneis edoctus eſſet, conſtituit, vt qui apparatum maiorem haberent, cęteris indigentioribus aliquid impertirēt, diurnamq; portionem minuerent, & quam primum pluuiæ fierēt, aquam colligerent, & quam parciſſimè poſſent, viuerent, vt in continuando itinere minus impedirentur. Tribus enim vel quatuor menſibus citius impetrandæ vllibi aquæ ſpem nullam effulgere. Porrò autem ſi opus futurum ſit, Capitaneorum quiuis tres quatuor ve ægros ex prætoria ad ſuas naues transferrent, & pro his totidem ſanos remitterent. Poſt hæc etiam vini parcior diſpenſatio fieret, adeo, vt tertia parte minus quilibet acciperet. Hoc ordine omnibus conſtitutis, curſum redintegrantes vento cauro intra Aquiloeurū die 15. Septemb. perrexerunt.

Die 22. in naui prætoria tormento exploſo, & ex puppi vexillo ſuffixo, Capitaneis accedendi ſignum datum eſt. Venientes illi Generalem vſque adeò infirmum inueniebant, vt vitæ longioris nulla ſpes ſupereſſet. Idem ſtatus curatoris quoq; eiuſdem nauis Danielis Reſteau erat: qui & ipſe cum Generali ardentiſſima febri vrebatur. Sub mediam noctem intra 23. & 24. Septembr. Generalis præſentib. viceAlmirante & capitaneo Beuninghen expirauit: quem paulo poſt circa horā tertiā Daniel Reſteau quoq; eodē exitu ſecutus eſt. Quorū duorum

Generalis obit.

duorum intempeſtiuus obitus certè vniuerſos haud modicè afflixit. Nam Generalem propter inſignem prudentiam, & multifariam peritiam, ſummamque humanitatem, qua promiſcuè omnes proſequebatur, vniuerſi certatim impendio amauerant & venerati erant.

Sub diei 25. Septembr. exortum, cum vexillum luctui deſtinatum in prætoria erectum eſſet, naues ad eam vniuerſæ congregatæ ſunt, vt defuncto Generali nouiſſimum honorem præſtarent. Cadauer itaque feretro lapidibus, vt citius mergeretur, oppleto, impoſitum, & linteo inuolutum, àque Capitaneis ex puppi ad proram vſque portatum, tandem à nautis in rubrum ſabulum demittebatur: quo tempore etiam obtectorum tympanorum & tubarum lugubris ſtrepitus, bombardarumque fragoſus fremitus paſſim perſonabat. Simili proceſſu Daniel Reſteau quoque in mare promittebatur. *Generalis ſepelitur.*

His curatis, cum inconſultũ videretur, claſſem, quæ Generali iam in omnibus parere didicerat, comprimis verò prætoriam, quæ frequentibus ægris plena erat, diutius capite & moderatore ſuo deſtitui: ſenatu bellico coacto, decretum eſt, vt literæ, quæ à patronis nauium obſignatæ datæ eſſent, proferrentur, & reſignatæ, publicè audientibus omnibus recitarentur. Ex his intelligebatur, patronos nauium ita conſtituiſſe, vt ſi fors præfectus generalis Sr. Iacomo Mahu in itinere obiret, ipſius loco ViceAlmirans Sr. Symon de Coordes ſubſtitueretur ac præficeretur. Quibus cum gaudio ab omnibus perceptis, Coordes citra moram dominus ac ſummus præfectus ſalutatus eſt. *Noui Generalis electio.*

Hic ergò cum iuramentum obedientiæ & fidelitatis à Capitaneis, nautis ac militibus pro more ſumpſiſſet, literæ modo dictæ de noui Generalis electione vniuerſis denuò recitatæ ſunt: quibus auditis mœror vniuerſalis quadamtenus leniebatur, hoc inſuper accedente, quod eodem fine Capitaneus Beuninghen grauem & elegantem orationem ad populum ederet. Porrò, vt temporis ratio aliqua haberetur, Generalis nauem ſuam, quam iam deſerendam videbat, nouo capite inſtructurus, ſenatum bellicum conuocauit, & communi habito conſilio curauit, vt pro ViceAlmirante Gerrit de Beuninghen: pro hoc rurſus Capitaneus de VVeert: & item pro iſto Sr. Dirrick Gerritsz China Enckhuſanus ſufficeretur & conſtitueretur. Singuli autem hoc veſpere ad ſuas naues redeuntes, manè reconuenerunt: vt de curſus ac itineris modo exactius decerneretur. Iam enim vix 26. paſſuum profunditatem habebant. De his ergo ſequente die conſtituebatur, & in inuentarium, quæ & quanta bona Generalis defunctus reliquiſſet, referebatur, nauibus nihilominus curſum ſuum ſeruantibus. Ab eo tempore ſcorbutus inter populum, præcipuè autem in prætoria naue, ita inualuit, vt vniuerſæ naues ægris refertæ eſſent. Die 27. Pieter Iansz, prætoriæ nauis gubernator diē obiit. *Capitaneorũ noua conſtitutio.* *Morbi inter nautas acerbantur.*

Die 28. Generalis, qui tum temporis in priore ſua naui adhuc agebat, ſigno dato Capitaneos ad ſe accerſiuit. A quo ad omnes naues pergens, generale iuramentum ſibi præſtari iuſſit. Sed & Capitanei omnes à ſuis ſibi recens addictis nautis ac ſubditis peculiare iuramentum poſcebant. Generalis autem 29. Septembris, nauem veterem deſerens, à prætoriæ nautis cum gratulatione exceptus eſt.

His dicto modo curatis, continuandi itineris gratia curſum ſuũ prorſum direxerunt, vſq; dum à 4. Octobr. ad 6. paulò exquiſitius intra auſtrum & occaſum, & poſt iterum intra ortum & meridiem pertenderent. Circa hoc tempus ex naue Fidelitate ſigno dato, Capitanei conuocabantur, quod Bockholt admodum infirmus eſſet. Quod verò ventus admodum importunus flaret, ſolus ViceAlmirans ad eum viſitandum perrexit.

Die 27. Octobr. Generalis ad Capitaneos vniuerſos enunciauit, vt in omnibus promiſcuè nauibus tum preces tum ieiunia fierent, & Deus oraretur, vt in tot anguſtiis, non ſolum ab aquæ inopia, ſed & ægrorum multitudine poſitis, ipſis fidelem opem & auxilium cælitus afferat. Hoc tempore auſtri altitudinem 1½. graduum tenebant.

Scorbutus inualeſcit.

Die 2. Nouemb. cũ ſcorbuti vis tam latè ſerpſiſſet, ac inualuiſſet, vt in prætoria naui vix iam tot ſani ſupereſſent, quib. regi nauis poſſet: Capitaneus etiam de VVeert 70. ægros ſecum haberet, iis non numeratis, qui contagione quidem inuaſi, ſed nondum tamen penitus deiecti eſſent: ſicut & in cæteris nauibus vltra 30. aut 40. morboſi numerarentur: Generalis ob hæc cõpulſus, Capitaneis nautiſque ac gubernatoribus vniuerſis ad ſe concitis difficultates illas expoſuit, dicens, ſibi impoſſibile videri, vt diutius in mari citra maximæ populi partis diſpendium & internetionẽ verſarentur. Collatis ergo ſententiis vniuerſi decreuerunt, vt alicubi terram quærerent, in qua ægri curari ac refici poſſent: quem in vſum Inſulam Anno Bueno ſiue Nobon, vt quæ largiſſimam copiam carnium, auranciorum ac cæterorum fructuum haberet, omnium commodiſſimam putabant. Intra Aquiloeurum ergo curſum ſuum ad nominatam inſulam recta continuarunt.

Circa noctis medium ferè, Almirans, qui prior cæteris nauigabat, diſploſo tormẽto ſignum dedit. Nã præter omnẽ opinionem & ſupputationẽ gubernatorũ, propinquã terrã videbat, quam nonnulli adhuc centenis, alij ducentenis, quidam centenis vicenis milliaribus abeſſe crediderant. Cæteri ergo in nauibus qui erant, ſigno accepto, cum & ipſi terram propinquam conſpicarentur, in littore Manicongo anchoras miſerunt, ſub altitudine lineæ auſtralis graduum ferè trium: & binorum milliariũ interuallo à terra ſtationem agentes, 8. paſſuum profunditatem habuerunt,

Hoc

Hoc loco nauem Epiſcopi cum 11. perſonis deſiderarunt, quam ab eo tempore non viderunt iterum. Et licet nonnulli affirment, quod eam ferente vento declinantem conſpexerint, ac ob id eam voluntariam diſceſſionem feciſſe ſuſpicentur: poſteris tamen temporibus diuerſum omnino compertum eſt, eam nimirum poſt diuturnas iactationes ad Capo de Lopo Gonſales appuliſſe, vnde paulò antè Hollandi ſoluiſſent. Hîc ergo illos naue relicta, cum Monſr. Mucherone in Indiam Occidentalem pronauigaſſe. *Nauis Epiſcopalis deſideratur.*

Manè diei 4. Nouembr. cum Capitanei in prætoria naui conueniſſent: Generalis ViceAlmirantem cum ſcapha vna, & Liburnica, in terram emiſit, vt quæ loci ratio eſſet, & vtrum portus aliquis, in quo naues commodè verſari poſſent, conſpicaretur. Qui tamen propius ad terram impellens, tantam fundi eminentiam attigit, vt magno perrumpere labore vix poſſet. Nec tamen in terra quicquam præter arbores quaſdam offendit, licet ſecundum littoris porrectum tam diu procurreret, vt etiam propter noctis interlapſas tenebras ibidem morari cogeretur.

Poſtero die hoc ad naues reuerſo, deliberatione habita Generalis mandauit, vt vela ad Capo de Lopo Gonſales verterentur. Nam, quo morabantur loco, fundus admodum incommodus erat, adeò, vt anchoræ ſuſtinendis nauibus haudquaquam ſufficerent, cum ſimul & venti impetuoſi, ac maris vndæ æſtuoſæ furerent. Præter hoc & anchorarum funes admodum obtriti erant: & nauis inſuper Fidei anchora vncum vnum perdiderat.

A ſexto die vſque ad nonum in littus Guineæ peruenerunt, vbi Æthiopes aliquammultos ad colloquium, datis mercibus vilioribus illexerunt. Qui cum populi tantum numerum viderent, pauidi ſe ne ſpoliarētur, in pedes coniecerunt. Nihilominus tamen Generalis, cum locum commodum diſpexiſſet, mandauit, vt ægri in terram efferrētur, & cuſtodia Capitaneo Bockholt cum tot militibus, quotis opus eſſe videbatur, incumberet. Cæteri Capitanei noctu in nauibus delituerunt. *Hollandi AEthiopes alloquuntur.* *AEgri in terrã exportantur.*

Poſtero 10. die, cum videret Generalis, illic nihil quicquam nec fructuum nec carnis adipiſci licere: conſultum putauit, vt ad loci Regulum aliqui mitterentur, qui tentarent, an ab illo quid commeatus pretio dato impetrare poſſent. Huic ergo prouinciæ obeundæ Capitaneum Beuninghen deſignauit, qui cum ſua ſcapha, & itidē cum ſcapha Capitanei de VVeert, quam eius curator Ian Kloeck teneret, mercibus aliquot impoſitis egrederetur. Hi tamen 12. die dicti menſis reuerſi, præter gallinam vnam, & paucos Plantanos ſiue Bonannos, nihil attulerunt: adeò, vt cogerentur cibum ex obuiis herbis, in campo enatis, vt ſunt Perecil de la Mer, naſturtium, & aurantia ſylueſtria inſipida ſimul ac inodora, parare. Hæ enim illic, licet copia minore, parabiles erant. Piſcium tamen tantam multi- *Hollãdi cibum captatũ emittuntur.*

multitudinem cæperunt, vt vniuerſos abſumere non poſſent.

ViceAlmirans morbo corripitur.

Die 20. ViceAlmirans febri ardenti correptus, tam grauiter decubuit, vt de vita eius omnes deſperarent. Paulò poſt tamen reualeſcens ſeſe refecit. Die 23. in portum celox quædam de Barent Ericksz appulit, in qua Gallicus pilota ſiue nauta aduectus eſt, qui inter Æthiopes diutius verſatus, regi familiariter notus erat. Is habito cum noſtris colloquio, apud regem ſe curaturum ſpopondit, vt quicquid vellent, impetrarent.

Capitaneus de VVert ad AEthiopũ regem mittitur.

Generalis ergo vna cum hoc Capitaneum de VVert & binas ſcaphas amandauit. Cum ad littus veniſſent, Gallus Regi Hollandorum aduentum nunciatum abiit, vt is more ſuo ſe ornatum & ſplendidum ipſis exhiberet. Vocatus itaque cum ſuis ad regem Capitaneus, regem in humili, & vix pedem alta ſella reperit. Pedes is ſubiectæ pelli agninæ impoſuerat, & veſtem ex panno violaceo paratam,

Ornatus regis AEthiopum.

ac tæniis ex auro ſpurio ſuperinſtratam induerat: quam, qui conſpexerant, pro remige quodam paratam eam putaſſent. Cæterum nec induſio, nec tibialibus, nec calceis cinctus, ſupra caput pileolũ ex flauo, rubeo & cyaneo panno intertextum geſtabat. Idem faciem dealbârat cinere, ita tamen, vt nigror cutis obiter tranſluceret. Collum corollis precariis, margaritis ex vitro factis innexis cinctum erat. Poſt regem rotundo orbe omnes eius nobiles conſederant, qui capita ſua pennis gallinaceis ornârant, & atram cutem pigmentis rubris tinxerant. Iuxta regem ſcabellum poſitum erat, ſtorea ex iuncis texta inſtratum, in quo Capitaneus (qui hac pompa & maieſtate ſpectanda occupatus, vix à riſu ſe continere poterat) conſideret.

Capitaneus cum AEthiopum rege ſermocinatur.

Hic ergo cum Regem iſtum more Æthiopico ſalutaſſet, iuxta eum conſedit, eique ſui aduentus cauſam expoſuit: querens, quod loci habitatores nulla data cauſa profugiſſent, ad quos tamen amicè tractatũ veniſſent. Cæterum cum eorum naues omnes ægrotantibus oppletæ ſint, impendiò ſe rogare, & pro mercibus, quas ſecum attuliſſent, fructus, gallinas, oues & hœdos à Rege impetrent. Rex Hollandi petitione audita, eos humaniter primò ſaluere iuſſit. Poſt, quibus opus haberent, æqua ratione omnia detulit. Capitaneum ipſum quoque ſecum in domum regiam (quam deſcribere hoc loco ſtultitia ſit: cum apud nos ſtabula boum commodius & elegantius condita ſint) abduxit. Quo cum peruentum eſt, Rex permutatione facta, pro lini lacinia, & ferri portione Capitaneum Cabrito ſiue hœdulo, & paucis plantanis remunerauit.

Capitaneus cũ Rege prandet.

Intereà dum epulæ adornarentur, tubicines ſuos & muſicos alios Capitaneus cantare iuſſit. Ex quo concentu voluptatis longè plus Rex hauſit, quã Capitaneus, cui animus iam dudum in patinis erat. Poſt longam tandem moram à quadam fœmina regia in patina lignea Plantani aliquot toſti, cum fumo duratis aliquot piſcibus promebantur. De quibus ferculis etſi rex parcè guſtaret quidem, Capitaneo tamen longè auidius & vberius ingerebat. Poſtea vinum etiam

iam de palma propinatum eſt, potus certè non aſſuetis admodum ingratus. Cum aliquandiu ſeſſum eſſet, remotis primis patinis, ſecundarium nihil appoſitum eſt. Quam parſimoniam Capitaneus oppidò admiratus, optabat, vt omnes veteres ſcriptores ſecum haberet, qui temperantiam Lycurgi, Socratis, Cyri, Pori, Phaotis, Pompeij magni, C. Fabritij, Maſiniſſæ & aliorum plurimorum literarum monumentis inſeruiſſent. Certus enim erat, eos hunc regẽ vniuerſis illis prælaturos eſſe, qui tamen, etſi procero eſſet corpore, & valetudine vegeta, cum temperantia iſta longè melius agebat, quàm qui vario apparatu, lautiſque epulis continenter diffluerent.

Exacto prandio, cum eſurie Capitaneo lactes adhuc rugirẽt, vt qui integro die priore parum comediſſet: per interpretem ſignificauit regi, ſi ægrè non ferret, appoſiturum ſe quoque cibos illos, quibus in nauibus vterentur, vt diætæ nauticæ rex quoddam documentum haberet. Quod hoc ſaltem fine agebat, vt dilatam famem familiarioribus cibis compeſcere poſſet. Mappa ergò inſtrata, Capitaneus panem, cum infumata carne & caſeo Hollandico & laguncula vino Hiſpanico plena appoſuit. De quo vino rex tantum guſtabat, vt temulentior in conclaue quietum abducendus eſſet. *Rex vino Hollandico inebriatur.*

Intereà temporis Capitaneus animi gratia locum illum, in quo 200. circiter domus erant, perambulabat. Cæterum veſpera appellẽte, cum Rex nedum euigilaſſet, Capitaneus cum ſociis ad ſcapham redire inſtituebat, vt illic pernoctarent. Dum vero ſocij conuocarentur, Æthiopes magno numero probè armati confluentes, tranſitum ituris ipſis obſtruebant. Quod videns Capitaneus, cum primò in pauorem datus eſſet: poſteà tamen, quid vellent tot armati, quæſiuit. Qui reſponderunt ei, quendam è Capitanei comitibus, ædibus alienis vim feciſſe. Inſtitit ergo Capitaneus, vt violatorem illum digito intenderent aut monſtrarent: promittens, quod ſub aſpectum ipſorum illum ſeuerè puniturus ſit. Sed finxerant iſta Æthiopes in concitati concurſus excuſationem. Hoc enim potius verebãtur, vt Hollandi, ſi dimitterẽtur, ſub noctẽ regreſſi, regẽ cũ aliquot miniſtris pręhẽſum abducerẽt. Iã ergo Capitaneus intelligẽs, ꝙ niſi per vim nullus ſibi ad naues reditus pateret, ad regis domũ reuerſus, & vbi rex eſſet, ſciſcitatus eũ, domo egreſſum eſſe, reſpõſum accepit. Quo trutinato nihil ſecundi iã ominabatur: verũ inſidias neſcio quas ſuſpicabatur. Vi ergo dũ ſibi trãſitum parare meditaretur, tumultu rex ſuſcitatus, vt erat nudus erupit, ac ſuos acriter reprehẽdit. Tumultus autẽ cauſa à Capitaneo narrata, Rex eum, vt ſecũ pernoctaret, obſecrabat. Cuius petitioni Capitaneus facile parebat, vnà tamẽ rogitans, vt ſociorum parti potiſſimæ ad naues redire liceret. Ita cum 8. aut 10. è ſuis Capitaneus manebat. Æthiopes verò nõdum omnino pacati, paſſi nõ ſunt, vt in ædibus regis pernoctaret, ſed in domum aliam eundem abduxerunt: quam diſpoſitis armatis tota nocte exquiſitè cuſtodierunt. *Capitaneus apud Æthiopes pernoctat.*

Manè cum in foribus ſtaret Capitaneus, ad regem pergere ſe accingens, aſpectus fœdi ac horridi fœmina, tota nuda ad eum propius aggreſſa, capſulam, cuius operculum loris coriaceis connexum erat, ita vt follis inſtar intendi ac remitti poſſet, manibus gerebat. Hæc ter Capitaneum ambiens labris neſcio quid murmuris edebat, ſubinde capſulã, cineribus plenã ita pulſans & deprimens, vt prouolitantibus illis veſtes Capitanei vndiquaq; obſideretur. Quę quidẽ, quid his voluerit, incertum eſt. Poſteà tamen Capitaneus ridens ad regem reuerſus rogauit, vt, quæ promiſiſſet, haud cunctanter præſtaret. Rex ergò mandatum ſubditis faciebat, vt, quod cuiuis venale eſſet, cõferretur. Sed præter Plantanos, & duas capras, quatuorque gallinas nihil allatum eſt. Quæ cum Capitaneus emiſſet, nec vberiora allatum iri ſperaret, valere iuſſo rege ad naues ſe recepit.

Vetulæ præſtigia.

Capitaneus à Rege diſcedit.

Die 26. Nouembr. nauis Barent Erickſz portum ingreſſa eſt, quę in littore negotiationibus aliquandiu vacauerat.

Calend. Decembr. Generalis iterum duas ſcaphas cum eodem Gallo in terram emiſit, qui tamen prioribus multò pauciora aduexerunt. Intereà quidam è militibus Capitanei de VVeert in ſylua vicina aprum & duos bubalos ferierunt, nonnullaſque aues cæperunt, quæ vniuerſa inter ægros viritim diſtribuebantur. Generalis quin etiam indies tam manè quàm veſperi circuibat, vt quî tractarentur ægri, attenderet, eoſdem ſolaretur, &, quæcunq; neceſſaria ipſis futura ſint, promitteret.

Generalis ſolatur ægros.

Die 4. Decemb. ex inſula Del Principe nauis Den Morien in portum venit. Poſtero die Laurens Chiſtiaens cum celoce eodẽ appulit.

Diligenti ergo habita cura ægris magnã ex parte reualeſcentibus & ſcorbuti lue liberatis, cæteris vero hactenus ſanis propter aëris æſtum & inſalubritatem loci febribus contrà frequẽtibus correptis: Generali tempeſtiuum videbatur, vt inde diſceſſio fieret. Itaque vniuerſis in naues recollectis circa 8. diei, horam 3. vel 4. decretum eſt, vt poſtero die vela eo loco rurſus proferrentur. Quo, quamdiu morati ſunt, 16. perſonas ſepeliuerunt. Ipſe quoq; Capitaneus hîc acutiſſima febre deiectus, priuſquã malum euinceret, & ſibi reſtitueretur, binos integros menſes impendit.

Capitaneus de VVeert febricitat.

Die 9. circa veſperam ſoluentes, curſum ſuum in Inſulam Anno Bueno direxerunt, tentatum, num recentes carnes ac fructus tam pro veteribus quam nouis infirmis adipiſci poſſent. Nam & ex claſſe Monſe Mucheron 13. viros acceperant, ad curſum inſtitutum conficiendum promptiſſimos. Illi tamen, qui ſcorbuto prius liberati cenſebantur, biduò pòſt recidiuam paſſi ſunt, ita vt maculæ ipſis per cutem erumperent. Ex quo intelligi poterat, ipſos nondum ad ſanitatem perfectam rediiſſe. Qua cauſa vnica ferè motus Generalis, ſenatu bellico conſulto ſtatuit, vt in Nobon inſulam diuerteretur, quô ægri in terram rurſus exponi poſſent.

Die

Die 16. Inſulæ dictæ ſucceſſerunt. Cum verò Generalis Capitaneum Dierick Gerritſz cum binis ſcaphis in terram amandaſſet, deſubitò in littus aliquot Luſitani Æthiopeſque proruperunt, qui, ne propius accederet, prohibebant. Cum vero è longinquo Capitaneus exponeret, quod non niſi amici venirent, qui cibos & commeatum pro ægris pretio iuſto redempturi eſſent: admiſſis, quæ peterent, ſpoponderunt, & iuſſerunt, vt diei ſequentis aurora redirent. Iam enim veſperam eſſe: & Gubernatorem, in editiore monte habitantem, de his prius monendum videri. Hoc accepto reſponſo Capitaneus ad naues rediit.

Hollandi inſulā Nobon attingunt.

Poſtero, nempe 17. die, idem Capitaneus cum duabus ſcaphis in terram rediit. Sed incolæ terræ, ſclopetis muniti in littus ſe effuderāt, & alta voce, ne quò ſe propius admouerent, interminabantur. Nihil enim in his terris pro hoſtibus ſupereſſe. Capitaneus rectà ad Generalem reuerſus, rem geſtam ei narrat. Qui ob id continuò ſcaphas omnes impoſitis militibus munit, & eaſdem Capitaneo Bockholt & Teſſerario Monſr. Hooghſtoel ducibus, cū erectis vexillis in terram emittit, quorum alter ad læuam, binis ſcaphis, alter ad dextram, cum cohortibus præcipuis in terram egrediebatur.

Luſitani Hollandos à littore arcent.

Quod videntes Luſitani ac Æthiopes, caſas ſuas, quas prægreſſa nocte euacuarant, igne ſuccēderunt, & deſerto propugnaculo ſuo in montana ſe fuga proripuerunt, poſtquam in aduenas aliquoties prius deſulminaſſent, & Capitanei Bockholt tubicinem oblæſiſſent. Generalis autem poſtero die, cum occupata loca probè muniuiſſet, ægros in terram exportari curauit, & partem horum in templum, alios in reliquas ab incendio ſeruatas caſas diſpoſuit, ita tamen, vt cuiuſlibet nauis ægri ſeorſim cubarent. Interim cum recentium fructuum, copioſè ibi creſcentium, admodum auidi omnes eſſent, nullo ordine habito ad eos decerpendos quoquo verſum euagati ſunt. Quod tamen nonnullis malè ceſſit. Luſitani enim, qui paſſim in inſidiis latebant, occaſione captata, nunc hunc, nunc illum proſilientes feriebant, & ſucceſſu temporis haud raros læſerunt. Inter cæteros autem erat VVouter VVouterſz, qui 19. huius menſis die trucidatus, in opprobrium & ignominiam Hollandorum maiorem publicæ viæ expoſitus inuentus eſt. Vitandi ergo maioris incommodi gratia Generalis ſingulis officiariis ſimul & populo vniuerſo ſeriò mandauit, ne quiſquam ſine conſenſu Capitanei Bockholt metas ſibi poſitas tranſgredi attentaret. Nihilominus tamen confidentioribus nonnullis, contēpto mandato, egreſſis, & domum cum vulneribus reuerſis, coactus eſt Generalis, in tranſgreſſorum pœnam patibulum ſurrigere. Poſtero die populi quædam pars armata emiſſa eſt, quæ tentaret, an quoſdam incolarum captiuos adducere poſſent. Nullis verò inuentis, cum 27. capris abactis in caſtra redierunt.

Luſitani fugiunt.

AEgri in terrā efferuntur.

Generalis mādatū, de fructibus non auferendis.

Hollandi in monte vallatos Luſitanos oppugnant.

Die 24. Generalis 150. circiter inſtructiſſimos viros ad montem quendam altiorem, in quo Luſitani ſe obuallârant, & ex quo eruptiones ſubinde cum magno noſtrorum detrimento faciebant, emiſit. Qui cum propiores monti fierent, geminas in eundem ducentes vias inuenerunt. Vnde in duas ſe quoque Cohortes dirimere coacti ſunt. Magno itaque labore vtrinque verſus montis faſtigium aſcendendum erat. Iam ergo Luſitani ex editis locis in ſubiectos tum glandibus tum lapidibus tam violenter eiaculabantur, vt in primo ſtatim inſultu Ian Ianſz Kloeck Capitanei de VVeert ſignifer & regiſtrator, iuuenis quidem, ſed reuera prudentiæ ſtudioſus, cum nonnullis aliis læſis feritus caderet. Itaque fremebundi etiam Hollandi ſuas partes agunt, crebriſque fulminibus vi ſeſe proferunt, adeò, vt vtræque cohortes vnà ad faſtigium occupandum conuenirent. Statione itaq; ſua eiecti Luſitani, munitionem factam fœdè deſerunt.

Luſitani munitionem deſerunt.

Occupato iam monte, cum, quos perdidiſſent, numerarent, ſigniferi obitus certè à pleriſque ægro animo auditus eſt. Nam impenſius ab omnibus amabatur. Eundem tamen cum inſtructo comitatu ad Generalem miſerunt; cui vnà, quo loco res eſſent, ſignificari mandarunt, eius mandatum expectantes. Dum ergo ſedulas ibi excubias agerent, gramine obtecta duo vaſa, panibus referta, & duos caſeos Hollandicos, & vrceos aliquot vino Hiſpanico plenos inuenerunt: quæ omnia in caſtra prouecta æqualiter ægris diſtributa ſunt. Tandem & ipſi iuſſu Generalis deſerta munitione ad ſuos reuerſi ſunt, poſtquam prius duas caſas, goſſypio plenas, in tranſitu exuſſiſſent.

An. 1599. Ianuarius.

Signifer Kloeck in inſula pompoſè tumulatus eſt. Etſi verò ibidem vſque ad Calend. Ianuar. Anno 1599. morarentur, ægrorum tamen numerus nihilo minuebatur. Ea enim ferè ſors erat, vt ſi aliquot ſcorbuto liberarentur, totidem illicò ardentibus febribus corriperentur. Eodem loco plures 30. viris fatis ablati ſunt: inter quos etiam erat Anglicus in prætoria gubernator, Thomas Spring, iuuenis fortiſſimus & prudentiſſimus. Interea tamen paulatim tum aqua, tum ligna, vt & coquos & aurantia, magno numero nauibus illata ſunt.

Ægri in naues referũtur.

Poſtquam ergo Generalis, qui ipſe in terram egreſſus, ægros ſubinde viſitabat & ſolabatur, eoſdem non ſaltem non minui, ſed indies propter aëris immoderationem augeſcere & multiplicari videret: vt in naues referrētur, & ex loco illo diſceſſio fieret, conſultum putauit. Mortuis itaque ſepultis, & tentoriis cum templo exuſtis, 2. Ianuar. vniuerſi in naues regreſſi ſunt, viris 50. exceptis, qui tribus cohortibus dirempti, ſeſe occultarunt, vt aliquos è Luſitanis præhenderent. Sed cum nec hoc conſilium feliciter cederet, in naues ſe contulerunt. Poſtero die vniuerſi ex Annobon ſoluentes rectà in fretum

tum Magellanicũ curſum direxerunt, ratum habentes, in nullo alio quam hoc loco appellere. Cum ergo aliquandiu vento ſatis cõmodo proferrentur, 9. Ian. Fidei nauis malus maior, infernè totus putredinoſus & carioſus, corruit. Quæ tamen aduerſitas curſum nauium nihil impediebat, etſi in iſta naui vix 7. aut 8. ſani ſupereſſent, cæteris pleriſq; ardentibus febribus excarnificatis : inter quos paulo poſt etiam Claes Ianſz eo morbo expirauit. Morbi huius lues per hoc præcipuè diſſeminabatur, quod Generalis omnes nautas ac Gubernatores in Fidem nauem amandaſſet, qui in reſarciendo malo vniuerſi laborarent. Iſte tandem 14. die erectus, etſi ex partibus octo cõſtaret, commodus tamen ſatis erat, niſi quod æquo breuior videretur. Intereà temporis ipſa hæc nauis rudentibus ex prætoria religata proferebatur.

Hollandi in fretũ Magellanicum nauigant.

Fidei malus labaſcit.

Die 22. altitudinem auſtri 8½. graduum attingentes, circa meridiem Inſulam Aſcenſionem conſpicati ſunt. Die huius menſis vltimo ſolem rectà in vertice poſitum habuerũt, ita, vt nullam vmbram funderet, gradus 20. & minuta totidem tenẽtes. Circa meridiem breuia Abrollos tranſmiſerunt, & Iapyge impellente, ad 9. vſque Martij diem verſus Libonotum procurrerunt: quo die altitudinem grad. 41. & min. 30. cenſebant. Hoc eodem die ex vice Almirantis naue miles quidam ſententiis iudicum damnatus eſt, qui noctu coci reconditorium diuerſis vicibus effregit, & ex eo panes abſtulit. Is ergò die 10. ex malo ſuſpenſus, circa veſperam laqueo iterum exuebatur, & in mare deturbabatur.

Militum quidam ſuſpenditur.

Cæterũ cum ægris ciborum appetitus paulatim reſtitueretur, ſed opſonia non ſatis probè ferrent: Capitanei cogebãtur bis in dies aſtare & edentes moderari, quoties opſonia ipſis proponerentur. Tanta enim auiditate illa ingerebant, vt & labra exurerent, ac ora, quorum partes exulceratæ fruſtillatim poſt excidebant. Generali quoque aduertente, vini quantitatem admodum defeciſſe: longinqui reſtantis itineris ratione habita, hunc in eo diſpenſando ordinem præſtituit, vt ſingulis dietim duo cyathi pleni miniſtrarentur.

Vini noua diſpenſatio.

Die 10. altitudo 42. graduum erat, non procul à Rio de plato. Eo loco mare vſque adeò rubrum comparebat, vt mero ſanguine commixtum putaretur. Cum verò vndam hauſiſſent, eam totam vermiculis rubris ſcatentem repererunt: qui in manus repoſiti, pulicum more exiliebant. Hos nonnulli putant ſtatis temporibus à Balænis eiici. Poſt octiduum in naui Fidelitate, Anglus quidã miro quodam morbo periit. Cum enim ad menſam ſedens ederet, retrò repente lapſus vultum toruum exhibebat, & ſpumas copioſas ore reddebat, voce ne minima edita. Hoc habitu iacuit vſque ad ſequentis diei medium, quo vitæ finem fecit. Biduo poſt, eodem ferè morbo iuuenis quidam ex Vtrecht contactus eſt. Qui noctu ab excubiis reuerſus,

Nouus & truculentus morbus.

intenta voce derepente clamare cœpit. Ad hunc cum milites aliquot accurriſſent, ipſe illos toruo vultu inſpexit, & tum mordendo, tum vnguibus lacerando, tum pugnis tundendo eoſdem grauiter infeſtauit. Quem tamen correptum cum in loca frigidiora intuliſſent, diebus quatuor integris nullo nec cibo nec potu vſus, ore tandem aliquid obmurmurare obſcuri cœpit. Cui cum panis porrigeretur, truculentis & ſæuis geſtibus illum auidiſſimè arripuit, & craſſiſſimè deuorauit. Ab eo tempore mente motus diutiſſimè manens, tandem in freto miſerabiliter expirauit. Cum enim ad naturæ opera reddenda idoneum ſe præſtare non poſſet, in perpetuo vdore cubanti tandem pedes perfrigerati ad tantam gangrænam deuenerunt, vt iis præſectis omninò opus fuerit.

Die 23. nebulæ tam craſſæ inciderunt, vt naues ſeſe mutuo ſpectare non poſſent. Circa veſperam tamen vna iterum conueniebāt. Poſt triduum ſimilis nebula incidit. Cæterum vſq; ad 28. diem curſu continuo procurrentes, gradus 50. tenētes, bolide miſſa, 60. paſſuum profunditatem emenſi ſunt. Circa noctem vento vſq; adeò valido concuſſi ſunt, vt prætoria nauis rimam contraheret, per quam confertim aqua irrumpens, antliis vix ſufficienter exigi poterat. Poſtero die iterum ſub altitudine 50. graduum plumbum mittētes fundum 80. paſſuum habuerunt, arena cęrulea permixtum.

Prætoria nauis rimas agit.

Cal. Aprilibus vento Libonoto vſq; ad poſterum diem vſi, eodem curſum ſuum cōtinuarunt. Circa meridiem verſus aquilonem terrā altam conſpicati, fundum argilloſum 36. paſſuum deprehenderūt. Circa veſperā, cum à terra non longius 5. milliaribus abeſſent, ab ea verſus ortum tendentes, poſtero die pellacia vſq; ad veſperam vſi ſunt, qua flante aquilone intra auſtrum & occaſum impulerunt, & hanc metam vſq; ad diem 4. tenuerunt, quo 50. grad. & 46. minut. altitudinem habentes, 30. paſſuum profunditate nauigabant.

Die 5. grad. 52. altitudine, duobus ferè milliaribus ſecundum littorum longitudinem, quæ Doueren propè altitudinem habebant, procurrerunt, paſſuum 40. profunditatem habentes. Circa eiuſdem tamen diei veſperam vento ex aquilone ſpirante, ne in terrā propius impingerent verſus ortū obliquarunt. Ita ergò poſtero 6. die in fauces viæ petitæ Magel: incurrerunt, 12. 13. & alicubi 14. paſſ. profunditatem nacti. Circa veſperam in latere auſtrali anchoras iactarunt 18. paſſ. & propter malaciam maris ibidem per noctem ſubſederunt.

Hollandi viæ Magell. fauces ingrediuntur.

Die 7. leuatis iterum anchoris, Euronoto ferente ſecundū terræ porrectum altitudine 52. & dimid. grad. pronauigarunt, circa veſperam naues anchoris ſiſtentes paſſibus ferè 19. Eo loco Capitaneus de VVeert, cum funis tempeſtatum violentia diruptus eſſet, anchoram vnam perdidit, ita, vt puppis ab æſtuantibus vndis nonnihil attolleretur. Quam tamen noua illico eiecta anchora breui iterum fixit & firmauit, vt æquo cum prora ſitu eſſet.

Cap. de VVeert anchoram amittit.

Poſte-

Poſtero die de recuperanda anchora ſerio laboratũ eſt. Verum, quod funis cum anchora cohærens non emineret, ſed peſſum iuiſſet, operam fruſtraneam fecerunt. Hinc ergò cauro impellente ſe emouentes, nubiloſo cælo exiſtente porrò tetenderunt. Veſperi idem Capitaneus paruam inſulam 14. milliaribus intra fretum ſuper breuiis ſitam & 3. paſſuum profunditatem habentem aggreſſus terram tenere ſe arbitratus eſt. paulo tamẽ vlterius ſe proferens 8. paſſ. aquam recuperauit. Nam intra dictam Inſulam & breuia illa tranſmittendum fuerat. Eodem loco cum anchoras miſiſſent, fracto fune earum vnam perdiderunt: quam tamen poſtero die magno labore rurſus extraxerunt.

Prædicta Inſula Pinguinarum geminarum minima erat, ad quam viceAlmirans cum Capitaneo de VVeert poſtero 10. die April. appulerunt, vt officiariorum quendam Ian Dirickſz de Dort, qui primus in freto obierat, ibidem tumularent. Appellentes ibi, ingentem volucrum copiam inuenerunt, quas mergos nominabãt, quoniam ſeſe ſubmergentes è fundo cibum quærebant. Harum auium 1300. aut 1400. fuſtibus & contis cæſas, ſecum ad naues attulerunt. *Pinguina Inſulæ.* *Mergi 1400. fuſtibus occiſi.*

Hiſce auibus vniuerſam claſſem ex hoc loco inſtruere potuiſſent: Sed quod ſerena tempeſtas fulgeret, & ventus commodus ſpiraret, temporiſque aliqua ratio habenda eſſet, vt pote quod iam hyems præ foribus ſtaret: Generali diutius ibi morari inconſultum viſum eſt, ſperanti, in auſtrali oceano victualium neceſſariorum ſe quãtum opus eſſet, facile impetraturum eſſe. Inde ergò 19. April. rurſus ſoluerunt. Circa veſperam ſub editiore terra quadam in parte ſeptentrionali 24. paſſibus anchoras miſerunt, & poſtero die integro, qui Paſchatis erat, quòd aura quieta eſſet, iiſdem ibi morati ſunt. Ex loco iſto Generalis viceAlmirantem & Capitaneum de VVeert cum 50. viris in terram emiſit, vt aut homines, aut pecora quærerent, & an nauibus ibi aliquis ſuetus trãſitus ſit, perueſtigarent. Sed re infecta ad naues redierunt. Sequente die leuatis anchoris aquilone & Iapyge ferẽte verſus meridiem directi, tota nocte tempeſtate quieta vſi protenderunt.

Die 13. vento ſatis commodo ſe ingerente, in latere aquilonari portum quendam amœnum incurrerunt, quem Angli propter ingentem numerum concharum, ibi parabilium Conchiferum appellant. Portus hic intra fretum 21. milliaribus ſitus eſt: in quo iactatis anchoris 20. paſſus fundi argilloſi repererũt: ex quo in terram egreſſi, limpidum & clarum riuum ſeu flumen inuenerunt, in cuius ripa concharum lignorumque ingens multitudo erat. Eodem loco ad diem quartum commorati, quantum poterant, lignis ac aqua ſe inſtruebant, & 17. die Euro flante intra editam dictam terram penetrabant, vbi tamen propter altiſſimos montes ibi incumbẽtes, & niue perpetuò tectos tranſitum nullum datum iri in principio videbatur. *Montes præalti niue tecti.*

Eodem

Eodem die circa veſperam in parte aquilonari anchoras iacientes, 11.12.15.18.&20. paſſuum fundum arenoſum habuerunt. Poſtero die iterum ſubtractis anchoris Euro impellente aliquouſq; procurrerunt. Sed hoc vento breui mutato, coacti denuo in ſinu quodam aquilonem ſpectante anchoris ſubſederunt, paſſibus 14. in fundo argilloſo.

Sinus viridis in freto. Sinus iſte ſub grad. 54. ſitus viridis dictus, curua quadam eminentia in ſeptentrionem excurrit, in cuius medio tres paruæ Inſulæ viſuntur, quarum minima orientem ſpectans, nauibus fabricandis, ſi opus ſit, valdè commoda videtur. Ea enim admodum arenoſa ac elata eſt, virentibus arboribus, Lauris ſimilibus, licet procerioribus, ornatiſſima: quarum cortex piperis modo ſaporem acrem & mordẽtem præbet. Ibidem aquæ potabilis limpidiſſimus quoque fluuius eſt, conchis vndiquaque conſtratus, quarum nonnullæ dodrantis longitudinem habent. *Conchæ magnæ.* Sed & anatum ac anſerum hic inſignis copia: ita, vt ſinus hic commodiſſimus ſit eorum omnium, qui in freto iſto reperiuntur: in quo perpetuo 12.15.20.30. & 45. paſſuum profunditas eſſe ſolet.

Hoc in loco vſque ad 23. Auguſti cõmorandum ipſis fuit, quod ventum nullum idoneum conſequi poſſent. Et cum nec venti ſe cõmodi offerrent, ac ſimul hyems inſultaret, *Hyems in freto.* ibidem ærumnis maximis obtriti, vltra 100. viros perdiderunt. *Magna inopia & labores in freto.* Continuis enim procellis concuſſi, totos dies nunc vela ſtringendo, nunc pandendo, nunc anchoras mittendo, nunc retrahendo, & innumera alia agitando, inexhauſtis laboribus terebant. Iam & naues inuicem collidebantur: & fluctuum inſultu in littora diſpellebantur: vt ad eas redigendas & firmandas Herculei labores requirerentur. Tum & ſubindè pluuiis, ventis, grandine, & niue verberati, in terram egredi cogebantur, iam ligna, iam aquam, iam conchas, iam aliud quod ex vſu erat, allatum & aduectum. Quibus certè omnibus iniuriis & incommodis populi pars maxima omninò eneruabatur. Poſteà & fames horrida ingruebat, quod in frigidiore loco verſarentur. Quam cauſam ex naturæ modo eleganter declarat, celebris Bartas in ſuæ nauigationis die ſecunda, his verbis: *Famis cauſa frigus.* Qui in locis frigidioribus habitant, propter auctum internum calorem plus cibi poſcunt digeruntq;, quam qui in calidis locis macri graciles que ſunt, qui ab externo ſolis ardore nigriores euadunt. Eadem ratio eorum quoque eſt, qui in temperato aëre habitant: quorum ventriculi hyeme calidiores ſunt, quã in æſtate. Hæc Bartas.

Accidit ergò, vt vẽtriculi externo frigore calidiores redditi, nullo cibo ſatiari poſſent, eorum cõprimis, qui in Fide naue verſabãtur. Ii enim opſoniis omnium maximè deſtituebantur. Itaq;, quicquid vſpiam obuiũ arripiebant, in corpus ingerebant, vt crudas conchas, radices, herbas: quæ dum ad ignem coquerentur, expectare illis difficile

cile erat,etſi in nauibus perpetui ignes fouerentur, ad quos tum cale-fierent,tum cibos elixarent. Et, licet Generalis quidem iſtius nauis Capitaneo, tonnas ſex piſorum fabarumque ex ſua naue tradidiſſet, iſta tamen omnia nihil proficiebant, adeò vt fames eorum deinceps nullo cibo caſtigari poſſe videretur. Sed & veſtibus non vſque adeo probè muniti erant. Vnde motus generalis,ciſtas nonnullas pannis refertas reſerari iuſſit,quibus diſtributis nudiores veſtirētur. Nihilominus tamen ex frequenti concharum & crudiſſimorū aliorum ciborum ingeſtione, ac aëris perpetua rigiditate, pleriq; hydrope tam violento inuadebantur,vt plurimi ex eo fatis fungerentur. *Hydropici nautæ.*

Die 22. April. ſuſpendio nautarum duo adiudicati ſunt: ideo quod effractō penore oleum furtim abſtuliſſent. Quorū vnus, cum iam laqueo ſuffocatus eſſet, alter interceſſione multorum liberatus cum alio quodam, qui furti conſcius ,illud Capitaneo non prodidiſſet,virgis cæſus eſt. *Supplicium de nautis ſumptum.*

Die 28. April. Capitaneus Bockhold,qui phthiſi longo tempore abſumptus erat,in freto obiit. Huic tumulus in terra factus eſt. Cumque more ſolenni ſepeliretur,ex ſingulis nauibus ter tormēta diſploſa ſunt. Huic omnium voto electus Sr. Balthaſar de Cordes ſucceſſit: qui 3. Maij nauis Fidelitatis dictæ adminiſtrationem ſuſcepit. Biduo poſt,panis largius diſpenſari cæpit,ita, vt ſinguli dietim libram dimidiam eius ſortirentur. Hoc ipſo in portu Ioannes Corput, prætoriæ nauis ſignifer,quoque ſepultus eſt. *Cap. Bockhold obit.* *Balth. Cordes Capitaneus nauis Fidelitatis.*

Die 7. Maij viceAlmirans cum ſua & Generalis ſcapha verſus auſtrum in Inſulam quandam,ſinui viridi recta oppoſitam, Gobiones captatum egreſſus eſt. Eò delati ſeptem Canoas feris hominibus obſeſſas repererunt,quorum, vt coniectura dabat, longitudo 10. aut 11. pedum erat, corpore rubeo,capillis promiſſis ex capite obducto. Hi ſcaphis animaduerſis feſtinanter in terram impellentes coniectis & extortis confertim lapidibus in Hollandos adeò fulminarunt,vt viceAlmirans Inſulæ appropinquare non auderet. Videntes autē feri, quod viceAlmirans porro progredi dubitaret, repente vniuerſi in Canoas ſuas inſiliunt,& magno clamore ad ſcaphas inuadendas ſeſe proferunt. *Septem Canoæ feris hominib. plenæ.*

Cum ergo iā propius appuliſſent, iuſſit Capitaneus,vt in ipſos Muſquettas ſuas milites exonerarent. Quo facto, vno momento illico 4. vel 5. ceciderunt. Eo ſpectaculo terrefacti, verſus terram denuo feſtinantes,aliquouſq; profugerunt. Et euulſis craſſis arboribus, moles & valla congeſſerunt, vnde in aduenas lapides eiaculari,eorumq; impetum ſuſtinere poſſent. Sed immanes ac truculentos hos deſerens Capitaneus, re infecta circa veſperam ad naues rediit. Propter ventorum autem incommoditatem ibidem aliquot diebus cōmorantes, in terram indies ſcaphis egreſſi ſunt,vt conchas , herbaſque ac radices,& alia obuia legerent. Cum verò quærendo longius à ſe *Hollandorū aliquot à feris hominib. trucidantur.*

DD in-

inuicem diſceſſiſſent: ex arbuſtis feri in proximos irruentes, tres eorum miſerè trucidarunt: ex quibus erant Adrian Corneliſz Enckhuſanus, Sebaſtianus Arentſz ex Moſâ, & Marcus Marcuſz Amſtelredamus. Sed & Alb. Thuniſſen de Calenburch, & Ian Ianſz Amſtelredamus grauiter vulnerati ſunt. Cæſos immaniter tractabant: & hos geminos quoq; morti dediſſent, niſi Capitaneus de Cordes interueniens eos eripuiſſet. Feri hi homines toti nudi erant, vno excepto, qui neſcio quid collo circumligarat. Arma eorum erant, tela ex ligno duriſſimo, quæ expedite vibrare norant. Hæc crenis ſeu hamulis ita exaſperata erant, vt ſi in corpus penetrarent, extrahi non poſſent, ſed nouaculis excindi eas opus eſſet.

Ferorum deſcriptio.

Intereà, cum Hiſpanica nauis illa, quam ante S. Iago occuparat, tempeſtatum violentia admodum quaſſata in terram eiecta eſſet, nec reſarciri cōmodè poſſe videretur: Generalis conſentiente ſenatu bellico decreuit, vt ex ea confracta, prætoriæ ſcapha maior extrueretur ita, vt Pinaſſæ vſum præſtaret. Itaq; die 16. aſſeres auulſi in terram prolati ſunt. Ex quibus iunctis magna feſtinatione tignarij octidui ſpatio ſcapham ita condiderunt, vt illicò in aquam promitteretur. Huic gubernator præficiebatur Gillis Ianſz. Poſtero 28. die, vetus illa liburnica igne concremata eſt.

Hiſpanica Liburnica exuritur.

Die 17. Capitaneus de VVeert (quod iam omnibus opſoniis conſumptis, ſolis iuſculis victitare cogerentur) piſces captatum in littus excurrit. Interim violentiſſimo cæcia ſurgente mare tantoperè æſtuare cæpit, vt nolentes volentes biduo integro in terra illa ſe continere cogerentur. Qui tamen poſtea vacui ad naues reuerſi ſunt.

Die 18. vento adhuc nonnihil fremente, vice Almirantis nauta Dierick de Groot, qui in pergula nauis neſcio quid operabatur, in mare delapſus eſt. Cui cum propter magnam ventorum violentiam ſuppetiæ nullæ ferri poſſent, in conſpectu ſociorum ſuffocatus eſt.

Die 2. Aug. Generalis, populo omni in terram egreſſo, etſi niue omnia canderent, concionem publicam fieri mandauit, qua Deo gratiæ dicerentur, quod integro iam anno in tam periculoſo itinere ſeruati eſſent: & idem deuotis precibus rogaretur, vt porro quoque gratiam ſuam & miſericordiā ipſis clementer conferat, vt incæptum iter feliciter confectum dare valeant.

Concio habita in niue.

In viridi hoc ſinu, cui (quod claſſis ibi hybernaſſet, & ex fame ac cæteris laboribus ærumniſque vltra 120. homines extincti eſſent) nomen de Cordes dederunt, porro quoq; cum imbribus, grandine, ventiſq; perpetuis cum fame & inæſtimabili miſeria, vſq; ad 25. Aug. commorati ſunt.

Sinus de Cordes.

Die Aug. 23. hinc ſoluentes tandem, vento Iapyge intra Aquilozephyrum impulerunt. Sed quod vis huius venti admodum ignaua eſſet, poſteri diei aurora anchoras denuo mittere coacti ſunt: quas

Holl. ex ſinu viridi ſoluunt.

veſperi attollentes iterum, circa noctis horam decimam in grandem ſinum partis auſtralis cum reflua vnda ingreſſi ſunt, poſt quem Inſula quædam parua 16. 24. 30. & 40. paſſuum profunditatem habens ſita conſpiciebatur. Locus hic anchoris mittendis omnium aptiſſimus erat. Ex eo enim, quoties lubebat, ventis optatis excurri poterat. Generalis ergò vt ad ſe vniuerſi Capitanei & nautæ congregarentur, ſigno dato iuſſit. Virtute enim & conſtantia officiariorum motus, in freto iſto monumentum quoddam ſuffixurus erat, quod teſtaretur, Hollandicam claſſem nullis aut periculis aut ærumnis abſterritam hac tranſiiſſe, & primos eos è nationibus vniuerſis cum tot nauibus tranſitum iſtum patefeciſſe. Ad fraternitatem ergò ſeu ſocietatem iſtam ſtabiliendam ſex è tota claſſe primarios ſecreuit, qui iuriſiurandi religione ſeſe mutuo obſtringerent, quod nullo vſquā tempore, aut ſummis periculis ærumniſque, aut ipſa quoque morte pauefacti, quicquam admiſſuri aut deſignaturi eſſent, quod vel infamiam propriam, vel patriæ opprobrium ac dedecus, vel ſemel huius ſuſcepti itineris remoram vel in minimo cauſari poſſet: ſed quod econtra potius vitam & ſanguinem ipſum impendere velint, ſaltem, vt infeſti ſui hoſtis vim quadamtenus proterere ac eleuare, curſumque inſtitutum feliciter exigere valeant. Itaque Hollandicum inſigne eo ipſo in loco ſurrexerunt, ex quo Rex Hiſpanorum theſauros ſuos, quibus fretus hactenus vniuerſo Belgio tam hoſtilia arma intendit, magna ex parte colligit ac conquirit.

Commodus in freto ſinus.

Generalis trāſitus monimētum ſtatuit.

Fraternitas ſtabilitur.

Hæc fraternitas in freti illius parte auſtrali, illiuſmodi ceremoniis ac ſolennitatib. quales loci ratio tulit, conſtituta eſt: quod fœdus pactū, Fraternitatem liberati Leonis indigetauerunt. In eius rei memoriam tabulæ cuidam ſua nomina inſculpſerunt: quam, vt à prænauigantibus omnibus clare perſpici poſſet, columnis altis ſuffixerunt. Et cum in fœdere hoc ſanciendo omnifarias ceremonias equeſtres adhibuiſſent: ob id ſinum hunc equeſtrem nuncupauerūt, ex quo tandem 28. dicti menſis die, ferente vulturno ſoluentes, dimidij milliaris ferè ſpatio ſecundum littus aquilonare pronauigauerūt, vbi in breuia quædam inciderūt, cōminuendis nauibus admodum procliuia. Inde verò induſtriè ſe rurſus extricantes in ſinum quēdam auſtralem ſecedentes, anchoras 20. paſſuum profunditate iactarunt. Ibidem aquæ potabilis proniſſima copia erat.

Sinus equeſtris.

Pro mandato ergò Generalis, Capitaneus de VVeert ſcapham ſuam viris neceſſariis munitam, in ſinum Equeſtrem rurſus egit, vt fraternitatis tabulam ibi erectam, referret inde, & in loca commodiora ſtatueret. Eius verò ſinus angulum nauibus ambiens, 80. circiter feros viros, in terra cōſidentes, ac in vicinia 8. vel 10. Iollas ſiue canoas tenentes, conſpicatus eſt. Hi quāprimum ſcapham appropinquantē vidiſſent, ingēti clamore ſuſcitato, vt propius ad ſe accederēt, manib. iactatis innuebant. At Capitaneus quod ſe nimis ad hos edo-

mandos infirmum videret, illicò retrò ad naues commeauit, vt rem hanc generali ocyus impertiret. Sed cùm diſcederet, feri eum per littoris longitudinem cõcitatius inſectantes, ſubinde alta voce clamitabant, & vt ad ſe rediret amarulenti quaſi inuitabant.

Generalis ergò re comperta, tres ſcaphas viris plurimis munitas ſubitò in dictum ſinum amandauit. Qui tamen in littus egreſſi neminem eorum loco priore inuenerunt. Immanitatis tamen ab ipſis exercitæ certa veſtigia repererũt. Nam quæ defunctorum ſociorum cadauera ibidem nuper tumulauerant, ea Barbari non ſolum ſepulchris iterum eruerunt, verum etiã immani laniena fœdiſſimè diſcerpſerunt. Inter cæteros M. Ian. Ianſz Generalis chirurgus inhumaniſſimè conſauciatus, miſerandum ſpectaculũ exhibebat: cui & buccas diſciderant, & fuſtib. caput cõtuderant, & telo cor perfoderãt, & pudendum amputarant, & tanden ita mutilatum in vndã abiecerant. Tali enim habitu inuentus, & à ſociis denuo ſepultus eſt. Sed & archimagiri ſepulchrum patens inuentum eſt, cadauere nullibi conſpicuo: ita, vt ſuſpicio eſſet, id à feris iis ablatum fuiſſe.

Immanitas Barbarorum.

Truci hoc ſpectaculo militum animi vſq; adeò in furorem dati ſunt, vt & loca paſſim vniuerſa perquirere, & Barbaros iſtos dira vltione vindicare ſatagerent. Sed quod loca iſta pleraque vaſta viderentur, & adpellens veſpera reditum ad naues ſuaderet, fragmenta ſaltem quædam iſtius tabulæ, quam Barbari fruſtillatim cõminuerant, ſecum ad naues attulêre.

Monumẽtum Hollandorum vaſtatum.

Poſtridie 2. Sept. eo loco rurſum excedentes, ferenti cauro ſeſe crediderunt, & circa 3. diei noctem fines freti attingentes, commoda tempeſtate oceanum auſtralem ingreſſi ſunt.

Hollandi ex freto in oceanum auſtralẽ veniunt.

Die 5. & 6. ſolito cauro adhuc pertendentes, metæ priori feliciter inſiſtebãt. Hoc tempore ſenæ naues, quibus etiam ſcapha pridem ex cremata Liburnica facta connumerabatur, vniuerſæ adhuc coniunctæ pergebant. Circa diei ſeptimæ verò initium ventis impetuoſioribus mare ita exæſtuauit, vt vice Almirans, quam ſcapha iuncta ſequebatur, anchoras iactare cogeretur. Eadem & Fidelitati naui, quæ ſcapham ſuam non extulerat, neceſſitas incumbebat. Capitaneus verò de VVeert, qui ſuam ſcapham, quam primo fretum egreſſus eſſet, intro receperat, Almirantem prænauigantem inſequebatur.

Procellæ in oceano auſtrali.

Interim maiori celoci, quæ ad Fidei læuam concurrebat, aduerſitas quædam obtingebat, quæ principium & cauſa vniuerſæ claſſis diſſeparationis erat. Cum enim crebris ſuccuſſationibus, à fluctuum ventorumq; vi factis, pars quædam de naui excidiſſet, & antennam priorem non ſine grandi mali periculo ſecum abripuiſſet: contractis illicò velis eliſo tormento cæteris anterioribus huius rei ſignum datum eſt. Quod vbi Capitaneus de VVeert audiuiſſet, anchoram & ipſe emiſit, ac ſua vela feſtino collegit, vt hoc pacto ſibi opem inuicem pręſtare poſſent. Fidelitatis verò ſcapha cum eodẽ fine ad peri-

Claſſis diſtractæ principiũ.

clitantem celocem emitteretur, fluctuum concitatione frementé euerſa, funditus periit.

Interim tamen Generalis naue, propter non auditum ſignum ſtrenuè ventos ſequente, factum eſt, vt eadem à cæteris interuallo quàm longiſſimo euagaretur. Attamen ViceAlmirans, cum caſum videret, cæpit & ipſe pro ferendo auxilio vela ſua legere. Paulò poſt, nebula tam denſa & craſſa illapſa eſt, vt ab vna naui ad alteram proſpectus minimè pertingeret. Commorantes tamen vniuerſi, celoci reſarciendæ, & quæ exciderant, reponendis, maloque firmando certatim laborioſè incumbebant. Die verò 8. Septembr. ſub auroram, commorantium trium nauium binæ ſcaphæ deſiderabantur, quas tamen, cum & cæteri vela ventis rurſus dediſſent, trium horarum ſpatio iterum conſecuti ſunt, ſperantes fore, vt breui tempore nauem quoq; prætoriam cum gaudio aſſequantur.

Vbi conuentum eſt, Capitaneus Dierick Geeritſz poſtillionem ad ViceAlmirantem amandat, rogans, vt is Capitaneis de VVeerde & Cordes mandet, quo ſuos tignarios illicò ad celocem mittat, qui fracta ſua opera redintegrent. Quod cum impetrari facile poſſet, bini illi (nam in vtraque naui vnus ſaltem tignarius erat) vnà, cum magno Fidei & Fidelitatis damno, ad celocem miſſi ſunt. Hæ ſiquidem duæ naues ab eo tempore poſteà nunquam iterum ſpectatæ cæteris fuerunt. Nam cum 10. Septembr. cæcias tam violentus irrueret, vt eæ curſum ſuum omnino inuertere, & intra medium auſtrum ac occaſum procurrere cogerentur; celox circa veſperam ſua vela, vt & Almirans, quæ duæ præcurrerant, legit. Quod cum Fides & Fidelitas vidiſſent, ſenſim ferentem ventum ſecutæ ſunt, quod arbitrarentur, celocis malum iam iterum aliquid damni accepiſſe. Intereà tamen, cum nox obſcurior incubuiſſet, celocis ac Almirantis vela rurſus ventis data ſunt (ſicut id poſteà Thuenis Thueniſſen teſtatus eſt) & ſigno ne minimo quidem, quod facere debebant, dato, perrexerunt. Cum vero duæ reſtites naues horũ omnium neſciæ eſſent, vnà iunctæ manſerunt, ſperantes fore, vt Charitas, ſuum aduentum omnino præſtolaretur. Die erumpente, iam binæ hæ naues ſe penitus deſertas eſſe, cum magno dolore depræhenderunt. Capitaneo comprimis de VVeett hæc deſertio magnæ ægritudini erat, quod duos ſaltem Gubernatores peritos ſecum haberet, & nauarchus in lecto æger cubaret, & cæteri nautæ plerique viribus ſuis exhauſti eſſent. Itaque ad Capitaneum de Cordes exiguo velo procurrens, impendio illum obſecrabat, vt cum nauem inſtructiorẽ haberet, ſui aliquam curã gereret. Hi ergò citra inſignem cauſam vela ſua nec augere nec minuere ſe velle compromittentes, recuperandæ ſocietatis magno deſiderio ita paulatim iam procedebant.

Fidei & Fidelitatis fabri ad celocẽ mittuntur.

Die 16. dicti menſis ferente auſtro procurrentes, poſtera luce Libonoto impellente ad gradum 54. lineæ æquinoctialis aſcenderunt.

Nicolaës Yſebrandtsz moritur. runt. Eodem die Nicolaës Yſebrandtsz, Capitanei de VVeert nauclerus magna iſtius nauis iactura obiit. Iam enim, qui naui imperitaret, nemo illic ſupererat.

Die 19. cum cæcias primò perflaſſet, poſteà Argeſtes tam violentus inſonuit, vt metu euerſionis nauium, contractis velis omnino pergere cogerentur. Nam & vndæ æſtus tam horridus fremebat, vt exterior Fidei pergula tranſuerſi pollicis latitudine emoueretur, & Fidelitas, irruentibus deſuper vndis ita oppleretur, vt in tabulatis nautæ vſque ad genua in aquis peditarent. Vnde factum, vt panes plurimi madefierent, & humore corrumperetur. Quin & nauis Capitanei de VVeert carina, per rimam cæcam factam, tantum iam aquæ imbiberat, vt ea exigenda integras noctes dieſque occuparentur, priuſquam inuentam rimam materia idonea iterum obſtruxiſſent. In tot tantiſque periculis ac ærumnis binæ hæ naues 24. diebus verſatæ, nonnunquam cum, aliquando ſine velis agitabantur, adeò vt à ſe inuicem quoq; multoties diſiicerentur ac diſpellerentur. *Deſertarũ nauium pericula.* *Fames duarũ nauiũ magna.* Præter hæc dira quoque fames milites miſere lancinabat: vt qui conſuetis dudum conchis iam in ſolidum orbarentur, & ſolo pane ac ſiccatis piſcibus viuere cogerentur.

Itaque dum hinc fame & inedia, illinc procellis & tempeſtatibus crebris colliderentur, adeoque medullitus eneruarentur: die inſuper 25. Septembr. nouis procellis concuſſi, noctu in freti terram aquilonarem, quam propter denſas tenebras videre non poterant, ſed ab eadem ſe adhuc 20. milliaribus diſtare arbitrabantur, impegerunt: ex qua tamen mira agilitate ſe iterum expediebant illicò ac extricabant. Quod dum anniterentur, Fides, quæ propter dictas craſſas tenebras, longius proſpicere non poterat, in medio extricationis molimine rectà in oppoſito duos præſignes ſcopulos erigi animaduertit, quorum vnus viri ſtantis altitudine ex vndis extabat, alter procerior in altero latere eminebat, quos maris æſtus fremitu horrido conuerberabat. Hîc quantis in periculis verſarentur, cuilibet facile iudicatu eſt. Nam effugij nullum humanum medium ſupererat: ſiquidem omnino perrumpendum videretur, & regreſſus propter poſticorum ſcopulorum metum nullus etiam daretur. Taceo, quod vrgentes tenebræ etiam boni conſilij omnem copiam differrent. Interim vero Capitaneus de VVeert, qui de hac non minus quam ſua naue ſeruanda ſeriò laborabat, ſuccenſo multoties puluere pyrio tot ſplendores faciebat, vt loci ratio aliquantò melius peruideri poſſet.

In mediis his anguſtiis ad Deum preces effundẽtes, vela, quantum poterant, conuertebant. Quorum miſertus Deus manifeſtam quoque opem in momento illis præſtabat: adeò, vt facilè ſe inde & ſine vllo damno non ſolum extricarent, verum & in loca ſecuriora breui efferrentur. Dum ergo loci conditionem de die inſpiciunt, vix

vix tribus à freto milliaribus ſe abeſſe animaduertunt. Vnde in fretum recurrendi, & portum quendam expectandis ventis idoneum quærendi conſilium capiunt. Circa veſperam itaque ad freti angulum auſtralem, duabus eminentibus inſulis conſpicuum, ac à terra firma ſtadij meta diſtantem, peruenientes, ab hac in ipſum fretum ſeſquimilliaris fermè ſpatio incurrunt. Vbi cum portum commodum conſecuti eſſent: loco tamē propter noctis tenebras, & frequentium inſularum viciniam parum fidentes, verſus terram ſe recipere conſtituebant, ideò comprimis quod fluctuum vi à freto iam ſe ſex milliarium ſpatio abactos eſſe peruiderent. *Duæ relictæ naues ad fretum recurrũt.*

Dum ergo Fidelitas præcurreret, paulò poſt, commodi inuenti fundi ſignum dedit: qua cauſa & Fides ſe ſinui iſti propius ingerebat. Ibi autem vix tantillum morari, fundum ſeu ſinum eum non pro opinione prima optatum eſſe animaduertebant. Capitaneus enim de VVeert rectà poſt nauem ſuam cautem cæcam ſeu latentem deprehenderat. Itaque pro commodiore ſtatione quærenda gubernatorem amandare coactus eſt. Is verò ſinu vndiquaq; pererrans, præter ſaxoſum fundum nihil reperire potuit. *Cõtinuò ſinus incommodus.*

Calend. Octobr. procellis horrendis ex aquilone & oriente medio ingruentibus, tribus anchoris naues ſiſtere cogebantur. Breui tamen remittente tempeſtate, ſecurè vſque ad 10. diem Octobr. habuerunt, quo funis anchorarius Fidei diſcrepuit. Itaq; noua anchora miſſa, propter ſcopulos dictos tota nocte manifeſtis periculis expoſiti erant, dum tandem die oriente, anchoris ſublatis, commodiore alio loco conſiderent, vna hac ſpe ſuos animos lactantes, fore forſan, vt propter æſtatem iam appellentem breui tempeſtas optatior inundet. Sed ſpes hæc eos admodum turpiter feſellit. Nam ab eo tempore binis integris menſibus nulla dies adeò ſerena illis effulgebat, qua madida ſaltem vela reſiccare poſſent. *Procellæ grãdes.*

Dicti menſis die 14. tam vrgens iterum cæcias ſurrexit, vt eius violentia pleriſq; anchorarum funibus obtritis, & nauibus concuſſis Capitaneus de VVeert, deſerto iſto ſinu portum tutiorem ſectari, ſeriò ſuaderet. Itaq; in anchora quotidiana recuperanda laboratum eſt haud tenuiter. Quam tamen, quod in foueam 40. paſſibus profundam incidiſſet, redipiſci iam impoſſibile erat. Cæterum anchoram alteram iactatoriam recuperarunt quidem, ſed fractam. Ita, vt hac nocte duæ anchoræ perierint. Nihilominus tamen, cum cogitarent, diurnam anchoram piſcationis ritu in littus aliquando extrahere, in dicto ſinu adhuc diutius commorari placuit, naue tamen paulò altius in loca ſecuriora ab his ſcopulis deducta. Diſcretis ergo vicibus ab eo tentatum eſt, an dictam anchoram quacunque induſtria extrahere liceret. Sed fruſtra omnia. Tum & Fidelitas nauis, quæ ipſa hactenus firma & quieta ſtabat, procellis crebris emota die 17. ſub noctem verſus terram diſpelli cæpit: quæ tamen duabus illicò *Fides duas anchoras perdit.*

aliis

aliis anchoris miſſis periculum illud quadamtenus effugit ac declinauit. Exorto die poſtero, cum ad priorem locum redeundi omnem operam impenderent, funes ſuos tam profundè obtritos depræhenderunt, vt omnem fruſtrà in hac re impendi operam liquidò viderent. Itaque cum omnem longiorem in hoc ſinu moram factam cum certo fore periculo putarent: die 18. inde ſoluētes, aliò conceſſerunt, Capitaneo de VVert inuito quidem anchoram ſuam poſt ſe relinquente. Sinum ſeu portum hunc Periculoſum nominauerunt, quod 20. integris diebus cum certo vitæ periculo in eo verſati fuiſſent.

Sinus periculoſus.

Cæterum poſtquam portus commodioris quærendi cauſa inde diſceſſiſſent, Thraſcia flante verſus ortum milliari vno penitius in fretum incurrentes, portum vſque adeo commodum & tutum attigerunt, vt is nullis ventorum iniuriis expoſitus eſſet. Hunc ingreſſi naues propè terram 60. paſſuum profunditate fixerunt. Capitaneus autem de VVeert, qui prius anchoram in mari perdiderat, duobus craſſis funibus ex arbore religatis nauem ſuam reuinciebat, quod ſperaret, ſe minore cum periculo ibi ventorum opportunitatem præſtolari poſſe.

Nauis de arbore religatur.

Itaque cum iſto modo ſatis firmiter religatam nauem arbitraretur: cæpit 22. die Octobr. nauem, in cuius fundo duas reliquas anchoras condiderat bonis exportatis omnibus euacuare aut exinanire. Circa meridiem, cum iam tabulata nauis omnia doliis & ferri molibus ſuperius conſtrata eſſent, dicto ocyus tempeſtas inualuit tam horrida ac procelloſa, vt nauis, quæ parte inferiore iam alleuiata nonnihil erat, in latus tota declinaret, & funis, quo religata erat, rumperetur. Hoc viſo, celeritate incredibili anchoram iactantes, quod poterant, corrigebant. Cum verò is locus admodum profundus & ſaxoſus eſſet, accidit, vt priuſquam anchora firmaretur, nauis iſta in Fidelitatem ventorum vi incuteretur, adeo, vt iam periculo euidenti omnia dubia eſſent. Nam ex colliſione naues manifeſtè crepantes auditæ ſunt. Et niſi funes, quibus nauis terræ innexa erat, tam validi extitiſſent, certè à ſe diſſeparari tam facile illæ non potuiſſent.

Capitaneus de VVeert vltimas anchoras profert.

Subitanea tēpeſtas.

Cæterum cum ventus ſubinde inualeſceret, & violentior de montibus continenter increbreſceret; funium dictæ nauis nonnullis ſolutis, nōnullis ruptis, adeoque anchora ipſa laxata eadem verſus terram violenter compelli cæpit: ita, vt, priuſquā firmari iterum poſſet, iam terram ipſa cum ſua ſcapha feriret.

Fides in terrā expellitur.

Etſi vero Capitaneus milites nonnullos ad naues figendas & ſiſtendas cum funibus emitteret: ac ex altera naui Thunis Thuniſz cum 10. aut 12. viris ei auxiliatum properaret: tentatu tamen omnia difficilima videbantur. Hiſce in extremis anguſtiis cum & noctis & conſiliorum ſumma cæcitas eſſet, hoc omiſſis cæteris, vna opera omnes agere cæperunt, vt ad minimum panes ſuos maturè eriperent ac ef-

ac efferrent, ne pereuntibus cęteris, tandem ipſimet miſerabili quoq; eſurie ibi mori cogerentur. Sed miſericors Deus, qui promptā opem ipſis iam aliquoties attulerat, ita hærentes manifeſto auxilio iterum iuuit ac eripuit, ventos aquilonios violentos confertim immittens, quorum impetu naues à littore diſpellerentur. Ita ergo periculo exempti, cum poſt dies illuxiſſet, funibus valentibus nauem è terra iterum firmarunt, & anchoram fractam attraxerūt. Poſteà ad opus inceptum redeuntes, binas anchoras è nauis fundo emoliti ſunt, & vacua dolia aqua replentes, ventum idoneum expectarunt.

Diuinum auxilium præſens in grauibus periculis.

Intereà dum ibi morarentur, totos dies ac noctes quærendo in terra cibo, & naues firmādo, & vela curādo trāſigebāt, nihil perpetuis pluuiis, ac niuib. ventiſq; obſtātibus: ita, vt nouē illis menſibus, quib. in freto obhæſerāt, velum antennis nullū ſoluerent ad reſiccandum, ꝙ iugiter ventos cōmodos, quibus feſtinò ſoluerent, præſtolarentur.

Perſeuerantibus ergo tot laboribus, & frigore intenſo, & vdore moleſto, & fame ſæua continuò durante, Capitanei de VVeert milites tandem vſqueadeò indignati ſunt, vt ſe vniuerſos ægros ſimularent. Cumq; Capitaneus ipſe quotidie vnà cum militibus, aut conchas lectum aut aues captatum in terram egrederetur: nautæ cæteri, qui in nauibus manſerant, ex compacto rem agentes cōſilium cæperunt contra Capitaneum inſurgendi, eumque, vt domum tandem rediret, compellandi: dicētes, hactenus ſe iuramento ſuo ſatis ſuperq; defunctos eſſe, vt qui vētum expectando idoneum ſuorum partem maximam impendiſſent, partem alteram morbis & laboribus ita enectos haberent, vt muniendis ac regundis nauibus iam non ſufficerent. Porrò autem & commeatus tantam eſſe penuriam, vt diutius morātibus is facilè periturus ſit. Sed & vniuerſos anchorarum funes obtritos, & anchoras ipſas amiſſas reditum in patriam ita obſtinatè ſuadere, vt non probitas, ſed mera temeritas & ſtultitia futura ſit, ſi porrò extrema tentando ſuſceptum iter continuetur.

Militum contra Capitaneū rebellio.

His ac ſimilibus militum cauſationibus, Capitaneus, quod ex tempore poterat, reſpōdebat, impendio rogitans ſimul & obteſtans, vt Dei miſericordiæ fidentes, eius auxilium patienter expectarent, & dati ſemel iuramenti probè memores eſſent. Sibi enim tamdiu non ſtatutum eſſe domum reuerti, donec vel ad minimam ſcapham muniendam viri ſuppeterent. His tamen non admodum moti milites, frigidè omnia tractabāt: adeo, vt Capitaneus, quoties anchoras ſuas attollere vellet, vocato ſubinde alterius nauis nauclero opus haberet. Prȩſente Capitaneo, omnes infirmi erant. Eo abſente, diris omnia execrabantur, & porro ne vlli quidem operi manum admouere promptam deierabant. Quod etſi cuiuſdā indicio omne Capitaneus quidem reſciſceret, nullius ſe tamen eius conſcium fingebat, ſed ſolando populum & ipſum animando iugiter inſtabat, & operas omniū primus aggrediebatur, adeo, vt ſuo exemplo nōnullos in pudorē daret.

EE Tandem

Tandē tamen, cum à Capitaneo de Cordes admoneretur, præcipuos quoſdam in naui officiarios, milites ſuos puſillanimes ac pauidos reddere conari: eorum quemlibet ſeorſim compellans, ſeriò interdicebat, ne porrò quicquā vel dicerent vel molirentur, quo militum animi eneruari ac ignauiores fieri poſſent, ſed potius omnia ad ſuſcitandos eos idonea meditarentur. Recitatis etiam cōfœderationis articulis, eoſdem ſui iuramēti præſtiti memores eſſe iubebat. Officiarij autē pro excuſatione ſui Capitaneo reſpondebant, quod aſſiduis militum querelis fatigati, eorum ſolandorum porrò nullam copiam haberent. Nam & fame longinqua exhauſtos illos, nullis laboribus porrò ferendis aptos eſſe. Tum & ſuſtinendis diutius imbribus impares, obſtinatè eos ſibi propoſuiſſe, quamprimum in Oceanum auſtralem peruenirēt, deſertione facta ſcaphis aufugere. Nauē enim iam vſque adeò deſertam eſſe, vt nullo dubio breui peſſum itura ſit. Hoc reſponſo audito Capitaneus quidem tum temporis acquieſcere ſe fingebat: ſed cum tempore faciendarum precum poſteà congregati omnes eſſent, hac oratione eos compellare cæpit.

Capitaneus militibus articulos iuramenti recitat.

Capitanei ad milites oratio.

Quantis, ô ſocij, tum laboribus, tum periculis ac impenſis nos quidem per fretum hoc in Oceanum auſtralē traiiciētes huc denuò reuoluti ſimus, veſtrum nemo eſt, qui ignoret: adeò, vt, quod nōnullorum indiciis de vobis mihi nunciatum eſt, verum eſſe credere haud facilè queam. Mei tamen debiti ac ipſius rei grauitate motus facere non poſſum, quin ſignificem vobis, ſuſurris ad me haud obſcuris relatum eſſe, quod inter vos milites quidam refractarii & rebelles ſint, qui cæteros ad labores & obuia pericula ſuſtinenda promptos ac alacres, ſeducant, &, vt fuga elabentes domum redeant, proteruè ſuadeant. Quod ſi quidem verum eſt, Deus, qui tot iam periculis preſſis manifeſtā & ſubitaneam nobis opem multoties attulit, cauſam hāc videat & iudicet. Mihi tamen hactenus perſuaderi minimè potuit, è vobis quemquam eſſe, qui tot tantiſq; iamdum exantlatis laboribus ac miſeriis, nūc demum fracto animo ſuccumbat, nulla cura habita illius doloris ac diuidię, quam Generalis, qui ſummo nobis vniuerſis ſtudio ſemper fauit, ex abſentia noſtra percepturus ſit, dū per nos vniuerſa inſtituta nauigatio hoc pacto annihilaretur, & is incaſſum noſtrum aduētum ſibi polliceretur. Qua ſodes induſtria, quo prætextu noſtrum in patriam reditum velabimus, ſi iuſiurandum ſanctè præſtitum, temerario periurio ſceleratiſſimè violauerimus? Quo tādem loco vel Angli vel Hiſpani vel quicunq; alij exteri Hollandos, ſulcādo Oceano veluti natos habituri ſunt, ſi nos integræ hyemis iniurias conſtāti animo toleraſſe, & nunc æſtate appellente demum in patriā reditum molitos audiant? Non ea tempeſtatum & procellarum perpetua duratio erit: ſed cum Sol iam ad ſummum conſcenderit, dieſq; longiſſimi ſint, ſpes eſt fore, vt ſerenitas aëris & tempeſtatis commoditas breui tandem nobis iterum effulgeat. Patienter ergo tantillum

moræ feramus, Deumq; Opt. Max. rogemus, vt felici ſuo nutu curſum noſtrum expeditiſſimè dirigat. Me quidem quod attinet, dum hos artus ſpiritus moderatur, domum reuerti prius non ſtatui, quàm iter ſemel inceptum feliciter, aut certè quomodocunque confecero. Quin & mori mihi procliuius erit, quàm cum dedecore curſum reflectere. Id quod de me vobis penitus perſuaſum ſit.

Sed hoc ſcitote tamen, me primũ quemuis, porrò reditus mentionem vllam facturum, crudeli mortis genere obtruncaturum eſſe. Quanquã non dubitem datæ veſtræ fidei vniuerſos vos & memores & tenaces poſtmodum futuros. Exemplo vobis ea ſocietas ſit, quæ Fidelitatem nauem tanto affectu tuetur. Huic enim vel mori prius obſtinatum eſt, quã curſum cœptum non animosè proſequi. Quod ſi pauciores iſti continuandæ nauigationis tam tenaces ſunt: quid vos amabo non deceat, quorum & numerus & apparatus maior eſt? Reuerſionis ergo meditationem longè ex animis ac pectoribus veſtris exigite. Sed & hoc ſedulò cauete, ne pronas ac hiantes aures iis præbeatis, qui ignauiores reditum vobis quandocunque ſuaſuri ſunt, ne vno eodemque cum ipſis ſupplicio abripiamini. Periurorum enim loco iſti mihi vniuerſi erunt, & pœna æqualis vtroſq; nulla exceptione manebit.

Hæc vobis, boni commilitones, ita in genere proponenda duximus. Quãquam & id malim credere, indicium hoc de vobis ad me fictum relatum potius, quã in rei veritate huiuſmodi querelas à vobis agitatas eſſe. Hoc tamen fine à vobis meam hanc orationem accipi volo, vt nihil quicquam dubitetis, quin morigeros & induſtrios certis præmiis cohoneſtaturus, rebelles verò ac contumaces merita pœna vindicaturus ſim.

Hac Capitanei oratione coorta ſeditio quodammodo ſedata, militibuſque abiectioribus quaſi nouus animus additus eſt: ſed is ſtatus non admodum diuturnus erat. Nam tædium & rebellio militum paulò poſt recruduit: ita, vt Capitaneo prouincia hæc duriſſima incumberet, cum tam paucis procliuibus tot onera, tot negotia confecta dare. Et niſi Fidelitatis nauclerus huic naui tam tempeſtiuum ſubinde auxilium attuliſſet, haud dubio eadem multoties in ſaxa ac littora illiſa fuiſſet. Sed iniurias ac proteruiam hanc diſſimulare, locus & tempus inſtans, vt maximè cogebat. *Militum ſeditio quodãmodo ſedata.*

Tẽpeſtas interim fera, ac crebri imbres, procellęq; frequẽtes, è mõtanis violẽter irruẽtes nihilo minus cõtinuabant, adeò vt naues totas euerſum iri, ſingulis propè momentis videretur. Quod ſi eo loco fluctuũ vis liberè vagari potuiſſet, nullis certè vſpiã aut anchoris aut aliis quibuſcũq; machinationib. naues ſeruare licuiſſet. Itaq; ꝙ fluctus quietiores eſſent, vẽtorum infrementiũ vis nõ tantã formidinẽ ciere poterat: qui tamẽ 3. Nouemb. tãto impetu & cõcitatione irruerũt, vt

Fidei funes rumpuntur.

Fidei tres funes, quibus è terra religata erat, rumperentur. Et licet anchora quidem pro ſiſtenda & firmanda naue expeditius mitteretur: ſeruari tamen ab illa non potuit, ſed violenter in breuia compulſa eſt.

Cum autē circa veſperam procellarum fremitus nōnihil remiſiſſet, Capitaneus de Cordes periclitanti de VVeert nauclerum ſuum cum aliquot nautis auxiliatum miſit, quorum induſtria nauis facilè rurſus extricabatur. Hanc ergo funibus longè valentioribus de terra religatam iterū obfirmarunt. Hæc dum iſthic fierent, Fidelitatis etiam intereà rudentes, quibus de terra fixa erat, procellarum violentia rumpebantur: quæ ob id periculo tentabatur haud leui. Sed quod illicò tres anchoras promptas iactaſſent, declinato nonnihil infortunio ibi vſque ad poſterum diem nauem continuerunt, donec funibus reſartis eandem iterum de terra firmarent & ſiſterent.

Hac in ſtatione quamdiu morabantur, commeatus nihil deſiderabant. Conchis enim ſinus omnis refertus erat. Quas licet propter crebras pruinas milites ægrè quidem legerent, præſente tamen Capitaneo perplexari nihil audebant, quod ipſemet cum illis ſubinde egrederetur, & neceſſaria quæ eſſent, accuraret ac conueheret.

Porrò cum nonnulli rationibus coactis (licet penarium condum ipſum non conſpexiſſent, cui Capitaneus cum archimagiro ſcribam ſuū Arnout Houdæen inſpectorē conſtituerat) affirmarent, fieri minimè poſſe, vt cum tantillo penu diutius ac longius procederetur: Capitaneus, vt hunc quoque ſcrupulum ſuis commilitonibus eximeret, in cameram ſeu cellam ingreſſus, apparatum præſentem cum futuro tempore ſupputauit. Et licet à verò haud multum abeſſe milites videret: nihilominus tamen egreſſus, ad ſocios præſenti animo, pro quatuor integris menſibus panem ſufficientem adhuc ſupereſſe, edixit. Bono ergo omnes animo eſſe iubebat. Quicquid tamen ſit, præcisè ſibi conſtitutum eſſe aſſerebat, aut ventum commodum expectare, aut hoc non impetrato, in Indiam Orientalem ad claſſi redeunti occurrendum pertendere. Quæ verba ideo præcipuè repetebat, vt reditus omnem ſpem ex animis ſociorum elideret.

Die 2. Septembr. Caurum adepti flantem ſunt. Qui etſi in ipſo quidem ſinu non admodum validus eſſet: curſui tamen continuando non inidoneus videbatur. Magna ergo velocitate attractis anchoris, & funibus reſolutis, vela adornarunt, vt cum dicto vento in Oceanum auſtralem pergerent. Dum ergo hæc ſedulò agitarent, propter implicitos permixtoſque varios ventos intra ſcopulos frementes, ac ipſius ſinus anguſtiam, loco iſto ne tantillum ſe emouere quidem valebant. Quin & in medio iſto conatu Capitanei de

VVeert

VVeert nauis verſus terram tam propè proiecta eſt, vt Capitaneus altero pede in exteriori nauis pergula ſtans, altero ipſas littorum crepidines attingere poſſet, periculo certè vniuerſorum non leui, ſi venti violentia maior & concitatior fuiſſet. Nec ſe inde quidem vllo extricare iterum niſu potuiſſet, niſi Capitaneus de Cordes tempeſtiuè appuliſſet, qui binis totis horis è ſinu exitum molitus, tandem tamen infecta re intrò redire coactus eſt. Communi ergò opera nauē à terra iterum diſpulerunt, & in tutiora loca ſtatuerunt.

Cum verò Capitaneus de VVeert apud Fidelitatem ſe iam contineret propius, citra anchorarum opem ſolo fune, de terra firmato, nauem figebat, quod nec vllus ventus ſpiraret, & nec anchoras iacere illic ipſi volupe eſſet. Nam diutius in eo ſinu morari omninò nolebat. Poſteà circa meridiem vtræque iunctim naues è ſinu iſto (quem clauſum aut obſeptum nominarant) egreſſæ ſunt, euidenti ſanè Fidelitatis periculo, quæ in cautem validè impegerat. A qua tamen illiſione nihil damni accipiebat. *Sinus clauſus.*

Circa veſperam etſi cæcias ſpiraret minimè placidus, nocte tamen iſta anchoras haudquaquam mittere volebant. Itaque paulo poſt, horis aliquot elapſis, ventus in ortum perflabat: quo animaduerſo lætati ſunt haud tenuiter, gaudio certè non admodum diuturno. Nam vbi dieſceret, zephyri cum cæciis tam validi & impetuoſi perflare incipiebant, vt cōtractis velis, ſolis ventorum inſultibus ducti in latus auſtrale ſecedere cogerentur, vt ibi ſinum aliquem tutum & idoneum reperirent.

Interea autem, priuſquam ſentiret, Fidelitas terræ vicina erat: adeò, vt de damno ſecuturo haud parum timeret. Dum tamē de terra iterum erueretur, ſcapha inter proram nauis & terram acta vehementiſſimè concutiebatur: quæ ab eo incuſſu quoque peſſum itura fuiſſet niſi reſtio Sander Sanderſz continuò in eam inſiliiſſet, & eam tandiu nautea exoneraſſet, dum in nauem altius attolleretur. Quod dum fieret, ſors aduerſa eum ipſum corripuit, qui declinandæ eius cauſa tantopere laborauerat. Cum enim reſtio in exigenda vnda admodum ſtrenuus eſſet, fluctuū impulſu è ſcapha is repente exturbabatur, vt auxilio ferendo nullus locus eſſet. *Reſtio in mare excutitur, peritque.*

Porro ergò trium milliarium ſpatio à loco priore ſecedentibus nauibus, Capitaneus de VVeert 25. paſſibus anchoras figebat. Sed Capitaneus de Cordes vnius milliaris interſtitio in eodem ſinu poſt humilem quendam angulum 26. paſſibus nauem ſuam tendebat. Poſtero die, nempe 4. Decemb. Capitaneus de VVeert, cui, quod tantis à ſe interuallis diſtarent, non placeret, ſcapha ſua ad Cordes deſcēdit, de loci ratione, an ſuæ quoque naui commodus eſſet, diſpecturus. Sed inidoneo eo inuento, Cordes Capitaneum de VVeert rogat, vt ſuam ſcapham, pro quærendo in littore cibo, ſibi aliquantiſper vſurariam faciat. Quod etiam facile impetrat.

Die 6. procellis iterum concuſſi tam rapidis ſunt, vt Fidei funis anchorarius rumperetur, ipſaq; anchora in fundo relinqueretur. *Anchora Fidei frangitur.* Alia ergo miſſa & iacta, poſtero die de illa eruenda cum ſtudioſè ab omnibus laboraretur, cæpit repente de nouo tempeſtas tam valida ingruere, vt ſimilem prius non experti ſint. Ventorum enim fremitu maris vnda tam altè attollebatur, vt antennas etiã multoties feriret. Quæ procellæ, cum biduo integro durarent, Fidei funis anchorarius continua ſuccuſſatione maximoperè obterebatur, magno Capitanei mœrore, vt cui is ſolidus funis ſolus iam ſupereſſet. Nihilominus tamen vſq; ad 10. diem iſta aduerſitas ita toleranda erat.

A meridie, cum tempeſtas tranquillior eſſet, Capitaneus de VVeert ad Capitaneum de Cordes abiit, vt de ſtatu eius ſciſcitaretur, *Fidelitas deſideratur.* & ſcapham ſuam ſimul ſecum adduceret. Sed cum prædictũ angulum obiens, illum nullibi proſpectaret, magno mœrore cõcuſſus, & varia animo ſuo ſuſpicatus, ad nauem ſuam redit, poſtero die vniuerſos ſinus angulos eius quærendi cauſa peruagaturus.

Nocte ergo illa variis cogitatibus ac conſiliis exacta manè, etſi tum venti tum pluuiæ incumberent, cum populi ſui maxima parte egreſſus, poſt longam tandem nauigationem in decliuem quendam angulum incidit, ex quo, magno omnium gaudio, ſummitas nauis *Fidelitas reperitur.* deſideratæ eminebat, quæ poſt Inſulã quãdam ſeceſſerat, & ex ea funib. firmabatur. Cum ergò Capitaneus propius ad ipſam cõtendere anniteretur, auſum hunc gubernatores incõſultum arbitrati ſunt, quod ventis idoneis inde redire non liceret. Nihilominus tamẽ hortatu Capitanei proceſſum eſt. Ibi ergò cognouit, qua cauſa pulſi, deſerta ſtatione huc ſe potiſſimum recepiſſent. Recenſebat enim nauclerus, quomodo 5. Dec. elapſo anchoram ſuam perdidiſſent, & ob id ne in breuia illiderentur, ſtatione antiqua excedere coacti, poſt Inſulam hanc excubuiſſent. Eo nuncio accepto iam Capitaneus lætior, 11. Dec. ad nauem ſuam redit, apud Cordes ſcapha relicta, qua in perditę anchoræ recuperatione vteretur. Sed tum temporis, ſe ſociam Fidelitatem iam nouiſſimam videre, nihil quicquam ominabatur.

Cæterũ, cum propter crebras ac diuturnas procellas, & anchorarũ perditarum iacturam, rudentũq; ac funium inopiã, ac tum famis, tũ frigoris, laboriſq; continuam exacerbationẽ nautæ animum iterum deſponderent, ac mortẽ ipſam ſibi imprecarẽtur, ideò cõprimis, quod ob panis penuriã tandem omnib. moriendũ eſſe augura-*Capitaneus conuiuio ſocios excipit.* rẽtur: Capitaneus repertæ ſociæ nauis gaudiũ prætendẽs, poſtero die conuiuium indicere ſtatuit, ad quod vniuerſos ſanos inuitaret. Nam in binis nuper excurſibus factis, anſeres ac anates & aues aliquot alias cæperat. Hanc verò occaſionem ſibi parabat, vt populum eo commodius ad patientiam adhortari, ac de nouo animare poſſet. Dum ergò genialiter omnes epularentur, cæpit de fideli præſtita opera ipſis ex ordine gratias agere, & beneuolentiam omnem

omnem ſuam viciſſim deferre, & obſecrare, vt in propoſito laudabili iſto porro quoque obdurarent, deumque de ſucceſſu commodiore & optatiore precarentur, vt cuius auxilium opemque paternam hactenus in ſummis periculis ſemper promptam impetraſſent.

Conuiuio exacto dimiſſis mandauit, vt ſeſe ad ciborum venationem pro more iterum accingerent. Intereà & ipſemet ſe ad excurſum inſtruebat. Cum verò in angulum quendam occidentalem incurrerent, tres Canoas hominibus ferinis plenas conſpiciunt. Qui cum ſcapham appellẽtem vidiſſent, in terram ilicet exilientes, montium præcipitia cercopithecorum more agilimè inuaſerunt.

Ferinorũ hominum tres Canoæ.

Hos cum Capitaneus aliquantiſper fruſtrà inſectatus eſſet, ad canoas poſteà eorum perrexit, vt, quid iis veherent, videret. Præter vero mergos ſeu vrinatrices, & hamos ligneos, & ferarum vellera, nihil inuenit. Quibus in canois relictis, iunctim in terram exilierũt, quæſitum, an ex feris aliqui ſe fors alicubi occultaſſent. Dum ergò quoquouerſum procederent, ad pedem montis fœminã cum duobus liberis admodum feſtinantem offenderunt, quam ob id in canoarum vnam comitibus liberis abduxerunt, nullum vſpiam commotionis ſignum præbentem. Hanc in nauem allatam quid ageret, valdè curioſè obſeruarunt. Sed mœroris aut conſternationis ne minimum quidem indicium exhibuit. Hæc membrorum conſtitutione mediocri erat, ventrem prominulum ac propendentem gerens, corpore rubeo, geſtibus agreſtibus & iactabundis, capillis atris, quos conchis ob defectum cultellorum, ponè reſecare ſolent. Nam in capite anteriore eoſdem vſque ad aures enaſci ſinunt. In quibus hoc ſingulariter notandum videtur, quod crines viri non radunt, ſed eoſdem promiſſos geſtant, fœminis contrarium in more habẽtibus.

Hollandi fœminã barbaram cum duobus liberis capiunt.

Barbarorum, viri non radũtur: ſed fœminæ.

Mundi ac ornatus loco conchulas ex collo ſuſpenſas gerebat, dorſum hirſuto vellere, fidibus ex inteſtinis factis in collo anteriore colligato veſtita. Cætero corpore omni nuda erat. Mammæ eius inſtar vberum vaccinorum pendulæ eminebant. Ore diſtorto ac vago, cruribus intortis, ac calcibus longe exertis erat. Coctos cibos nullos edebat, etſi Capitaneus ipſi apponeret. Cum verò ex canoa auis afferretur, eam pennis maioribus deplumans, & teſta à dextra ala per medium pectus vſq; ad anum diuidens, viſcera extrahebat, bilis folliculum, ac inteſtina & cor abiiciens. Hepar verò obiter ſaltem ſuper flammis torrens, id auidè vorabat adeò, vt cruor è labris exundaret. Porrò ventriculum arripiens, & ciborum reliquias exprimens, extremitatem alteram dentibus, alteram læua præhendit, ac lignorum ramentis (qualia canois ſuis ſemper ſecum vehunt) ventriculum bis térue perfricuit. Quem poſteà ſuper flamma modicè calefactum, vt anteà hepar, confertim ingurgitauit. Reliquum auis corpus dẽtibus mordicus carptum, tãta abominatione dilacerauit, vt emanans cruor per decliue pectus fluitaret. Eodem geſtu in fantes quoque de

Barbaræ fœminæ deſcriptio.

aue

aue guſtabant. Ex his natu grandior, quatuor annos cum ſemiſſe habebat. Alter minor ſemeſtris, non ſolum dentiū ordinem integrum oſtentabat; verum etiam quocunque lubitum eſſet, expeditè ambulabat.

Semeſtris puer ambulat.

Hoc ferè ritu epulabantur, vultum aſſiduè tam ſeuerum promentes, vt nec effuſiſſimo militum cachinno in riſum vel ſemel agerentur. Cibo ſumpto, in calce conſidebat fœmina. Dormiens tota incuruata iacebat, ita, vt genua ori vicina eſſent, & infans vberibus admotus ex pectore dependeret.

Fœminā hanc, cum propter aduerſam tempeſtatem integro biduo ſecum retinuiſſent: Capitaneus mandauit, vt die 14. dicti mēſis rurſus in terram efferretur, vna cum ipſa iis quoq; euectis, quæ à Capitaneo donaria acceperat. Hæc verò erant, pectorale, cum manicis detruncatis, ad genua vſq; demiſſum, ac induſium, ac vitta, cum corollis aliquot, ac vno ſpeculo, cultroq; & rebus vilibus aliis. Quæ omnia admodum geſtiens accipiebat. Minor etiam infans tunica ex panno viridi ſarta, vt & corollis aliquot precariis induebatur.

Cum verò ſignis & nutibus datis intelligeret, infantem maiorem, filiam ibi relinquendam eſſe: id ſibi nō admodum quidem placere innuit, ſed tamē nihil difficultata in ſcapham deſcendit, & cum militibus verſus terram tetendit. Cum qua poſtquam in terram egreſſi eſſent, præter veſtigia quædam à Barbaris relicta, nihil repererunt. Ideoque citra moram ad nauem redierunt. Quam, cum vix ingreſſi eſſent, cæcias infremere repentè tam violentus ac furibundus cæpit, vt omnia elementa in nauis euerſionem & oppreſſionem coniuraſſe alicui videri potuiſſet. Nam & vndæ ſupra nauem tanto incurſu collidebantur, fluctuumq; æſtus tanto impetu eam conuerberabant, vt, quin ſuprema ima fierent, parum deeſſet.

Mira tēpeſtas in ſinu.

Hoc diſcordi ventorum prælio, fune anchorario iterum rupto, iam in breuia violenter nauis compellebatur, adeò, vt etſi quidem anchoram nouam iacerent, ipſa tamen neutiquam firmari poſſet. Vnde in periculo extremo conſtituti, cum præter anchoram vnam, ſine fune in naui iacentem, nihil reliquum haberent, velum quoddam paruum patefecerunt, quo angulum illum ambire conarentur, vnam ſortem eſſe rati, aut in obuios ſcopulos illidi, aut diutius in iſtis vndarum furoribus agitari. Tandem tamen miſericordis Dei gratia, maximo labore ex ſinu iſto (quem ob id infelicem nominabant) elapſi ſunt. Pro quo immenſo beneficio, Deo gratias debitas promebant. Vix è ſinu extricati, die 14. Decemb. illicò iterum quatiebantur fluctibus, adeò vt conſilij iam copiam nullam haberent. Nam & iam veſpera ingruebat, & anchora ſuo fune orba erat. Sed & portum aliquem quærere, ideò fruſtraneum videbatur, quod anchoram vnam ſaltem, eamq; nudam haberent, cum tamen alias quatuor anchoris firmatæ naues ſatis tutæ non fuiſſent. Porro, vt per nocturnas tenebras

Sinus infelix.

bras

bras ventorum violentia quoquouerſum ſe agitari paterentur, multò minus conſultum erat. Tandem ergo in tot tantiſq; ærumnis id vnum factu cōmodiſſimum cenſebāt, vt vento idoneo eum ſinum incurrerent, quem Capitaneus de Cordes nuper occupaſſet, in freti medio 14, aut 15. paſſus profundum. Eius enim conditionem iam ante perſpectiſſimam habebant, ac intereà ſe anchorā ſuam inſtruere cōmodius poſſe cenſebant. Hūc ergo ſinum in latere auſtrali ingreſſi ſunt, vt à naue Fidelitate promptius conſpici poſſent. Ad cuius fauces ſeu introitum cum diſploſo tormento ſignum dediſſent, à Capitaneo de Cordes ſimili ſigno reſponderi ſibi, clare obaudiuerunt, ac ob id multò confidentius pergere cæperūt. Etſi verò vnicum ſaltem, idemq; paruum velum tetendiſſent, nauis tamen propter violētum ventorum impetū tanta concitatione proferebatur, vt ſcapha, quam duobus funibus nauis quadamtenus retardandæ gratia ponè religaſſent, iis ruptis auelleretur, & vnà cum anchora iactatoria à naue longiſſimo interuallo diſpelleretur. Quam ab eo tempore nemo quiſquam deinde vnquam conſpicatus eſt.

Fides Fidelitatē quærit.

Fides ſcapham cum anchora perdit.

Hoc ergò recenti infortunio iam omnis ſolatij copia ipſis præcidebatur. Nam nec in terram commodè appellere, nec in alto vllas anchoras iacere poterant. Has ærumnas ex ſe grādes nox quoque ingruens inſuper cumulabat. Nam cum intra binas terras medij verſarentur, metus erat, vt aut à tramite recto deuiarent, aut in ſcopulos ac cautes alicubi impingerent. Deus verò ſummè miſericors in his periculis ſua ope illis iterum aderat, ita, vt exoriente die ante ſinum optatum verſarentur: quem ob id expeditè incurrebant, vt Fidelitati deſideratæ propius iungi poſſent. Hoc die è fundo nauis anchoram ſuam poſtremam efferebant, vt binas, eaſq; ſolas, iam ſuperſtites vſurparent.

In ſinu commorantes, cum in terram exeundi, & cibaria neceſſaria quærendi occaſionem nullam ſcirent; poſtero die 16. Dec. ex parte Orientali ſcapham quandā ad ſe properantem conſpicati ſunt, quam à Capitaneo de Cordes ſocios quæſitū emiſſam nonnulli cenſebant: Alij è claſſe iam redeunte præcurſoriam miſſam putabāt: quidam illam Anglicam arbitrabantur: cæteri (quorū ſentētia vera erat) Generalis Oleuier ſcapham eam eſſe exiſtimabant, qui nauclerum ſuum (vt poſteà compererunt) cum viceAlmirante Iacob Claeſz emiſiſſet, ſpectatum, vbi Fides quam trium milliarium ſpacio angulum ſinus prætercurrere vidiſſet, cunctaretur.

Cap. ſcapham videt.

Hoc ergo inſperato acceſſu non parum exultabant, iam certam ſibi à Generali opem pollicentes. Itaq; Capitaneus poſtquā eos cum ſingulari gaudio accepiſſet, ꝙ tā obeſo ac bene habito corpore eſſēt, haud leuiter admirabatur, cū ſui tamē milites admodū ſtrigoſi ac deformes exiſterēt. Sed mirari tamē facile omittebat, quā primū ſecum animo euolueret, quod integro anno nihil ciborū refocillantiū acce-

Generalis Oleuier ſcapha ad Capitaneū venit.

FF piſ-

piſſent,& vniuerſo iſto tempore perpetuis laboribus, frigore, madore, ærumniſq; aliis miſerè exerciti tabuiſſent: cum tamen intelligeret, alteros non ſolum nullius rei inopia vnquam laboraſſe, verum ciborum neceſſariorū copiam ſemper promptā ac paratiſſimā habuiſſe.

Quid Oleuier fortunæ habuerit. Iidem etenim primo recenſuerāt, ſe in mari Hiſpanico duas Buſchiacas naues, piſcibus oneratas offendiſſe, ex quib. quæcunq; ſibi vſui fuiſſent, exemiſſent. Tū & in Porto Deſir, vbi hyberna egiſſent, iuxta Inſulam quandam à continenti ternorum milliariū interuallo diſtantem ingentem piſcium marinorū, ac pinguinarū, ouorumq; copiā ſe nactos eſſe: de quib. ſale conditis vel dum hodiè adhuc viuerent. Ibidem ſe quoq; vberrimā aquam hauſiſſe, & naues neceſſariis aliis omnibus opimè inſtruxiſſe. Porro ſe curſum ſuum in fretū deflexiſſe: in quem cum 25. Nou. incurriſſent, paulò poſt tamen vnda augeſcente inde ſe emotos iterum fuiſſe, & biduo exacto in Pinguinis Inſulis, 15. milliaribus intra fretū ſitis, anchoras feciſſe, ac ibidem cum ferinis ſeu Barbaris prælio conflixiſſe, eorumq; 25. vindicandorum trium militū, pridem ab ipſis cæſorum cauſa, obtrūcaſſe. Commemorabant etiā, quanto robore ac animo Barbari ſeſe tutati eſſent. *Barbarorum in prælio ferocia.* Inter quos fœminā quandam, excuſſa glande in pede conſauciatam, in genua incumbentem telis mittendis tam diu inſtitiſſe, dum altera miſſa glande penitus occumberet. Ibi ergò præter ſex filios, quos Generalis nouitatis gratia in naues recepiſſet, neminem viuū relictum fuiſſe. His pro corollario tandem addiderant, ſe in illarum Inſularum maxima vltra 2000. pinguinas cæpiſſe. Quo ſermone eſurientes militum ventres vſq; adeò inflammabantur illico, vt nemo eſſet, quin ſe in illa Inſula verſari optaret: pleriq;, etiam Capitaneum, vt tantilla via ad Inſulam illam pergeret illico, aperte hortarentur. Sed obſtinate Capitaneo conſtitutum erat, à Generali ne latum quidē pedem recedere, aut cibi quærendi cauſa aliò deflectere.

Sequente die Generalis Oleuier ipſemet ad Capitaneum perrexit, ac eidem neceſſaria vniuerſa ac paratiſſimā opem pollicitus eſt, curaturum ſe addēs, vt tignarij pro Capitaneo ſcapham primo quouis die extruerent, & deinde claſſis vniuerſa diſpecta prima opportunitate Capitaneo iungeretur. *Claſſis iterum conuenit.* Die ergò 18. Dec. vbi cum ingenti gaudio omnes conueniſſent, Generalis Capitaneum amplo & votiuo conuiuio acceptum lautè tractauit. Porro verò inde 20. Dec. vento vulturno ferente vna ſoluerunt.

Vno ergò comitatu cum iam tribus vel quatuor horis vela feciſſent, Capitaneus Generalē rogabat, vt ſibi ſcaphā ſuam cū quinq; militibus mutuo dare velit, qua ſuæ naui addita naues cæteras aliquanto anteuertens, Capitaneum de Cordes quæreret, eumque de cæterorum aduentu præmoneret, vt paratis omnib. cum claſſe tranſitura citra morā pergeret. *Capitan. de VVeert Cordes quærit.* Cui cum Generalis facile aſtipulatus eſſet, ac ille abiiſset: vento de ſubito mutato, ac ex medio ſeptentrione occaſu-

caſuq; perflante, cũ in aluei medio verſaretur, anchoras mittere coactus eſt, vice Almirãte dimidij milliaris interuallo à cæteris nauib. remoto. Poſtero ergo die, cũ attractis anchoris ipſum inſecuti eſſent, nocte illa octo paſſuũ ꝓfunditate in fundo ſabuloſo vnà cõſederũt.

Is locus cum non admodum tutus videretur, 22. Decembris ex eodem iterum ſoluerunt, ac in ſinum quẽdam paruum, ab equeſtris milliaris vnius ſpacio abiacentem, incurrere anniſi ſunt. Interim oberrans Capitaneus, in humili quadam Inſula, quam iam ante quoq; præteruectus, nullis Barbaris cultam ſciebat, diſcretos duos ignes fulgere animaduertit. Quæ ſigna cum à Capitaneo de Cordes ibi edi arbitraretur, ob id ad locum illum feſtino pertendit. Sed egreſſus pręter ſigna tamen nihil inuenit, adeò vt infecta re inde rurſus abſcedere cogeretur. Quod verò ſcapha illa, quam à Generali acceperat, admodum putris & carioſa eſſet, vt quæ biennio integro ne ſemel quidem emundata fuiſſet: cum cæteris claſſis nauibus æquali curſu certare non valebat. Iſtis ergò ſinum equeſtrem attingentibus, Capitaneus cum reflua vnda ad priorem ſtationem, vnde egreſſus erat, omninò recurrere opus habebat. *Cap. à Generali iterum diſſociatur.*

Poſtero diluculo ad Generalẽ pertẽdere, ſedulo anniſus eſt. Sed cum cæcias valdè importunus flare inciperet, denuo retrocedere coactus, circa meridiem fortunam iterum tentauit, ac ad claſſem tam prope actus venit, vt tormentis ſeſe inuicem contingere poſſent, propter tranſitus tamen anguſtiam, & ventorum ex ortu & occaſu violentam colluctationem, qua vortices tam turbinei ciebãtur, vt quoties perrupturus eſſet, toties violenter retropelleretur, coniungi omnino claſſi non poterat. Die 24. Decembris cum tempeſtas iam pacatior eſſet, ipſiq; ex alueo eluctari iterum tentarent, operã omnem fruſtra impenderunt. Nam breui iterum increſcentibus fluctibus inde in ſtationem veterem retroacti ſunt. Cum ergo iam animaduerteret Capitaneus, contra fluctus dimicare, adeoque ad claſsem penetrare ſibi rem difficilimam præſtitu eſse: mutato primo conſilio ibi ventum commodum ac vehentem expectare ſtatuit, ne fruſtraneis laboribus ſuos nautas penitus conficeret. Interim vero Generalis 25. Decembris ad portum optatiorem quærendum ſoluens, è Capitanei conſpectu ſe extulerat. Is ergo iam omni ad claſsem redeundi ſpe orbus: cum ſine ſcapha nauigare inidoneum ac inconſultum putaret, conſilium cæpit, ſcapham ſuam, quæ in alueo nauis erat, grandiorem facere, & contra quoſcunq; inſultus munire. Qua fabricata, cum intereà Aparctias cõmodus ſpirare inciperet, attractis anchoris, vela vẽtis iterum credit, fiducia haud parua, ad minimum prædictum ſinum paruum obtinendi, in quo commodiora omnia præſtolari poſſet. Hoc itaque vento vſq; in ſinum equeſtrẽ procurrit: in quo cum propter minantes procellas conſidere minime tutũ videretur, ſpe alterius ſinus occupandi, porro tetendit. Ventis interim ſubinde augeſcentibus ac cõcitatius inſultãtib. malus anterior adeò

Cap. irrito niſu ad claſſem tendit.

Generalis ex conſpectu Capitanei fertur.

Cap. ſcapham nouã extruit.

concuſſus eſt,vt quin deiiceretur penitus,parum deeſſet. Maioris ergò periculi vitandi cauſa ad ſinum deCordes recurrere coactus,eundem circa veſperam attigit.Hoc ipſo in ſinu die 26.& 27.Dec.ex ſeptẽtrione ac occaſu tantæ procellæ infremuerunt,vt ſcapha in littus minimè educi poſſet. Qua re indignabundus populus, iam iterum obmurmurare incipiebat, nec quidem citra euidentem cauſam. Nam quatuordecim integris diebus ſolo pane arido, cõchis priuati,cum modico oleo ſe ſuſtentarãt.Metuens itaq; Capitaneus,vt tumultum ex compacto rem agentes cierent,in conclaue ſuum vniuerſos vocatos his ferè verbis allocutus eſt.

Cap. ſinum de Cordes ingreditur.

Capitaneus cum ſociis deliberat.

Cauſa,cõmilitones ac amici chariſſimi, propter quam huc vos cõgregari voluerim,hæc vna & palmaria eſt, quod haud obſcure intellexerim,inter vos nõnullos eſſe, qui anguſtiis & ærumnis noſtris cõmodum conſilium inuenerint, quod mihi cõmunicare lubenter vellent.Cum verò ſano ac expedito conſilio omninò equidẽ indigeam:id à vobis præſtitutũ non grato ſaltem animo accepturus, ſed ea omninò fidelitate executurus ſum ; vt me boni publici curatorem haud ſomnolentũ viſuri ſitis,etſi vel ab ignauiſſimo quouis veſtrũ id proficiſcatur,modo ad itineris cõmoditatẽ & ſalutẽ facere videatur.

Verumtamen,cum intelligam, veſtris conſiliis vniuerſis nihil aliud quam reditũ in patriam decerni: de eo quid ſentiam equidem, & quam præſtitu id difficile eſſe putem,vobis vniuerſis à me prius explicandum videtur. Scire vos autem in principio velim, mihi, cui nunc ætas ac anni florent, vitam meam quam vobis nihilominus curæ cordiq; eſſe,adeoq; pro eius ſalute curãda me hactenus ſumma & ſaluberrima quæuis operoſè molitũ eſſe.Ex omnib. autem iis,quæ varia meditatus ſum,mediũ nocentius nullum reperio, quã ſi viæ ac laborũ pertæſi pedem referamus,ac in patriã reditum ſuſcipiamus.Id enim ſi ſemel ordiamur ac conemur,nullo dubio vniuerſos nos præſenti morti mancipaturi ſimus. Recuperandi ſiquidem commeatus tantiſper nulla ſpes eſt,dum aut in Angliã aut Galliã redierimus. Cui itineri conficiendo cõmeatus non ſuffecerit quidẽ, etſi ſinguli 4. vnciis panis indies cõtenti futuri ſint, qua tenuitate, victitare nulli poſſibile eſt,tum comprimis,ſi captura concharum ac volucrum finem habeat. Porro etſi quidem alimentis ſufficientibus ſatis inſtructi eſſemus:nihilominus tamen, cum refectoria deſint, ex ſcorbuto vniuerſis pereundum erit, quam primum loca calidiora tenuerimus; cum corporum omnes humores ex crebro ac iugi concharum eſu admodum contaminati ac corrupti ſint, ſicut id à præſenti chirurgo veſtro commodius doceri poteritis.

Contrà verò,ſi oceanũ ſemel ingrediamur, quod octiduo vno ventis idoneis impetrari poterit, tunc rerum vniuerſarum cõmoditatibus frui facilimè poterimus, cum & carnium, & variorum fructuum ibi vbertas ſumma ſit. Et quamuis propter moram hanc,

quam

quam hìc facimus, Generali iterum coniungi minimè poterimus: ita vt vno cum ipſo comitatu Peruana littora occupemus: ad Philippinas tamē aditus nobis latè patet, in quibus nos commodè inſtruere,& obtritas vires recolligere valeamus, dum claſſis onerata ad nos redeat. Adeò vt extrema omnia in hoc freto tentare conſultiſſimum ſit, cum & concharum, ac volucrum, rerumque eſculentarum aliarum (quibus in reditu facto certè carendum erit) nulla penuria aut inopia ſit. Quod ſi quidem in Pinguinas diuertentes inſulas, certam iſtarum auium copiam adipiſci poſſimus: earum tamen non vſque adeò inſignis vſus erit, cum in aëre calidiore non diutius obdurent, ſed ſitu facilè corrumpantur. Sub iſtum itaque rerum ſtatum, quò tandem perrecturi eritis? An acutæ famis gladio vos ipſos tunc crudeles iugulabitis?

Iterum ergò ac denuò, cum omnia exactiſſimè euoluerim, vobis aſſero atteſtorq́; tum ad itineris continuationem, tum vitæ noſtræ conſeruationē id vnicum iam ſupereſſe, vt hac in ſtatione ventos commodos tantiſper expectemus, dum præcurrentem claſſem ocyus conſectari valeamus. Quod ſi ea quidem mora parcius, ac ſolo pane cum auibus & conchis eſitato, viuendum ſit: æqui boniq́ue tamen ea tenuitas à vobis conſuletur, ſi recordemini, qua obedientia & promptitudine Hiſpani, Ductori ſuo Petro Mendoſæ in Rio del Plata, vſque ad extremum ſpiritum paruerint & obſecuti fuerint: qui cum in principio tres panis vncias tātum dietim accepiſſent, poſteà, dum in ciuitate Buones Æeres extruenda occuparentur, portionem adhuc minorem æqui conſuluerunt, ac ſedandæ famis gratia (cum tamen ad naues redire facilè potuiſſent) glires, mures, ſerpentes ac beſtias alias abominandas eſitauerunt. Quo tempore id etiam accidiſſe meminiſtis, quod, cum propter delicta ſua aliquando tres fures ſuſpenderentur, noctu tres alij irruerint, & pro fame ſopienda, pendentium bracchia ac crura detruncarint. Sed inter cætera Hiſpanus quidam Germanum fratrem ſuum, in prædicta ciuitate mortuum, famis atrocitate compulſus vorauit. A quibus tamen extremis, nos diuina gratia, longè adhuc abſumus, nec dubitamus, quin, ſi vel leui quodam vento idoneo iuuemur, claſſem ipſam breui aſſecuturi ſimus. Et hæc mihi ad vos ita declamanda eſſe ratus ſum. Quod ſi è vobis ſit, qui contra iſta, quod inferat, habeat, is apertè rem agat, & cauſam ſuam proponat. Mihi enim vniuerſos melius ſentientes, tam minores quam maiores audiendi certum propoſitum eſt.

Miſera Hiſpanorum fames, in Rio del Plata.

Ad hæc ergo diuerſis diuerſa reſpondentibus, nonnulli autores fuerunt, vt in Rio del Plata rectà vela fierent, ac ibi deſerta naui, ad Luſitanos profugeretur, prætendereturq́ue, quod ab Anglis fugati, nauem deſerere coacti fuiſſent. Contrà alij ſuadebaut, vt commeatus reparandi cauſa in Inſulam S. Helenæ pergeretur. Tandē tamen ſummus gubernator Ian Outerſz in hæc verba prorupit.

Ian Outerſz conſilium.

FF 3 Quantum

Quantum mea equidẽ ſimplicitas fert, Nobilis Capitanee, fides ea, quam nauis patronis ſtipulatus es, inſolita quadam ac inuſitata cæcitate cor tuum præſtringere adeò videtur, vt, etſi quidem vitæ tuæ nondum, vt ais, ſatietas te cæperit, nullo tamen vſpiam periculo abſterritus, volens ſcienſq; præſentaneæ te neci temerarius obiicias. Quæcunque enim longa oratione à te hactenus allata ſunt: eorum contraria certè longè probabiliora ac certiora omnium iudiciis cenſentur. Nã vniuerſis nobis haud dubio miſerè pereundum eſt, quam primum Oceanum auſtralem ingreſſi fuerimus: cum ad cõquirenda in hoſtium territorio neceſſaria nõ ſolũ à militibus ſatis inſtructi non ſimus, ſed nec in maris æſtib. gubernandæ naui ſufficientes ſuperſimus. Quas enim Rex in excubiis illic diſpoſitas naues plurimas habet, hæ nos aduenas leui opera oppreſſuræ ac perdituræ ſunt. Itaq; mirum eſt, quantoperè te veteris adagij memorẽ eſse optem, ꝙ nimis cupidum, nulla re dignum eſſe innuit. Quod ſi nauium patronis cenſum ac quæſtum augere omnino animus eſt: age, vt id præſtemus, iam occaſio gliſcit. Nauem enim, quam nobis crediderũt, à reducibus ſaluam ac integram recipient. Quod ſi reditũ longius diſtulerimus, & hanc & ipſam vitam noſtram nullo dubio vniuerſi perdemus. Quod de cõmeatus in reditu parandi difficultate mouiſti, id cur teneamur, dignum non eſt. Nam in Guinea, quã iam vice quinta nauigationibus adeo, iſtarum rerum omnia prompta copia dabitur. His ſtudioſè auditis, Capitaneus, cui nondum omnia probata erant, reſpondit, ſe, non prius conſulto Capitaneo de Cordes, de his decernere nec poſſe, nec velle. Scapham ergo ſuam è veſtigio expediri iuſſit, qua ipſemet Capitaneum quæſitum excurſurus eſſet. Die 29. Decembr. autem cum nonnullis ſociis egreſſus, cum ſcapham non admodum ſolidam ac firmam eſſe videret, vltimo die ad nauem reuerſus, Calend. Ian. An. 1600. inde in terram, ad hanc arctius cogendam & firmandam ſe iterum recepit.

Anno 1600. Ianuarius.

Circa meridiem per angulum Occidentalẽ ſinus eius, ſcaphas duas curſim ad ſe properãtes cõſpicatus, eas à Capitaneo de Cordes, fors alicubi periclitante miſſas credidit. Iſtis tamen propius admotis, cũ Generalis Oleuier aduehi videretur, Capitaneus ipſi ſignũ dedit, quod in terra eſſet. Ad quem, cum Generalis appuliſſet, ſui aduentus cauſam expediuit, nempe, quod inuſitatis procellarũ inſultibus reuerti, & in ſinum Equeſtrem recurrere coactus fuerit. In quo ipſomet, cum ventus etiam nihilo lenior perflaſſet, tunc ſe binis ſcaphis inde exiiſſe, & ſtationem meliorem captaſſe, ſed in ſinum de Cordes diſpulſum eſſe: ex quo porrò iã excurrerit, viſum, quid & vbi Capitaneus de Cordes ageret. Is ſecum, maſſam glaciei tres aut quatuor pedes craſſam vnà afferebat, quam eo loco auulſam, vbi aliquot paſſuum latitudine glaciem media æſtate rigere, & tamen Barbaros ibi nudos incedere dicebat.

Generalis Oleuier ad Capitaneũ redit.

Glacies craſſa media æſtate.

His

His mutuò ſermone actis, Capitaneus Generalem rogauit, vt, cum veſpera iam appellat, ſecum in naui pernoctare vellet. Cui petitioni cum Generalis annuiſſet, Capitaneus ei in cellam penariam introducto, quantum penoris ac commeatus ſupereſſet, commõſtrauit, vt eo inſpecto, aliquando, ſi opus ac vſus poſcat, tenuitatis eius teſtis eſſe poſſet. Poſtera aurora, Generalis à Capitaneo recedens, omnia ei officia ac opem auxiliarem pollicitus eſt.

Poſt hæc ſcapha Capitanei integrè ac ſolidè ſarta concinnataq́;, ac velis, quibus opus erat, inſtructa, eâ Regiſtratorem ac ſigniferum ſuum cum ſocio alio, nauem Fidelitatem quæſitum Capitaneus amandauit, & ſimul ad Generalem literas perferendas dedit, quibus eum orabat, vt pro duobus menſibus panes, ſuis ſociis impertiretur, ac 10. vel 12. remiges ſuo ſignifero daret, qui iuſta mercedis ſpe emiſſitios iuuarent.

Sed eadem hæc ſcapha, 19. Ian. die ad nauem rediit, quod per tot tamque aduerſos ventos perrumpere, nulla vel extrema induſtria liceret. Nam quinque milliaribus conficiendis iam integrum quadriduum obtriuerant. Hi reſponſorias Generalis vnà ſecum reuehebant, quibus Capitaneus ſolatij haud multum accipiebat. Scripſerat enim Generalis, commeatus ſibi nihil ſupereſſe, cum, quamdiu iter hoc duraturum ſit, exploratum non haberet. Tum & à Barbaris ſociorum duos nouiter obtruncatos eſſe: adeò, vt nec de his aliquos deſiderare commodè queat.

Reſponſo hoc Generalis probè examinato, cum Capitaneus intelligeret, omnia ſua in extremis verſari, & tandem vniuerſis dira fame (vix enim pro tribus menſibus iam panes ſupererāt) pereundum eſſe, niſi certius conſilium caperetur: ad Pinguinas inſulas diuertere decreuit, vt ad minimum 5000. aut 6000. pinguinis captatis nauem inſtruere, adeoq́; hoc pacto diſtribuendi panis compendium facere poſſet, propoſitum tamen ſuum de inſequendis nauibus cæteris perpetuò ratum habens.

Capitaneus de Cordes ad Pinguinas nauigat.

Antequam verò inde diſcederet, literas exarauit, quibus Capitaneo de Cordes ſuum conſilium exponebat. Has ad arboris radices depoſuit, ex qua ſimul tabulam, in qua hæc verba ſcripta erant: Quære infra arborem: ſuſpendit: vt ea lecta, Capitaneus de Cordes aut ad inſulas ipſum ſequeretur, aut eo loco reditum eius expectaret. His peractis 11. die ferente cæcia in Capo Virgine, ex hoc in ſinum Conchiferum, & tandem hinc in Pinguinas inſulas pertenderunt. Die 12. in harum inſularum minimam, vtpote iam antè cognitam, conſederunt. Itaq́; Capitaneus cum 30. viris in terram egreſſus eſt. Quam cum vix primore pede attigiſſent, tantam illicò auium copiam viderunt, vt captandarū ingenti auiditate moti ex ſcapha confertim exilirent. Tribus ergo vietoribus, pro tutela ſcaphę relictis, armis inſtructi palatim per inſulam diſcurrerunt, quod ab Oleuiero ibi aliquot

cæſos

cæſos Barbaros intellexiſſent. Cum verò præter canem nihil offendiſſent: ad cædendas aues conuerſi, earum ingentem copiam breui tempore legerunt. Qua captura dum exercerentur paſſim vniuerſi, præter omnē ſpem calamitas noua, cæteris vniuerſis grauior, exorta eſt. Procellarum enim vis tanto fremitu irruit deſubitò, vt anchora ſcaphæ rupta, & hac in breuia impulſa, priuſquam malo occurri poſſet, vndæ confertim ſcapham miſerè quaſſatam implerent, & quadamtenus mergerent.

Aduerſitas in Pinguinis.

Hic ergo præter certam & indubitatā mortē nemo quicquam aliud ſperabat. Nam citra ſcaphæ opem ad nauem redire impoſſibile erat. Sed nec tignarios, nec inſtrumenta, nec ligna (quorum ibi mera ſterilitas) quibus aut fractam ſcapham reſarcirēt, aut nouam conderent, ſecum habebant. Tum & cibis deſtituti ac orbi erant: & frigoribus adeò rigebant, vt membrorum ſuorum minimè cōpotes eſſent. Nam pleriq; ad emotionem ſcaphę in vndas tam profundè ſe demittebant, vt toto corpore ad collum vſq; madeſcerent. Cæterum cum deflua vnda maximo molimine ſcapha tandē in ſiccum euoluta eſſet: in ea ſecurim, ac inſtrumenta ferrea alia cum clauis aliquot repererunt, quibus ſcapham fractam vtcunq; ſarcire de nouo poſſent.

Intereà nauis cum duobus gubernatoribus, ac tribus aliis ſanis, ſola quaſi in mari verſabatur. Quæ retineri non potuiſſet, ſi vel leuis tempeſtas eo tempore ipſam incuſſiſſet. Cæterum, quod, vt diximus, omnes in inſula miſerè rigerent, in ſcapha corrigenda perrectū ignauius eſt. Tandem verò, cum in omni inſula nulla ligna eſſent, comportatis aſſeribus ignem fecerunt, & in eius ambitu ſtantes, aut conſidentes ſub dio, ſeſe quantum poterant, fouerunt, captatas aues ſemiaſſas ſine pane eſitantes, & vix tantū aquæ, quanta ſiti reſtinguendæ ſuppeteret, habentes.

Inſula lignis orba.

His calamitatibus ac ærumnis noctem eam tranſigebāt, vnius Dei opem cælitus expectantes. Nam ad nauem redeundi iam nulla cuiquā ſpes ſupererat: ſed hoc vnicum expectabant, vt primo nauem in littus ac breuia incuſſam poſtea funditus pereuntem ſuis oculis viderent: deinde vnum poſt alterum crudeli fame in inſula miſerè cadentem & expirantem contuerentur. Etſi enim auium ibidem nulla penuria eſſet, tamen his ſolis eſitatis diu ſanitatem protrahi poſſe minimè videbatur. Capitaneus ergo frequenter id vnum optabat, vt ſocij vniuerſi in naue eſſent, ipſe verò ſolus vitæ impendio infortunia iſta crebra expiaret.

His curis ac querelis iteratis noctem eam, licet breuem, Capitaneus admodum longam exigebat, miſeriam ſuam imo pectore ſingultiens, & exantlata cum tot ærumnis pericula ingenioſè ſecum reuoluens, dolendamq; hominum ac funeſtam ſortem deteſtans, qui eo maximè tēpore, quo florere ac in altum ſurgere incipiūt, demum ruant ac peſſum eant. Tandem verò à querelis ad preces relapſus, ſortem

Capitaneus ſuā miſeriam luget.

tem vt ſuam, ſic ſociorum omnium in Dei manus deponebat, ipſum ex imo pectore rogans obteſtanſq;, vt vel hac extrema in neceſſitate ipſis auxilium ac opẽ afferat, cum de humano omni robore actum ac deſperatum ſit.

Porrò autem exorta luce, Capitaneus ſocios ſuos ad opus tentandum adhortatus eſt: qui tandem ingenti machinatione ſcapham in aridum extraxerunt, vſq; adeo laceram, diſruptam ac diſſolutam, vt ad nauem reuehẽdis ægrè idonea futura videretur. Eodem tamen die, latus ſcaphæ, quod omnium maximè attritum erat, admodum operosè ac induſtriè compegerunt ac conglutinarunt, aſſeres ſarturæ neceſſarios vndecunque diuellentes, & clauos diligenter colligentes: quorum defectui paxillos ligneos ſubſtituebant. Pro cannabe ellychnia ac funes vulſos obturandis rimis adhibebant. Hac ſociorum induſtria & ſedulitate ſpectata, Capitaneus iam trãquillior, noctem ſequentem pacatiorem tranſigebat.

Scapha in terram extrahitur, & reſarcitur.

Sequente die latus quoq; alterum ſarciri cœpit: quo reparato, ſcapha iterum in vndas deducta eſt, nauteam quatuor miniſtris ſubinde exigentibus. Circa diei 14. Ian. veſperam, cum 450. cæſis pinguinis, magno vniuerſorum gaudio & gratulatione ad nauem reuerſi ſunt, Deo ſummo benefactori de ope ac auxilio præſtito ingẽtes gratias fundentes.

Hollandi ſcapha ad nauem redeunt.

Milites autem, priuſquam ſcapham ingrederentur, ferinam fœminam, quæ in Pinguinarum cauerna toto eo tempore, quo in inſula morati ſunt, delituerat, captam adduxerunt. Et hęc quidem ſola ex illis remãſerat, quos Generalis in inſula oppugnatos obtruncauerat: quæ & ipſa iſto conflictu vulnus (quod oſtendebat) grande acceperat. Ea faciem pigmentis tinxerat, & corpus pallio ex pellibus tum pinguinarum tum ferarum aliarum, fidiculis ex animalium inteſtinis factis induſtriè ſartarum colligatarumque contexto induerat, ad genua vſq; propendente. Pudendum ſuum peculiari quodam vellere velauerat. Corpore admodũ procero ac lacertoſo erat. Eadem crines raſos geſtabat: cum viri tamen ipſis promiſſis & longis conſpiciantur, ſicut ex eo colligi potuit, qui occiſus in inſula repertus eſt: cuius caput ac cæterum corpus varij generis pennis pulchrè ornatum, ac tenui reticulo inductum erat. Ex eo ſingularis ornamenti loco reſiccata quædam oſſicula ac lapilli propendebant. Pro armis arcus ac tela habent, quorum extrema ſilicibus acutis præpilata ſunt, qui in factis vulneribus relinquuntur.

Fœmina fera capitur.

Feræ deſcriptio.

Ornatus cæſi inuenti Barbari.

Prędicta fœmina ad Capitaneũ deducta, cũ cultello donaretur, illum valdè geſtiẽs accepit, nutibus ſignificãs, in maiori inſula volucrum longè maiorẽ copiam reperiri, roganſq;, vt in continẽtem proueheretur. Capitaneus verò qui adeũdæ nauis deſiderio flagrabat, relicta fœmina, ſcaphã proferri ac porrò agi iuſſit, in reditu ipſam, quo luberet, expoſiturus. Quam tamen ab eo deinde tempore non vidit.

Die 25.ſereno cælo lucente, ac ſcapha à Gubernatore aptius inſtructa, verſus maiorem inſulam, milliaris interuallo diſtantem perrexerunt, plurium cædendarum auium inſtituto, relictis in naui, qui iam captatas ac exenteratas ſale condirent. Cum attigiſſent inſulam pinguinarum tam largam copiam inuenerunt, vt iis 25. naues commodiſſimè cibari potuiſſent. Harum, cum 900. circiter, in ſcapham duarum horarum ſpatio intuliſſent, ventis iam violentius ſpirare incipientibus, ad nauem redire conſultum viſum eſt. Decreuerat enim Capitaneus poſtero die, ad eundem locum ipſam nauem quoq; quam proximè fieri poſſet, adigere, & eam captatis auibus largiſſimè adimplere.

Cum verò ſequente die in exenterandis ac condiendis auibus vniuerſi occupati eſſent, procellis cæcias tam horrendis infremuit, vt citius, quam tolli poſſet, anchora fune ſolueretur, ac nauis in breuia 4. paſſuum diſiiceretur. Quod cum videret Capitaneus, paruo velo in vicinum angulum excurri iuſſit, vt ibi iuxta terram anchoris miſſis nauis firmaretur. Quod tamen conſilium, cum gubernatoribus non probaretur, non confectum dabatur.

Poſteà Capitaneus ſignificauit, cum tam paucis pinguinis Oceanum de nouo tentari tutum non eſſe. Conſultum ergo ſibi videri dicebat, vt denuò ad inſulam acceſſus tentaretur, & nauis pluribus auibus oneraretur. Sed prius quam deſæuiret tempeſtas, iam ab inſulis longius diſpulſi erant. Capitaneus ergò cum iam de inſulis denuò adeundis deſperaret, noua diſpenſatione inſtituta ordinauit, vt cuilibet indies panis libræ quadrans porrigeretur. Poſteà diei 17. aurora prodeunte, cum ventus Orientalis perflaret, leuatis anchoris circa meridiem ad maiorem pinguinarum inſulam iterum appulerunt, ac nouæ auium capturæ ſe accinxerunt, etſi ſcapha admodum fragilis & corrupta videretur.

Pinguinarum deſcriptio. Hæ aues, quarum formã, rationem ac naturam nondũ deſcripſi, Pinguins ſiue Pinguinę nominantur, propter pinguedinem, quæ ipſis natiua eſt. Ex his annoſiores, 13.14. aut 16. libras pendent. Iuniores verò 8. ac 12. librarum pondus habent. Eæ dorſo nigro, ac aluo candida ſunt, vt pennarum albarum atrarumque æqualem ferè numerum habeant. Collum plerarumque circulo candido obditur aut ambitur. Detracta cutis, pelli piſcium marinorum ſimilis, ſuilli tergoris craſſitie eſt. Roſtrum coruino grandius, minus tamen incuruatum viſitur. Collum breue ac craſſum eſt. Corporis moles anſerinæ ſimilis, inferius contractior ſentitur. Alis caret, quarum loco pinnas duas, alarum ſpecie enatas oſtendit, quibus nare velociſſimè poſſunt. Magna anni parte in vndis degunt, nec niſi ouis incubituræ, terram adeunt. Harum ternæ plerunq; ac quaternæ vno nido reperiuntur. Pedes nigros, anſerum figura expanſos, ſed anguſtiores tamen habent. Incedẽtes, erecto corporis ſitu ſunt, ac bracchiorũ more pinnas

nas demiſſas fluitare ſinunt, ita, vt è longinquo pigmæis incedentibus ſimiles appareant. Solis piſcibus viuunt: quos tamen coctæ non reſipiunt, ſed ſaporem admodum gratum fundunt. Latibula ſua in tumulis arenaceis, profundius ſubtus terram cuniculorum more, condunt. Vnde terra paſſim vſque adeo excauata eſt, vt prætergredientes nonnunquam ad genua vſque in foueas incidant, ac ab incubantibus pinguinis mordeantur.

Harum ergò auium certam adhuc copiam venandi Hollandis, ad inſulam denuò tendentibus, inſtitutum vigebat: Qui tamen die 18. dicti menſis tantis procellis iterum infeſtari cæperunt, vt commotione violenta anchora funditus euerteretur. Cum ergo Capitaneus nouam anchoram mittendi conſilium daret, gubernatores id apprimè diſſuaſerunt, metuentes, vt malè cedente re, vtraque anchora (quas ſolas iam reliquas habebant) ſpoliarentur. Conſultius autem duxerunt, anchora recepta, è freto prorſus egredi. Quod & ipſum tamen, cum Oceanus iam refluens augeſceret, & fluctus violenti inundarent, tentare minimè audebant. Interim anchora diſrupta, ſoluta nauis tanta ſuccuſſione agitari cæpit, vt metus non leuis eſſet, ipſam violenta diſpulſione in inſulam coniectum iri. Nam ad recuperandam anchoram, aut funem recolligendum nulla occaſio effulgebat. Tum & illo loco efferri impoſſibile videbatur, quod inſulæ longiſſima eminentia in mare porrigeretur, quam obire minimè potuiſſent, niſi funem longo tractu ſequentem prouidi abſcidiſſent. Ingenti ergò mœrore & conturbatione ventorum impetum ſequebantur, quod anchoram perditam relinquere cogerentur, cum præter vnam nouiſſimam, nullam reliquam haberent.

Fides anchorã perdit.

Iam ergò Capitaneus, in quibus extremis periculis verſarentur, videns, deſerendi freti ac adeundæ rurſus patriæ conſilium ratum ac promulgatum fecit. Circa meridiem verò vnda tanto ſonitu & concitatione appellebat, vt longius duobus milliaribus infra angulum dictum diſpellerentur. Qua periclitatione moti anchoram ſuam poſtremam, in qua poſt Deum vniuerſa eorum ſalus ac ſpes poſita erat, duodecim paſſuum profunditate excuſſerunt, ſtrenua opera cauentes, ne in breuia longius exigerentur.

Capitaneus domum redire ſtatuit.

Hac ſollicitudine ac anxietate dum ferè conficerentur, præter omnem ſpem ſubito caurus exortus eſt, qui vitandi interitus vnum medium reſtabat. Magno ergo gaudio anchoram attollentes, verſus inſulam declinabant, vt in vicino ſinu conſiderent, tentarèntq; an perditam anchoram quocunque niſu iterum eruere poſſent. Sed breui ſors prior eoſdem repetiit. Nam, cum vix inſulã attigiſſent, Cæcia illicò tam violẽter graſſante correpti ſunt, vt ad fauces freti nolentes volentes diuertere cogerentur. Itaq; circa meridiẽ angulum illum obeuntes, iſthmum primũ trãſmiſerunt, & alterũ quoq; ſub noctem

Hollandi ad Pinguinas redeunt.

conſpicati ſunt: quem tamen,cum fluctus aduerſi inundaret,& nox ingrueret, ingredi metuentes, aliquando impetum euincere malebant. Sed inſultantibus fluctibus verſus terram tanta violentia proiecti ſunt,vt anchoram ſuam denuò mittere cogerētur, magno certo eius periculo, ſi procellæ rapidiores infremuiſſent. Quanquam crebris ærumnis ac periculis iactati, ferendis omnibus euētibus iam callum obduxiſſent.

Holladi ferendis periculis callum induxerunt.

Poſtero die terræ ſe tam propinquos viderunt, vt ex loco illo eluctari minimè procliue eſſet,cùm angulū faucium obire nullo molimine liceret. Iam demum ergo verè ſenſerunt, in quas anguſtias cōtemptu periculorum coniecti eſſent. Ibidem tamdiu hærendum erat, dum venti vis mitigaretur, quod circa meridiē accidit; vbi magna ac expedita celeritate anchoras aſſumētes, ferēti vento Fauonio vela crediderunt. Antequam adueſperaſceret,iam iſthmum alterum quoq; tranſmiſerāt,in tranſitu quatuor Toninas,quibus omnes lautè epulabantur,ferientes.

Hollandi freto exeunt.

Diei 21. aurora fretum Magellanum (quod haud immeritò periculoſum vocari poſſit) poſt ſe relinquentes,Libonoto auſpicato vela panderunt, poſtquam nouem menſibus integris in freto dira fame, laboribus ac periculis infandis exhauſti ac exerciti contabuiſſent.

Ipſum itaq; iam Oceanum ingreſſi,circa meridiē,ſcaphā ſuam, quę fluctuum colliſione lacerata & rimoſa tota erat,dimiſerunt. Die 22. ventum Fauonium nacti,curſu inſtituto perrexerunt. Die 24. circa auroram tres inſulas paruas conſpicati ſunt, anteà in nulla mappa notatas ac deſignatas: quas nouo nomine Sebaldinas initiarunt. Hæ verſus ortus ac auſtri medium à continenti 60. milliaribus diſtabant, ſub alitudine grad. 50. & 40. minut. ſitæ. Ibidem miram quoque pinguinarum copiam repererunt, quas, niſi ſcapha caruiſſent, præterire ægrè potuiſſent.

Inſulæ incognitæ.

Die 26. cæcia impellente inſulas has prætervecti, perpetua meta vſque ad 30. diem procurrerunt, quo tempeſtate quadam percellebantur: Nihilominus tamen curſui inhærentes, Cal. Febr. Libonoto intra aquilonem ac ortum impulerunt: quo tempore altitudinem grad. 46. habuerunt.

Fur ſuſpendio adiudicatur.

Hoc eodem die de capite cuiuſdam Bruxellani, Nicolaës de Blieck,qui conto ferreo noctu effracta ianua vini Bottigiā, & ſacculum Oryza plenum furatus erat,comitia acta ſunt. Is capitis damnatus, ſequēte die ſuſpendio ſtrangulandus erat. Sed capitalium rerum prætore executionem iam vrgente, milites congregati pro eo apud Capitaneū interceſſerūt. Cumq; vice prima repulſam paſſi,poſt acrius & ſollicitatius inſtarent: Capitaneus reo quidem vitam donauit, ſed, ne porrò pro ſimilibus facinoroſis interceſſiones fierent,edixit.

Die 4. cum aduerſo vento nonnihil quaterentur, poſtera luce Zephyro cæcia vſque ad diem 28. Februarij vſi ſunt: quo vulturno perflante

perflante obliquius pertenderunt. Pridie eius diei, facinoroſus idem, qui nuper interceſſione militum liberatus erat, denuò à prætore, quod iterum fores effregiſſet, & ex penore non neceſſaria ſaltem, verum & ſuperflua, quæ poſteà aliis diuendiſſet, ſurripuiſſet, accuſabatur. De hoc ergò facinore denuò capitis damnatus, Calendis Martij ex malo ſtrangulatus, ac demũ in mare proiectus eſt: vt huius exemplo cæteri territi, rebus vetitis manus intendere rapaces dediſcerent. Hoc ipſo die flante cauro Tropicum capricorni tranſgreſſi ſunt. *Semel liberatus fur, ſuſpẽditur.*

Die 7. Martij, cum altitudinem 13. graduum tenerent, Capitaneus tormenta, quæ hactenus in nauis aluo condita latebant, proferri ac expediri curauit, quod iam in ea delati loca eſſent, quæ à periculo & inſultu hoſtium non omninò ſecura viderentur. Itaque & milites ſuos tam ad defenſionem, quam ad offenſionem (ſi opus ſit) armauit & inſtruxit. *Tormẽta proferuntur.*

Die 14. ſolem rectà vertici incumbentem acceperunt, ac die 15. ferente vulturno lineam æquinoctialem tranſmittentes, curſu felici prouecti ſunt. Poſtero die 30. minutiis à linea æquinoctiali verſus aquilonem nauigabant, quæ dies à deſerto freto 54. numerabatur. Ab eo tempore vini diſpenſatio omnis abrogata eſt: quod eius vnum ſaltem dolium ſupereſſet, pro ſolis ægris ac aliis vſibus reſeruandum. Poſteà aliquandiu malacia vſi, die 21. Fauonio perſpirante curſum antiquum tenuerunt.

Sub auroram diei 24. terram quandam verſus aquilonẽ ac occaſum ſitam, peruiderunt, quam poſteà, Capo de Monte in littore Guineæ ſub gradu ſeptimo ſitam eſſe, aduerterunt. Quam declinationem longè admirabantur impenſius, quam aliud quiduis in itinere hoc notatum, vt quæ præter rationem ac computum vniuerſum fieret. Capitaneus ergò indignabundus, gubernatores acribus verbis repræhendebat, quod ſtudio ac dedita operà eo deflexiſſent, ſecum ita fore conſtituentes, vt cum littori adeò vicini fierent, Capitaneus omninò egreſſurus, & carnes, oryzam ac ſimilia, quibus opus eſſet, paraturus, ac redempturus eſſet. De hac igitur Capitanei indignatione populus ipſe quoq; obmurmurare cæpit, clamãs, ſe terram benedictam quidem ſuis oculis videre, & cælum vndiquaq; patens eſſe: & ſibi tamẽ eorundem adeundorum nullam copiam dari. Non ergò ſe dubitare, quin breui multis vlulatibus eam diem ac horam deploraturi ſint, qua terram eam felicem præteriiſſent. Capitaneo verò illic appellere ideo non tutum viſum eſt, quod nec celocem nec ſcapham vllã haberent, quibus in oram egredi liceret. Tum, & quod vna ſaltem anchora inſtructi eſſent, metuebat fore, vt ibidem duobus tribuſue menſibus cõmorantes, tantum tamẽ vix comparaturi ſint, quantum diebus ſingulis abſumeretur. Itaq; cum rationẽ commeatus reliqui ſubduxiſſet: tantum eius ſupereſſe vidit, vt de pane ſingulis dietim libræ quadrans, & oryzæ duæ vnciæ, menſium qua-

tuor ſpatio diſtribui poſſint. His ita trutinatis, recta domum pertendere cogitans, vt à terra ſeu littore illo deuiarent, mandauit. Quod etſi quidem nautæ omni molimine anniterentur, vt in altius mare redirent: propter ſummum tamen ventorum ſilentium, nihil admodum promoueri potuit.

Calend. April. cum ſub noctem ignem conſpicati eſſent, rati illum è naui quadam propinqua micare; manè ſe deluſos eſſe animaduerterunt. Is enim in vicina terra effulſerat, ad quam fluctuum æſtuatione ſub breuia S. Annæ recta abducti erant. Circa hoc tempus *Pinguinarum finis.* pinguinarum (de quibus hactenus cuilibet dimidia in dies ceſſerat) apparatus omnis inſumptus eſt. Porro ergò 4. vnciis panis, & duabus oryzæ, quemlibet contentum eſſe oportuiſſet, niſi miſericors Deus, qui in extremis ſemper fideliſſimus auxiliator præſto eſt, copioſis piſcibus eos largiter cibaſſet. Nam Toiinarum ac Hayen, ſimiliumque *Copia piſciũ.* piſcium tantam quotidiè copiam captabant, vt omnibus abſumendis vix ſufficerent. Cum verò iuxta hoc littus quinque ſeptimanis ab omni vento quieti decubuiſſent: Capitaneus, metuens, vt diutius *Scapha paratur.* ibi morandum, tandemque in Guineæ ipſum littus concedendum ſit, ſcapham quandam exilem curauit extrui, caſibus omnibus commodaturam. Et licet ad eam fabricandam nec tigna nec aſſeres neceſſarios haberent: eius tamen extruendæ media vndecunque arripuerunt. Nam de trabibus interaneis tabulas auellentes, eas, vt poterant, decentibus iuncturis aptabant. Hãc nauiculam 12. dierum ſpacio Gubernator Ian Outgherſz, olim tignarius, conſtruxit: quo tempore ſolem iterum in zenith habuerunt.

Etſi verò diligenti opera ſcapha hæc tandem abſolueretur: eius tamen vſus nullus fuit. Nam 24. April. cum primum caurus valentius ſpirare inciperet; die 24. idem tanto impetu & fremitu inualuit, vt vela nauis vtraq; tota decuteret. Quod in eius quidẽ ſingulare cõ-*Holl. vtraque vela amittũt.* modũ ceſſit, cum alias à ſubuerſione immunis futura nõ fuiſſet. Poſtridie nauem quandã ſibi vicinam conſpicati ſunt. Ad quam cum ſe conuertiſſent, eam ex conſpectu ſuo breui iterum perdiderunt. Curſum ergò ſuum ad Flaminias Inſulas ſemel cæptum, continuarunt.

Die 2. Maij, cum ventus optatus incubuiſſet, Capitaneus preces *Ieiunia ac preces fiunt.* ac ieiunia fieri mandauit: quæ eadem etiam 6. Octobr. Anno 1599. poſtquam ex Oceano auſtrali in fretum Magellanicum iterum illapſus eſſet, inſtituerat. Hunc ergò diem ſeriis precationibus exegerũt, Deo rerum omnium conditori pro immenſa ſua miſericordia æternas gratias dicentes, quod toties, ac in tam deſperatis malis ipſis ſemper clementiſſimè ſuccurriſſet, & nuper quoq;, famem miſerrimam omnibus paſſim minitantibus, oblatis piſcibus copioſis, penuriam illorum cumulatiſſimè ſubleuaſset: vnà cõtritis cordibus ipſum deuotiſſimè inuocantes, vt cæteras quoque, à ſocietate diſpulſas naues clementi ſua cuſtodia protegat, earumq; curſum ita moderetur, vt probe re confecta, cum multorũ gaudio tandem domũ reducantur.

His

His peractis, die 21. Maij commodo vento Tropicum capricorni tranſgreſſi piſcium adhuc indies tantam copiam captabant, vt eorum plurimos condire ac reſiccare cogerentur. Ad Flaminiarum inſularum altitudinem prouecti, vaneſcētibus piſcibus viuis deinceps reſiccatis aut ſalitis veſci opus habebant. Cum qua Diæta mutata, noui quoq; morbi illicò inuadebant. Nam quicunq; de ſalitis piſcibus illis comederant, eorum cutis tam rubris paſſim maculis ſuffundebatur, vt leproſis non diſſimiles viderentur. Affectus hic cum partium internarum tanto ardore ac inflammatione coniunctus erat, vt nullo potu ſitim vrgentem commodè reſtinguere poſſent. Quoſdam ſcorbutus inſuper etiam lancinabat. Hac noua plaga percuſſi, de ſoſpitando itinere Deo vota largiſſima faciebant: cum ægrorum numerum indies valdè augeri ac multiplicari viderent. *Ardētes morbi nauigantium.*

Die 7. Iunij, certis indiciis cognouit Capitaneus, ex cella penaria furtim ſubinde panes ſurripi. Sigillum enim, quo fores reſerabantur, ruptum ac violatum comparuit. Omnibus ergò vno numero coactis, Capitaneus ſingulis ex ordine claues ademit, & quæ foribus reſerandis aptæ factæ eſſent, probauit. Quo ingenio fures perfacile deprehendit. Cum verò quatuor è fortiſſimis & validiſſimis huius criminis rei eſſent: cæteri verò nautæ pleriq; adeo enerues ac debiles viderentur, vt vix nauibus ſuam operam impendere poſſent: hac tamen vice pœnam differri omninò conſultum viſum eſt, etſi 6. vel 7. iſtius facinoris rei, quatuordecim menſibus integris è promptuariis clam, tum quæ ipſi ederent, tum quæ aliis diuenderēt, ſubripuiſſent. Hi, vt diximus, pœna merita ex cauſis haud nihili tum temporis eximebātur, etſi ipſimet iam quidem vitam deſpondiſſent, ac, vt in terram ignotam exponerentur, ſupplicando inſtitiſſent. *Panarij fures in naue inuēti.*

Die 7. Iun. cum propter malaciam æquoris velis obliquatis pergerent, ſub diei 12. auroram naues binas ad ſe recta incurſantes prouiderunt. Quas dum expectarent, Anglicas eſſe depræhenderūt: quarum Capitaneus, vir canus, à Capitaneo de VVeert, valdè humaniter exceptus eſt. Ab hoc enim pręter noua de patriæ ſtatu communicata opem aliquam cibariam impetrari poſſe, ſpem ſibi fecerat. Sed cum Angli æquè ac Hollandi indigentes eſſent: re infecta vtrinque diſceſſum eſt. *Anglicanaues.*

Die 6. Iul. aditum Angliæ tenentes, poſteà 9. die cum procellis concitatiſſimis inuaderentur, magno nauis periculo in littus Gallicum eiecti ſunt, non euaſuri, niſi ventorū vis breui deſæuiiſſet. Nam nec angulum ante Cales, nec alterū huic aduerſum exuperare poterant. Sed ventis tamen quieſcentibus, tandem in Angliæ finitima redierunt. Cum verò Capitaneus minimè ſtatuiſſet ſecūdum Moſam pronauigare, ſed potius in arenarum tumulis anchoras figere, & ibi nauis patronorum reſponſa, an nimirum de nouo illic inſtructus, ac addita celoce auctus, ſocietati reliquæ iuxta Capo de Bona Eſperanca

ranca occurrere,aut eoſdem alibi perquirere debeat, expectare decre-uiſſet:iuxta Doeueren in terram egreſſus eſt, vt ibidem anchoram & funes emeret, cum vnâ ſaltem anchora in tumulis illis verſari intutum videretur.Cum autem eorum nihil ibi parabile eſſet: cõmeatu modico aduecto ad nauem reuerſus eſt. Et quoniam diutius ibi morandi nulla opportunitas eſſet: circa veſperam recta ad Moſam procurrerunt. Triduo antè ex ipſis Anglus quidam obierat,qui in reditu primus,in tota verò nauigatione 68.extiterat:quorum 44. in freto ſepulti,ſex verò in Oceano auſtrali merſi fuerant.

Hollandi Moſam attingũt. Die 14.commodo ac optato vento ad Moſæ oſtium appulerũt: in quo fortunam priore non multo benigniorem experti ſunt.Nam cum in ipſo Moſæ vado anchoris niterentur, & refluxum vndarum expectarent:repentè tam nimboſus ac violentus ventus incubuit, vt nolentes volentes in alueum Goreeticum ſecedere cogerentur. Vbi dum verſarentur,adhuc è ſociis alter, ſexageſimus nimirum nonus ac vltimus diem extremum clauſit:ita, vt in naui iam 36. tantum ſupereſſent. *Quot in hoc itinere obierint.* Quibus certè ſatis cauſæ erat, vt Deo omnipotenti gratias maximas agerent,qui in tam diuturna nauigatione, in tot frementibus periculis ac ærumnis ipſos clementer ſeruaſſet, & eoſdem poſt menſium 25.interuallum ſoſpites ad focos patrios reduxiſſet. *Nauigationis quod tempus.*

Hiſtoriæ clauſula. Et hæc eſt vera atque accurata deſcriptio omnium laborum, periculorumque, ac inopiæ & miſeriæ, quæ infelices hi nautæ in itinere ſuo conficiendo perpeſſi ſunt. Quæ quidem vniuerſa in ſeſe longè grauiora & maiora ſunt, quam verbis exprimi ac deſcribi poſſint. A me enim nihil illis additum, ſed plura detracta ſunt. Quam equidem recitationem ex diario Barent Ianſz Chirurgi,vt & reliquorum gubernatorum libris,excerpſi & cõſignaui, in eorum præcipue gratiam ac vtilitatem,qui & ipſi aliquando ſimilium nauigationum ſocij futuri ſunt, vt horum nautarum exemplo inſtituti,omnes ærumnas ac pericula,ibidẽ oborta, æquanimiter tolerare,ac in honeſto ſuo propoſito conſtanter ac firmiter perdurare diſcant, nec ſe facile adduci patiãtur,vt re tentata quidem, ſed non confecta domum illicò feſtinẽt,eo comprimis tempore,quo itineribus illis Dei honor, patriæ ſalus, ac commodum eorum, qui maximis impendiis naues inſtruxerunt,quæritur & accuratur: ſicuti hi certè Argonautæ extrema & duriſſima quæuis tentare, quam cum dedecore & infamia reuerti maluerũt. Quibus hunc quoq; librum iam clauſum volumus, cæterarum nauium aduentum indies expectantes: quarum curſum Deus Opt.Max.potenti ſua dextra ita moderetur,vt ſi nobis ex vſu & ſalute ſit,cum maiori commodo ac quæſtu ad patriæ limina ſoſpites reuertantur.

FINIS.

IDÆA VERA ET GENVINA, PRÆCIPVARVM HISTORIA-RVM OMNIVM, VT ET VARIORVM RITVVM, CEREMONIARVM, CONSVETVDI-

numq́ue gentis Indicæ: Sicut & primariarum ciuitatum, Inſularum-
que & arcium ſeu propugnaculorum: de quibus in hac
nona Americæ ſeu Indiæ Occidentalis hiſto-
riarum parte pertractatur.

CVILIBET HISTORICÆ DESIGNATIONI, facilioris intellectus, maiorisq́ oblectationis cauſa, Icones ali-quammultæ, artificioſiſsimè in æs inciſæ, annexæ appoſitæq́ ſunt,

Sumptibus, Studio & induſtria
THEODORI de BRY, p. m. relictæ viduæ, & IOANN. THEODO-
RI ac IOANN. ISRAEL. filiorum.


FRANCOFVRTI,
EXCVDEBAT MATTHÆVS BECKER.

M. DCII.

RPJCB

I.

DE INDORVM MIRA PISCATIONIS RATIONE.



PISCATVI *operam daturi Indi, hunc ferè modum tenent. Balænis grandioribus inſidias ſtructuri, ſcaphis exiguis in mare remigant, quolibet ſua priuata ſcapha recepto. Cetum ergò ſi alicubi quempiam in conſpectum ſe offerentem Indus notauit, ſcapha ad eum properans, in eius dorſum exilit, paloſq́ binos in hunc vſum paratos, ligneos, eius in nares vel potius aures, ex quibus piſcis conceptas aquas ſubinde eructat, demittit. Et quamuis interim piſcis ſeſe nunc ſubmittat, nunc eleuet, nihilo tamen ignauior piſcator, dorſo obſtinatè inſiſtit, dum penitus palos in profundos iſtos meatus demerſerit. Quo facto, rurſus in ſcapham proſilit, & fune, quem palo abſceſſurus adalligauit, iugi tractu piſcem allicit, dum tandem eum propter aëris, naribus hauriendi defectum laſſatum & infirmatum in littus ſeu aridum extrahat. Quem tandem illic in partes dirimunt, & inter ſocios æqua ratione diſpenſant. Sed & piſcatus ſui modum alium exercent, retibus iactatis faciliorem. Iuncos magna copia ex ordine colligant. Illis non ſecus ac equites equis inſidentes, incitatis ligneis remis, quò lubet, pergunt. Locum deſpicati idoneum ſua retia iactant, dum, quantum piſcium capturierunt, cæperunt. Iis aſſeruatis, ad terram redeunt, nauiculámque vndis extractam, vt reſiccetur, expandunt aut extendunt. Sicut in hiſtoria contextu iſta fuſius percenſentur.*

RPJCB

I.

DE INDORVM MIRA PISCATIONIS RATIONE.



PISCATVI operam daturi Indi, hunc ferè modum tenent. Balænis grandioribus inſidias ſtructuri, ſcaphis exiguis in mare remigant, quolibet ſua priuata ſcapha recepto. Cetum ergò ſi alicubi quempiam in conſpectum ſe offerentem Indus notauit, ſcapha ad eum properans, in eius dorſum exilit, palosq́; binos in hunc vſum paratos, ligneos, eius in nares vel potius aures, ex quibus piſcis conceptas aquas ſubinde eructat, demittit. Et quamuis interim piſcis ſeſe nunc ſubmittat, nunc eleuet, nihilo tamen ignauior piſcator, dorſo obſtinatè inſiſtit, dum penitus palos in profundos iſtos meatus demerſerit. Quo facto, rurſus in ſcapham proſilit, & fune, quem palo abſceſſurus adalligauit, iugi tractu piſcem allicit, dum tandem eum propter aëris, naribus hauriendi defectum laſſatum & infirmatum in littus ſeu aridum extrahat. Quem tandem illic in partes dirimunt, & inter ſocios æqua ratione diſpenſant. Sed & piſcatus ſui modum alium exercent, retibus iactatis faciliorem. Iuncos magna copia ex ordine colligant. Illis non ſecus ac equites equis inſidentes, incitatis ligneis remis, quò lubet, pergunt. Locum deſpicati idoneum ſua retia iactant, dum, quantum piſcium capturierunt, cæperunt. Iis aſſeruatis, ad terram redeunt, nauiculámque vndis extractam, vt reſiccetur, expandunt aut extendunt. Sicut in hiſtoriæ contextu iſta fuſius percenſentur.

RPJCB

II.

QVO COMPENDIO INDI, NAVICVLIS SEV SCAPHIS AVT PONtibus carentes, flumina traiiciant.




FLVVIORVM ſeu amnium, latitudine vaſta etiam Europæos longè exuperantium, copiam India maximam habet. Indi verò cũ æquè pontibus deſtituantur, ac nauicularum ignari ſint, nonnullis in locis hoc artificio vtuntur. Funem, tum cis tum vltra fluuium duabus columnis affigunt ſolidantq́. Ex hoc corbem appenſum firmant, in quem conſidit is, qui flumen tranſmiſſurus eſt. Is tractim ſeipſum promouet, dum littus teneat. Nonnulli eos, qui traiici ſatagunt, in faſciculos ex iuncis contextos collocant, & hoc pacto feſtucis binis ligneis remigantes, flumen tranſeunt. Alij ex arefactis reſiccatisq; cucurbitis ſutelam faciunt, & tum homines, tum eorum merces iiſdem commodè traiiciunt: vt clarius omnia in hiſtoria patent.

RPJCB

II.

QVO COMPENDIO INDI, NAVICVLIS SEV SCAPHIS AVT PONtibus carentes, flumina traiiciant.



FLVVIORVM ſeu amnium, latitudine vaſta etiam Europæos longè exuperantium, copiam India maximam habet. Indi verò cũ æquè pontibus deſtituantur, ac nauicularum ignari ſint, nonnullis in locis hoc artificio vtuntur. Funem, tum cis tum vltra fluuium duabus columnis affigunt ſolidantq́. Ex hoc corbem appenſum firmant, in quem conſidit is, qui flumen tranſmiſſurus eſt. Is tractim ſeipſum promouet, dum littus teneat. Nonnulli eos, qui traiici ſatagunt, in faſciculos ex iuncis contextos collocant, & hoc pacto feſtucis binis ligneis remigantes, flumen tranſeunt. Alij ex arefactis reſiccatisq; cucurbitis ſutelam faciunt, & tum homines, tum eorum merces iiſdem commodè traiiciunt: vt clarius omnia in hiſtoria patent.

RPJCB

III.

INDI, QVA ARTE AVRVM EX MONTIBVS ERVANT.




EX Potossi montanis, aurifodinis omnium ditiſsimis per omnem Indiã, aurum Indi hac arte effodiunt, qua in noſtris ferè regionibus itidem factitant. Nã ex rupibus excindenda omnia ſunt. Operarios in duos ordines diſpeſcunt. Quorum hi de die laborantes, noctu quieſcunt: illi noctu operis vacantes, interdiu dormiunt. Quamuis nec diurnam nec nocturnam cæli facem videãt, ſed vniuerſim ſuccenſis cereis opus habeant: Cum vltrà 150. orgias infra terram ſeſe demittant. Nec tamen iſta tàm immenſa fodinarum profunditas impedit, quô minus omne effoſſum æs ſuis dorſis foras efferre cogantur. Quem in vſum ſcalas adhibent, ita ſtructas paratasq́;, vt binæ ſibi ſemper cõiunctæ hæreant. Scalæ verò ex intortis boum coriis confectæ ſunt, quæ tranſuerſis radiis ligneis ſuffirmantur ita, vt ternis viris ſemper ex ordine deſcenſus vno latere, altero verò totidem aſcenſus ſit. Cumq́; in aſcenſus labore vtraq; manu ſcalas corripere cogantur, ideò, qui illorum primus eſt, cereum ardentem de pollice religatum geſtat. Porrò, quia meta aſcenſuris nimis longa eſt, iccirco in media via ſurrecta quædã ſcamna ſunt, quibus onera ſua quadamtenus deponere poſſunt.

RPJCS

IV.

DE INDICIS OVIBVS, METALLA EX MONTANIS EXPORTANTIBUS.



PROVINCIA *Peru peculiare quoddam ouium genus, ab Indis Ilamas dictum, habet. Harum, præterquam quod carnes pro cibo ſint, & ex lana panni texantur, vſus quoque inſignis in hoc eſt, quod equorum aſinorúmve vice portandis oneribus admodum cõmodæ ſint. His enim quicquid oneris peregrè transportaturi ſunt, imponunt. Illædem ex fodinis argentum efferunt, quod à Potoſsi Aricam vſque, quod interuallum ſeptuaginta milliarium eſt, transportant. Hæ gregatim ambulant, trecentis aut quadringentis vno numero coactis. Cuſtodibus aut actoribus adeò multis non opus habent: vnoque die milliaria ferè quatuor promeant. Iſthæc animalia ſuis dominis minimè ſumptui ſunt. Nam nec ephippia geſtant, nec frenis, ferreiſve ſoleis opus habent, nec quoquam alio pabulo, quam quod in campeſtribus carpunt, veſcuntur. Has tamen qui agunt, accurata diligentia cauent, ne quam illarum fors aliqua iniuria offendant. Quod ſi enim indignabunda vna in humum decumbat, tum nec vllis minis, nec additis plagis rurſus ad iter excitari poteſt: ſed neceſſe omninò eſt, vt ex comitibus quidam iuxta animal in humum ſe proſternat, hocq́ habitu ad horas vel binas vel interdum ternas ſuauibus verbis ei adblandiatur, dum ſe attollens, viæ reliquum conficiat. Quod ſi verò fors quædam alicubi in montes excurrat, tunc illius inde abducendi, nulla medela, nullum medium ſupereſt aliud, quàm vt excuſſa ſclopeti glande figatur, & hoc pacto de montium iugis deturbetur.*

RPJCB

IV.

DE INDICIS OVIBVS, METALLA EX MONTANIS EXPORTANTIBUS.



PROVINCIA *Peru peculiare quoddam ouium genus, ab Indis Ilamas dictum, habet. Harum, præterquam quod carnes pro cibo ſint, & ex lana panni texantur, vſus quoque inſignis in hoc eſt, quod equorum aſinorúmve vice portandis oneribus admodum cōmodæ ſint. His enim quicquid oneris peregrè transportaturi ſunt, imponunt. Illædem ex fodinis argentum efferunt, quod à Potoſi Aricam vſque, quod interuallum ſeptuaginta milliarium eſt, transportant. Hæ gregatim ambulant, trecentis aut quadringentis vno numero coactis. Cuſtodibus aut actoribus adeò multis non opus habent: vnoque die milliaria ferè quatuor promeant. Iſthæc animalia ſuis dominis minimè ſumptui ſunt. Nam nec ephippia geſtant, nec frenis, ferreíſve ſoleis opus habent, nec quoquam alio pabulo, quam quod in campeſtribus carpunt, veſcuntur. Has tamen qui agunt, accurata diligentia cauent, ne quam illarum fors aliqua iniuria offendant. Quod ſi enim indignabunda vna in humum decumbat, tum nec vllis minis, nec additis plagis rurſus ad iter excitari poteſt: ſed neceſſe omninò eſt, vt ex comitibus quidam iuxta animal in humum ſe proſternat, hocq; habitu ad horas vel binas vel interdum ternas ſuauibus verbis ei adblandiatur, dum ſe attollens, viæ reliquum conficiat. Quod ſi verò fors quædam alicubi in montes excurrat, tunc illius inde abducendi, nulla medela, nullum medium ſupereſt aliud, quàm vt excuſſa ſclopeti glande figatur, & hoc pacto de montium iugis deturbetur.*

RPJCB

V.

DE MIRO MEXICANORVM DEFVNCTOS HVMANDI RITV.




DE inſolita Mexicanorum, ſuos mortuos tumulandi ſuperſtitione, ita narratur in hiſtoria. Primatum quopiam defuncto, cadauer eius, in cubilis pauimentum locatum, exporrigunt. Ad ſpectaculũ vocantur omnes eius amici, cognatiq́; qui longa ſerie ad mortuum introeuntes, varia eaq́; præſtantia munera ei offerunt. Quod ſi is, dum in viuis eſſet, fortis & bellicoſus fuit: tunc omnia eius arma iuxta latus ſuffiguntur aut ſuſpenduntur. Hoc ſitu ſi iam aliquandiu decubuit, & exequiarum hora appulit: tum is à ſacrificulis pompoſa proceſſione, ad locum ſepulturæ deſtinatum effertur. Proceſſus hunc modum habent. Primum ordinem aliquammulti occupant ſiticines tanquã præambulones, qui tibiis & muſicis inſtrumentis aliis lugubrem ſonum admodulantur. Hos ſacerdotes aliquot, thuribula præferentes, ſequuntur. Poſt iſtos ipſum cadauer infertur. A quo ponè defuncti arma geruntur. Tandem omnia & ſingula, defuncto à cognatis oblata donaria ſequuntur, quæ à mancipiis illis geſtantur, quæ & ipſa defuncto honorario donata, ipſiq́; in altero ſeculo ſeruitura, cum eodem comburuntur. Quod ſi ergò ad locum ſepulturæ diſpectum peruentum ſit, tum ingenti ſuccenſæ pyræ, defunctus cum omnibus, ſibi in futuri ſeculi vſus & officia donatis (quorum pro conditione mortui nonnunquam incredibilis numerus eſt) ſolennibus quibuſdam ceremoniis iniicitur, & exuritur. Ignis autem iſte à ſacerdote, veſte horribilem cacodæmonis ſpeciem habente induto, ſedulò adminiſtratur, dũ in cineres omnia deflagrarint. Quo facto, cineres relictos ſedulò verrunt, & eos collectos in hunc vſum parato vaſe recondunt: quod poſteà vnà cum omnibus defuncti donariis armiſq́; terræ mancipant. Et is exequiarum finis eſt.

RPJCB

V.

DE MIRO MEXICANORVM DEFVNCTOS HVMANDI RITV.



DE *inſolita Mexicanorum, ſuos mortuos tumulandi ſuperſtitione, ita narratur in hiſtoria. Primatum quopiam defuncto, cadauer eius, in cubilis pauimentum locatum, exporrigunt. Ad ſpectaculũ vocantur omnes eius amici, cognatiq́; : qui longa ſerie ad mortuum introeuntes, varia eaq́; præſtantia munera ei offerunt. Quod ſi is, dum in viuis eſſet, fortis & bellicoſus fuit : tunc omnia eius arma iuxta latus ſuffiguntur aut ſuſpenduntur. Hoc ſitu ſi iam aliquandiu decubuit, & exequiarum hora appulit : tum is à ſacrificulis pompoſa proceſsione, ad locum ſepulturæ deſtinatum effertur. Proceſſus hunc modum habent. Primum ordinem aliquammulti occupant ſiticines tanquã præambulones, qui tibiis & muſicis inſtrumentis aliis lugubrem ſonum admodulantur. Hos ſacerdotes aliquot, thuribula præferentes, ſequuntur. Poſt iſtos ipſum cadauer infertur. A quo ponè defuncti arma geruntur. Tandem omnia & ſingula, defuncto à cognatis oblata donaria ſequuntur, quæ à mancipiis illis geſtantur, quæ & ipſa defuncto honorario donata, ipſiq́; in altero ſeculo ſeruitura, cum eodem comburuntur. Quod ſi ergò ad locum ſepulturæ diſpectum peruentum ſit, tum ingenti ſuccenſæ pyræ, defunctus cum omnibus, ſibi in futuri ſeculi vſus & officia donatis (quorum pro conditione mortui nonnunquam incredibilis numerus eſt) ſolennibus quibuſdam ceremoniis iniicitur, & exuritur. Ignis autem iſte à ſacerdote, veſte horribilem cacodæmonis ſpeciem habente induto, ſedulò adminiſtratur, dũ in cineres omnia deflagrarint. Quo facto, cineres relictos ſedulò verrunt, & eos collectos in hunc vſum parato vaſe recondunt : quod poſteà vnà cum omnibus defuncti donariis armiſq́; terræ mancipant. Et is exequiarum finis eſt.*

RPJC

VI.

QVO MODO INDI FE-RAS VENENTVR.



MEXICANIS captandarum ferarum is modus eſt. Aurora prodeunte inflata tibia vel tuba, omnem ciuitatem obeunt. Ad quod acceptum ſignum venatores omnes confluunt, arcubus ſpiculisq́, ac retibus, & ſi quæ alia venatibus neceſſaria ſunt, inſtructi. Deinde Idolo ſuo arrepto, fremente tumultu incitati curſim iugum montis, venationi deſtinati, occupāt: in cuius vertice ædicula ex frondibus, & in hac ara quæpiam, in quam ſuum Idolum ſingulari cum deuotione ſtatuunt, extructa eſt. Poſteà deſcendentes, montis radices panſis retibus quoquo verſum obuallant, & circumcirca ſuccenſis ignibus feras dumetis exigunt: quas deinceps gregatim ad montis extremum vſque apicem cōpulſas pro ſuo arbitratu feriunt figúntve. Eo peracto, Idolum ſuum humeris impoſitum rurſus auferunt, cumq́ captis feris, vt leporibus, cuniculis, vulpibus, & ſimilibus aliis ordinata ſerie domum redeunt, ac Idolo, in priſtinum templi locum repoſito, captarum ferarum præcipuarum corda ſacrificant. Sic venatum finiunt.

RPJC

VI.

QVO MODO INDI FERAS VENENTVR.




MEXICANIS captandarum ferarum is modus eſt. Aurora prodeunte inflata tibia vel tuba, omnem ciuitatem obeunt. Ad quod acceptum ſignum venatores omnes confluunt, arcubus ſpiculisq́, ac retibus, & ſi quæ alia venatibus neceſſaria ſunt, inſtructi. Deinde Idolo ſuo arrepto, fremente tumultu incitati curſim iugum montis, venationi deſtinati, occupāt: in cuius vertice ædicula ex frondibus, & in hac ara quæpiam, in quam ſuum Idolum ſingulari cum deuotione ſtatuunt, extructa eſt. Poſteà deſcendentes, montis radices panſis retibus quoquo verſum obuallant, & circumcirca ſuccenſis ignibus feras dumetis exigunt: quas deinceps gregatim ad montis extremum vſque apicem cōpulſas pro ſuo arbitratu feriunt figúntve. Eo peracto, Idolum ſuum humeris impoſitum rurſus auferunt, cumq́ captis feris, vt leporibus, cuniculis, vulpibus, & ſimilibus aliis ordinata ſerie domum redeunt, ac Idolo, in priſtinum templi locum repoſito, captarum ferarum præcipuarum corda ſacrificant. Sic venatum finiunt.

RPJ

VI.

QVO MODO INDI FERAS VENENTVR.



M EXICANIS captandarum ferarum is modus eſt. Aurora prodeunte inflata tibia vel tuba, omnem ciuitatem obeunt. Ad quod acceptum ſignum venatores omnes confluunt, arcubus ſpiculiſq́, ac retibus, & ſi quæ alia venatibus neceſſaria ſunt, inſtructi. Deinde Idolo ſuo arrepto, fremente tumultu incitati curſim iugum montis, venationi deſtinati, occupāt: in cuius vertice ædicula ex frondibus, & in hac ara quæpiam, in quam ſuum Idolum ſingulari cum deuotione ſtatuunt, extructa eſt. Poſteà deſcendentes, montis radices panſis retibus quoquo verſum obuallant, & circumcirca ſuccenſis ignibus feras dumetis exigunt: quas deinceps gregatim ad montis extremum vſque apicem cōpulſas pro ſuo arbitratu feriunt figúntve. Eo peracto, Idolum ſuum humeris impoſitum rurſus auferunt, cumq́ captis feris, vt leporibus, cuniculis, vulpibus, & ſimilibus aliis ordinata ſerie domum redeunt, ac Idolo, in priſtinum templi locum repoſito, captarum ferarum præcipuarum corda ſacrificant. Sic venatum finiunt.

RPJCB

VII.

QVO PACTO INDORVM SACERDOTES PRO POPVLI PECcatis pœnitentiam agant.




DIES *quidam ordinarij peculiaresq́; ſunt, quibus Indorum in Mexico ſacerdotes, Idolo ſuo Viztlipuztli ſacra faciunt. Eorum aliquo appropinquante, collecti illi & congregati idolum accedunt, & ante faciem eius lituis, & tibiis, ſimilibusq́; inſtrumentis Muſicis ludunt. Ab his, ſacerdotum Princeps, thuribulum ferens, ingreditur, atque ex cacabo, in quo ante Idolum ſtante perpetuus ignis fouetur, igne deſumpto idolo thure ſuccenſo ſuffit. Poſteà in locum quendam templi, hunc in vſum deſtinatum, ſecedens, arrepta framea (cuiuſmodi plurimæ paſſim in templo defixæ ſunt) coxam vel crus ſibi perforat, exceptoq́; qui ex vulnere ſudat ſanguine, frontem ſibimet illinit; frameam verò, ſanguini vniuerſam prius intinctam & madefactam, in certo loco ſuffigit, vt ea publicè conſpecta, vulgus videat, quam ſeriam & doloroſam pœnitentiam pro populi peccatis egerint. Sua quoque in anno priuata tempora habent, quibus populus ſe-ipſum flagellis cedit, & aut funibus intortis, aut incuſſis ſaxis corpus ſuum percutit: ſicut tum ex hac figura, tum ipſo hiſtoriæ contextu planius videre licet.*

RPJCB

VII.

QVO PACTO INDORVM SACERDOTES PRO POPVLI PECCATIS pœnitentiam agant.



DIES quidam ordinarij peculiaresq́ ſunt, quibus Indorum in Mexico ſacerdotes, Idolo ſuo Viztlipuztli ſacra faciunt. Eorum aliquo appropinquante, collecti illi & congregati idolum accedunt, & ante faciem eius lituis, & tibiis ſimilibusq́ inſtrumentis Muſicis ludunt. Ab his, ſacerdotum Princeps, thuribulum ferens, ingreditur, atque ex cacabo, in quo ante Idolum ſtante perpetuus ignis fouetur, igne deſumpto idolo thure ſuccenſo ſuffit. Poſteà in locum quendam templi, hunc in vſum deſtinatum, ſecedens, arrepta framea (cuiuſmodi plurimæ paſsim in templo defixæ ſunt) coxam vel crus ſibi perforat, exceptoq́ qui ex vulnere ſudat ſanguine, frontem ſibimet illinit; frameam verò, ſanguini vniuerſam prius intinctam & madefactam, in certo loco ſuffigit, vt ea publicè conſpecta, vulgus videat, quam ſeriam & doloroſam pœnitentiam pro populi peccatis egerint. Sua quoque in anno priuata tempora habent, quibus populus ſeipſum flagellis cedit, & aut funibus intortis, aut incuſsis ſaxis corpus ſuum percutit: ſicut tum ex hac figura, tum ipſo hiſtoriæ contextu planius videre licet.

RPJCB

VIII.


QVA RATIONE INDI MEXICANI, MACTATIS HOMINIBVS, ſacrificent.



TEMPLVM *Mexicanorum, ceu in hiſtoria deſcriptum, ſic hic graphicè depictum eſt. In illo victimas mactatis hominibus tales offerunt. Feſto quodam ſingulari, annuo, omnes ſuos hoſtes, belli tempore captiuatos, in vnum numerum cogunt, & eoſdem in rotundum templi collem, capitum cæſorum, deducunt, atque ex ordine ſingulos cõſidere iubent. Paulò poſt à ſupremo quadrangulari monte ſacerdos, caſula amicitus, manibusq́ Idolum geſtans progreditur, & ceremoniis nonnullis peractis damnatos adit, quemlibet à ſummo ad imum ex ordine perluſtrans, & ei idolum, hæc verba loquens, Ecce, hic Deus veſter eſt, apporrigens. Hoc patrato, per ſcalas iterum deſcendit. Porrò, damnati, forti cuſtodia ſtipati, per ſcalas alias, ſeſe ſigillatim inuicem conſequentes ducuntur ad montem ſupremum, quo loco ſacerdotes, ſacrificia tractaturi, conſpiciuntur. Horum numero ſex ex ordine ſtantes, illic morantur. Rei itaque ſeu ſontes, cum Idolo ſubmiſſis genubus ſua iuſta fecerunt, tum inſperata celeritate quiſque eorum priuatim à quatuor ſacerdotibus inuaditur, tum bracchia, tum pedes fortiter corripientibus. Quintus vinculum ligneum eius collo innectit: quo facto, ſublatum miſerum hominem in ſubiectum ſaxum dorſo tàm violenter illidunt, vt omnia illi lumborum oſſa crepent. Tandem aſſiliens ſextus, qui ſummus ſacerdos eſt, ruptim ei tum ventrem tum medium pectus diſcindit, & euulſum eius adhuc fumigans cor, poſtquam verſus ſolem obtendit, Idolo in faciem proiicit. Cadauer autem è ſcalis volutatim deturbant, vbi is, qui cæſum captiuum primò fecit, accurrens, corpus exanime domum aufert, coquitq́, & cum ſuis, feſtiuitatis concelebrandæ gratia, vocatis inuitatisq́ amicis, deuorat, & diem illum genialiter ſumit. Eadem & cæterorum omnium ſors eſt.*

RPJCB

VIII.
QVA RATIONE INDI MEXICANI, MACTATIS HOMINIBVS, ſacrificent.



TEMPLVM *Mexicanorum, ceu in hiſtoria deſcriptum, ſic hîc graphicè depictum eſt. In illo victimas mactatis hominibus tales offerunt. Feſto quodam ſingulari, annuo, omnes ſuos hoſtes, belli tempore captiuatos, in vnum numerum cogunt, & eoſdem in rotundum templi collem, capitum cæſorum, deducunt, atque ex ordine ſingulos cõſidere iubent. Paulò poſt à ſupremo quadrangulari monte ſacerdos, caſula amicitus, manibusq́ Idolum geſtans progreditur, & ceremoniis nonnullis peractis damnatos adit, quemlibet à ſummo ad imum ex ordine perluſtrans, & ei idolum, hæc verba loquens, Ecce, hic Deus veſter eſt, apporrigens. Hoc patrato, per ſcalas iterum deſcendit. Porrò, damnati, forti cuſtodia ſtipati, per ſcalas alias, ſeſe ſigillatim inuicem conſequentes ducuntur ad montem ſupremum, quo loco ſacerdotes, ſacrificia tractaturi, conſpiciuntur. Horum numero ſex ex ordine ſtantes, illic morantur. Rei itaque ſeu ſontes, cum Idolo ſubmiſsis genubus ſua iuſta fecerunt, tum inſperata celeritate quiſque eorum priuatim à quatuor ſacerdotibus inuaditur, tum bracchia, tum pedes fortiter corripientibus. Quintus vinculum ligneum eius collo innectit: quo facto, ſublatum miſerum hominem in ſubiectum ſaxum dorſo tàm violenter illidunt, vt omnia illi lumborum oſſa crepent. Tandem aſsiliens ſextus, qui ſummus ſacerdos eſt, ruptim ei tum ventrem tum medium pectus diſcindit, & euulſum eius adhuc fumigans cor, poſtquam verſus ſolem obtendit, Idolo in faciem proiicit. Cadauer autem è ſcalis volutatim deturbant, vbi is, qui cæſum captiuum primò fecit, accurrens, corpus exanime domum aufert, coquitq́, & cum ſuis, feſtiuitatis concelebrandæ gratia, vocatis inuitatisq́ amicis, deuorat, & diem illum genialiter ſumit. Eadem & cæterorum omnium ſors eſt.*

RPJCB

IX.

DE ALIO QVODAM INDORVM SACRIFICANDI RITV.



SED & alium ſacrificandi aut mactandi homines modum Mexicani ſolennem habent. Quendam vel captiuorum, vel etiam mancipiorum ſuorum deligunt, quem in templi conclaue omnium pulcherrimum aut amœniſſimum includunt, & eundem ſui Idoli veſtibus ornatuq́ pulcherrimo induunt, dapibusq́ lautiſſimis largè ſaginant, miniſtrantibus ipſi Dominis maximis & primariis. Noctu verò is, ne quo aufugiat, magnæ caueæ includitur. De die, quo lubet, liberrimus ipſi commeatus eſt. Firma tamen cuſtodia ſeruatur, aliquammultis ceu miniſtris poſt illum incedentibus. Quod ſi is ergò per plateam alicubi ingrediatur, tum illi obuij omnes loco cedunt, & ante pedes eius in genua prouoluti, ipſum adorant. Idem manu fiſtulam quandam tenet, qua inflata cedendi illis ſignum dat, qui aduentantem fors non attenderint. Huic ipſi eo tempore, quodcunque vſpiam libuerit, patrandi omnino licentia eſt, anni nimirum integri decurſu. Quo exacto, feſto quodam peculiari conſtituto ex pede de lapide quodam religatur, manibusq́ illius ſcutum vnà cum gladio inditur, vt cum eo, à quo mactandus eſt, lucta decernat. Quem ſi vicerit, tum non ſaltem liberatur, verùm etiam omni vitæ ſuæ tempore pro inſigni belli Duce habetur. A ſacrifico verò aut ſacerdote ſuperatus, tunc ſuper illo lapide, in quem volutus cecidit, viuus excoriatur illicò. Extractam verò illi pellem quoquouerſum oſtiatim circumferunt, & ad idoli ſui ſuſtentationem ſtipis multum colligunt.

RPJCB

IX.

DE ALIO QVODAM INDORVM SACRIFICANDI RITV.



SED & alium ſacrificandi aut mactandi homines modum Mexicani ſolennem habent. Quendam vel captiuorum, vel etiam mancipiorum ſuorum deligunt, quem in templi conclaue omnium pulcherrimum aut amœniſſimum includunt, & eundem ſui Idoli veſtibus ornatuq́ pulcherrimo induunt, dapibusq́ lautiſſimis largè ſaginant, miniſtrantibus ipſi Dominis maximis & primariis. Noctu verò is, ne quo aufugiat, magnæ caueæ includitur. De die, quo lubet, liberrimus ipſi commeatus eſt. Firma tamen cuſtodia ſeruatur, aliquammultis ceu miniſtris poſt illum incedentibus. Quod ſi is ergò per plateam alicubi ingrediatur, tum illi obuij omnes loco cedunt, & ante pedes eius in genua prouoluti, ipſum adorant. Idem manu fiſtulam quandam tenet, qua inflata cedendi illis ſignum dat, qui aduentantem fors non attenderint. Huic ipſi eo tempore, quodcunque vſpiam libuerit, patrandi omnino licentia eſt, anni nimirum integri decurſu. Quo exacto, feſto quodam peculiari conſtituto ex pede de lapide quodam religatur, manibusq́ illius ſcutum vnà cum gladio inditur, vt cum eo, à quo mactandus eſt, lucta decernat. Quem ſi vicerit, tum non ſaltem liberatur, verùm etiam omni vitæ ſuæ tempore pro inſigni belli Duce habetur. A ſacrifico verò aut ſacerdote ſuperatus, tunc ſuper illo lapide, in quem volutus cecidit, viuus excoriatur illicò. Extractam verò illi pellem quoquouerſum oſtiatim circumferunt, & ad idoli ſui ſuſtentationem ſtipis multum colligunt.

RPJCB

X.

DE MIRABILI SVA PECCATA CONFITENDI RATIONE.



INTER cætera hiſtoriæ memorabilia, modus quoque mirabilis ſua peccata confitendi Iappanis in vſu eſt. Regio Ocaca præruptis & altiſſimis ſcopulis inſignis eſt, quorũ vertices 200 orgiis nonnunquam eminent. Inter illos vnus præ reliquis longiſſimè exporrigitur aut propendet. Quem peregrinantes (quos Xamabuxis vocant) vel de longinquo intuiti, illicò expaueſcunt, tremuntque. Ex his montium ita propendentibus faſtigiis, vectis ferreus exeritur ſeu emittitur, ita fabrefactus, vt tortili filo tum foràs proferri, tum intrò recipi queat. In vectis extremo lanx ſuſpenſa grandior eſt. Itaque ſi Xamabuxis quiſpiam peccatorum confitendorum cauſa in lancem alteram conſedit, tum inſtrumento dicto in liberum aëra extorquetur, & foràs exigitur, ita, vt vacua lanx in altum ſuſſiliat, grauata verò deorſum ruat. Interim, pœnitentiarius ab aſtantibus Goquis (ſacerdotes ſunt ſub ſpecie diaboli aſtantes) ad peccatorum ſuorum confeſſionem incitatur: vbi ad cuiuslibet peccati priuati enumerationem lanx vacua ita ſeſe ſubmittit, vt cum grauata in æquilibrio ſit. Quo facto, vecte retracto, peccator reſumitur, & abſolutus dimittitur, alio proximo in eius illico locum ſuccedente. Quod ſi fiat, vt peccatorum quiſpiam vnum aut alterum peccatum diſſimulare videatur, tum ad accuratam confeſſionem, ſemel atque iterum verbis admonetur. Qui ſi porrò præfractus omnia & ſingula confiteri recuſet, tum ex lance ſua ita violenter excutitur aut eliditur, vt priuſquam ad imas valles deciderit, iam exanimis in multa fruſtilla comminutus diſcrepuerit.

RPJCB

X.
DE MIRABILI SVA PECCATA CONFITENDI RATIONE.



INTER *cætera hiſtoriæ memorabilia, modus quoque mirabilis ſua peccata confitendi Iappanis in vſu eſt. Regio Ocaca præruptis & altiſsimis ſcopulis inſignis eſt, quorũ vertices 200 orgiis nonnunquam eminent. Inter illos vnus præ reliquis longiſsimè exporrigitur aut propendet. Quem peregrinantes (quos Xamabuxis vocant) vel de longinquo intuiti, illicò expaueſcunt, tremuntque. Ex his montium ita propendentibus faſtigiis, vectis ferreus exeritur ſeu emittitur, ita fabrefactus, vt tortili filo tum foràs proferri, tum intrò recipi queat. In vectis extremo lanx ſuſpenſa grandior eſt. Itaque ſi Xamabuxis quiſpiam peccatorum confitendorum cauſa in lancem alteram conſedit, tum inſtrumento dicto in liberum aëra extorquetur, & foràs exigitur, ita, vt vacua lanx in altum ſuſiliat, grauata verò deorſum ruat. Interim, pœnitentiarius ab aſtantibus Goquis (ſacerdotes ſunt ſub ſpecie diaboli aſtantes) ad peccatorum ſuorum confeſsionem incitatur: vbi ad cuiuslibet peccati priuati enumerationem lanx vacua ita ſeſe ſubmittit, vt eum grauata in æquilibrio ſit. Quo facto, vecte retracto, peccator reſumitur, & abſolutus dimittitur, alio proximo in eius illico locum ſuccedente. Quod ſi fiat, vt peccatorum quiſpiam vnum aut alterum peccatum diſsimulare videatur, tum ad accuratam confeſsionem, ſemel atque iterum verbis admonetur. Qui ſi porrò præfractus omnia & ſingula confiteri recuſet, tum ex lance ſua ita violenter excutitur aut eliditur, vt priuſquam ad imas valles deciderit, iam exanimis in multa fruſtilla comminutus diſcrepuerit.*

RPJCB

XI.
DE VARII GENERIS TRIPVDIIS, AVT SALTATIONIBVS, Indis conſuetis.



IN Hiſpania noua, comprimis verò in Mexico, Indi varias ſaltationum ſpecies, quibus ſe oblectant, exhibent. Nonnulli ſuper tenſo fune ſaliunt: alÿ aliis ſuper humeris, æquè ac in plana terra ſtantes, tripudiant. Sed & diſtinctis ordinibus alii ad ſaltationem colliguntur. Ad quorum tenorem ſaltant, inſtrumenta noſtris tympanis fere ſimilia ſunt, quibus & cantores nonnunquam iunguntur. Saltantes autem vniformem perpetuò cum tympanis & cantilenis modum tenent, pedibus ad rhythmorum æquabilitatem ſemper promotis. Quod ſpectaculum admodum iucundum eſſe viſu, ex hiſtoria liquet.

RPJCB

XI.

DE VARII GENERIS TRIPVDIIS, AVT SALTATIONIBVS, Indis conſuetis.




IN Hiſpania noua, comprimis verò in Mexico, Indi varias ſaltationum ſpecies, quibus ſe oblectant, exhibent. Nonnulli ſuper tenſo fune ſaliunt: alij aliis ſuper humeris, æquè ac in plana terra ſtantes, tripudiant. Sed & diſtinctis ordinibus aliis ad ſaltationem colliguntur. Ad quorum tenorem ſaltant, inſtrumenta noſtris tympanis fere ſimilia ſunt, quibus & cantores nonnunquam iunguntur. Saltantes autem vniformem perpetuò cum tympanis & cantilenis modum tenent, pedibus ad rhythmorum æquabilitatem ſemper promotis. Quod ſpectaculum admodum iucundum eſſe viſu, ex hiſtoria liquet.

RPJCB

XII.

MEXICANI, QVOMODO A SVO DEVNCVLO SEV IDOLO PRImum ducti fuerint.



H*Ac figura quadamtenus exprimitur, qua ſpecie modóve Mexicani primò per loca deſerta migrarint, donec pro Idoli ſui Vitzliputzli vaticinio ad ea loca, vbi Tunal arbor, ex ſaxo mero ſeu rupe emergens ſtabat, perueniſſent: ſuper qua arbore, illis aduentantibus aquila, pulcherrimam auem vnguibus premens pro accepto augurio conſederat. Quam, vbi primùm conſpexerant, in genua prouoluti, eam adorauerunt: eodemq́ momento in Idoli ſui honorem tabernaculum, & tandem ſuccedente tempore vrbem* MEXICO *iſto loco extruxerunt. Hic etiam vnà tributum adumbratur, quod Mexicani Regi Azcapuzalco quotannis pendere coguntur. Cum enim olim Mexicanos ſuo territorio eiiciendi cauſas quæreret, iſtiuſmodi eos torquere cenſu voluit, quem ipſi non facile comparare poſſent. Sed ipſorum tamen Idolum Viztlipuztli iſthæc omnia ipſis facilè ſubminiſtrauit. Cenſus verò erat, hortus omnis generis fructibus, vt Maijs, & piſis abundans. Ciconiæ itidem, quæ in hoc horto ſibi nidos ſtruebant: & anſeres, qui pullos excludebant, hiſq́ ſimilia alia. Quæ tamen omnia ſupra aquam nata, & per eandem regi oblata & tradita oportebat.*

RPJCB

XIII.

QVOMODO MEXICANI BELLO TENTATI, CVYOACANOS SVPERArint & coërcuerint.



F*INITIMI ergo populi vidẽtes, Mexicanos indies ſeipſis copioſiores in magnum numerum excreſcere, ad eos, vi exigendos & eiiciendos varia media commenti ſunt: Et inter cætera, Mexicanorum vxores ſuas regiones & fora viſitantes, omni contumeliæ genere ludos fecerunt. Mexicanis verò ne ſic quidem ad bellum irritatis, Cuyoacani aliud ſtratagema tentarunt. Nam tempore quodam feſtiuiore, Mexicanorum primarios honoris cauſa ad ſe inuitarunt. Cumq́ eos omni ludorum & ſaltationum illecebra abundè oblectaſſent, tandem corollarij loco, veſtibus muliebribus ſe induere eos coëgerunt, quos deinde ita amicitos, cum magno pudore & ignominia (quaſi homines effœminati, nulli viro contrapugnare audeant) domum remiſerunt. Quod indigniſſimè ferentes Mexicani, inſtructo derepentè exercitu valida manu Cuyoacanos inuaſerunt, vrbemq́ ipſam Cuyoacan occupantes, hoſtes ſuos ad decem milliarium ſpatia truculenter inſectati ſunt, adeò, vt illi Mexicanis ſe tandem dedere omninò cogerentur.*

RPJCB

XIV.

DE CVIVSDAM MEXICANI CAPTIVI MIRA CONSTANTIA.



MOTECVMA, *eius nominis primo, regni habenas moderante, accidit, vt, cũ is Chalco indigenis bellum inferret, frater eiuſdem Germanus, vnà cum aliquammultis aliis à Chalcienſibus in prælio caperetur. Intelligentibus itaque Chalcienſibus, captiuũ iſtum germanum Regis Motecumæ fratrem, & inſuper bellatorem ſtrenuum eſſe: ſecumq́; quod Rege nullo Chalco, gubernaretur, recolligentibus: Captiuum ſuũ ſibi Regem conſtituere decreuerunt. Conſilium ergo ſuum ipſi detegentes, primò repulſam tulerunt. Ipſis verò ſubinde inceſſanterq́; inſtantibus, cum excuſationi nullum advenſe locum videret, ſed omninò ſibi acceptandum imperium intelligeret captiuus: iuſsit, vt è mali faſtigio, ſuggeſtum quoddam extruerent, ex quo omni populo ſuam voluntatem ipſe ſignificaret. Cui illi quidem facile parebant, vt, qui perſuaſum habebant, quod hoc ritu ſibi ad adeundum imperium maieſtatem grauiorem ſtructurus eſſet. Ipſe verò conſcenſo ſuggeſtu, cum Mexicanos captiuos vniuerſos ad ſe conuocaſſet, indicauit illis quomodo Chalcienſes, ipſorum victores, ſe in Regem ſuum elegiſſent. Se verò ſuomet iam exemplo ipſis hortatorem fideliſsimum futurum eſſe, vt potius fruſtillatim ſe diſcerpi lacerariq́; ſinerent, quàm aut natiuam ſuam patriam contemnerent, aut fidem ei debitam, periuri violarent. Quibus dictis ex alto ſe præcipitem dedit, & ruina ea miſerè comminutus eſt. Qua re offenſi maximopere Chalcienſes, cæteros omnes captiuos Mexicanos trucidauerunt miſerrimè.*


RPJCB

XV.

Sequuntur nunc delineationes & effigiationes aliquot ciuitatum, caſtellorumque: vt & deſcriptiones rerum populorumq́, ab Hollandis in nauigatione per fretum Magellanicum annis 1598. & 1599. facta, notatorum & obſeruatorum.

I.

VERA DELINEATIO CASTELLI PRAIÆ.




HAEC *inſulæ S. Iago meta eſt: in qua Caſtellum Praia ſitum viſitur: cui Gubernator Luſitanus cum Hiſpanico præeſt. Caſtellum hoc, ea parte, qua mare ſpectat, elatum in alta rupe conſidit, & vallis effoßis admodum munitum eſt. Aſcenſus eius valdè præceps ad paſſus circiter 175 porrigitur, ita anguſtus, vt aditus eius à cordatis & fortibus ſex viris, contra mille aſcenſuros, commodè ſeruari poßit. Hic Hollandi tria maiora tormenta, à Luſitanis abſcondita, offenderunt. Ibidem Hollandi prædam ſe inſignem impetraturos, primò ſperauerant. Qui tamen à Luſitanis, conſutis per dolum verbis tam diu eludebantur, dum omnia, quæ Hollandis commoda eſſe poterant, longius amouiſſent. Eo facto, caſtellum deſeruerunt: quod Hollandi deinde nullo reluctante occupantes, poſteà & ipſi reliquerunt.*

RPJCB

XVI.

GENVINA ET EXPRESSA S. IAGO CONTRAFACTVRA.

II.



Sancta Jago, à Luſitanis, tum viris tum tormentis probè armata, munitaq́, vtroque latere vallis fortibus firmata eſt. Hæc ciuitas à prædicta Praia duobus ferè milliaribus diſtat. Ad illam Luſitani fictis verbis Hollandos exciuerant, ſub ſpecie amici contractus & conuentus neceſſarij. Quô cum Hollandi applicuiſſent, binis nauibus idolum ſibi intẽtatum illicò ſenſerunt. Luſitani enim non ſaltem multis ordinibus iuxta littora armati comparebant. Sed & per littoris ſpatia plurima tormenta diſpoſuerant, quibus aduentantes incautius Hollandos exciperent. Inſidiis itaq́ detectis, Hollandi retrò cõmearunt iterum, quod ſuas hoc loco vires experiundi nullum propoſitum haberent.

RPJCB

XVII.

QVIDNAM HOLLANDIS, IN INSVLA BRAVA, ACCIDERIT: ET de Almirantis obitu.

III.



SANCTA IAGO relicta, Hollandi rectà ad inſulam Brauam vela promouerunt. Ad quam cum appuliſſent, à Luſitanis nonnullis, inſulæ incolis, deq́; alto monte conſpicuis, victualia neceſſaria numerato iuſto pretio mercari tentarunt. Illi verò cum inopiam ſummam innuentes, ſeſe rurſus occuluiſſent: tũ Hollandi quoquouerſum palantes, tandem ruinoſas aliquot caſulas inuenerunt, cæteras quidem omninò inanes, vnã verò, cuius ianua congeſtis lapidibus occluſa erat, votis ſuis optabiliorem. Nam hanc, cum Hollandi perfregiſſent, Maijs ſeu frumento Turcico confertam repererunt: quod omne in naues quoque ſecum aſportarunt. Apud hanc inſulam ſummus nauium præfectus, Iacobus Mahu, obiit. Qui feretro, lapidibus plurimis grauato, impoſitus, & Capitaneorum baiulatu à puppi ad proram portatus, tandem à nautis cæteris ſecundum nauis latus in fundum demiſſus eſt. Hunc tribus horis pòſt, eodem fato ſecutus eſt Daniel Reſteau, qui poſtmodum eodem ritu in mari contumulatus eſt.

RPJCB

ill for gr. p

XVIII.
QVOMODO HOLLANDI REGVLVM QVENDAM LITTORALIS tractus Guineæ inuiſerint.
IV.



POSTQVAM *Hollandi, cum maxima vndæ potabilis, rerumq́ neceſſariarum aliarum inopia cōflictati, multis ſuorum infirmatis & decumbentibus littus Guineæ attigiſſent, legatos ſuos cum interprete, ad loci eius Regulum amandarunt. Rex itaque de Hollandorum appulſu edoctus, habitu ſuo ſuperbiſsimo ad illos prodiit. Induerat enim ſe palla Gallica, & caligis ex purpureo panno ſartis, & tæniis ex auro ſpurio conſtratis, cæteroquin nec induſio, nec tibialibus, nec calceis amicitus. Caput illius longa, eaque in apicem deſinente vitta, ex panno croceo, aut rubro cæruleoq́ texta, opertum erat. Hoc habitu ante Hollandos preſſa humilique ſella deſidebat, pedibus eius ouina pelle ſubſtratis. Poſt ipſum omnes eius nobiles, in totum nudi conſederant. Hollandico itaque præfecto ad Regulum ingreſſo, rex illum in conſimili ſella ſtorea inſtrata conſidere iuſsit. Quo facto, quod opus erat, per interpretem tractabatur. Intereà verò Almirans omnes infirmos ex nauibus in terram exponi, ibidemq́ probè curari iuſſerat, dum plerique rurſus conualeſcerent. Illic mortuos, terræ mandabant. Iſti homines, ad Hollandorum quidem aſpectum primum valdè agreſtes & formidoloſi erant. Poſteà autem aſſueſcentes magis, ita miteſcebant, vt cum illis de omnibus probè tractari poſſet.*

RPJCB

XIX.

DE QVIBVSNAM PRAEFECTVS HOLLANDICVS CVM REGVLO TRA-ctârit, & quid ibidem illis euenerit.

V.



DVRANTE *adhuc præfecti cum Regulo tractatione, ex fœminis regiis quædam, Regi, quod ederet, afferebat, vaſe ligneo, paucos nimirum aſſatos pantanos, & ſiccatos piſces ſeu equulos marinos. Potus erat, vinum ex palmis confectum. Eſuries verò cum & præfectum torqueret, nec iſthi potus cibique generi admodum aſſuetus eſſet, per miniſtrum ſuum, infumatæ carnis partem longiuſculam cum caſeo & pane, viniq́; Hiſpanici lagena, quæ in omnem euentum ſecum ex naui attulerat, ſibi promi iubebat. Quæ tractatio regi multò melior, quam ſua propria videbatur. De vino itaque tàm copioſè bibebat, vt ebrius in conclaue dormitum abducendus eſſet. Interim, cum præfectus cum ſuis comitibus, & permutatione à regulo acceptis mercibus, ad naues rediturus eſſet; via ab Indis obſeſſa, nolens volens apud Barbaros pernoctare coactus eſt. Mane autem, domus fores egreſſurus cum oculos circumageret; trucis fœdique aſpectus vetula quædam, tota nuda ad eum propius ſe cōferens, capſulam cinere plenam geſtabat. Quæ vice tertia præfectum circumiens, toruo minitabundoque intuitu in illum directa, manibus ter capſulam quatiebat, adeò, vt præfecti veſtes volitantibus per aëra cineribus vndiquaque occuparentur. Sed & ore hæc vetula murmur varium profundumq́; ſonabat, vt hoc ſpectaculum certè horribile admodum eſſet: dum tandem circuitu tertio finito, tacita ſtrix rurſus abſcederet. Hoc facto, à Regulo dimiſſus præfectus, cum ſuis ad naues rediit.*

RPJCB

XX.

QVID HOLLANDIS AD INSVLAM AMABON DELATIS ACCIDERIT.

VI.



Hollandi ſemel ſuſceptā metam continuantes, poſtquam ad inſulam Amabon appuliſſent, humaniter quidem & amicè apud Luſitanos & Mauros, in præſidiis ibi locatos, de cibariis pro auro argentóve permutandis inſtiterunt. Quod cū omninò ipſis denegaretur, vi ſtatuerunt impetrare, quod non liceret precibus. Itaq; inſtructis ſcaphis deſubito in littus ſe extulerunt. Quo viſo, Luſitani ad eorum aduētum primùm trepidantes, poſteà tormentula quædam in aduenas eliſerunt. Sed Hollandis nihil motis, cum Barbari ſuas caſas ſubiecto igne concremaſſent, fuga ſibi in montanis conſuluerunt. Loco itaque vacuo occupato, Hollandi ægros ſuos in inſulæ templum, & ab incendio ſeruatas ædiculas transtulerunt, dum ſuæ valetudini plenius ipſi redderentur.

ff

RPJCB

XX.

QVID HOLLANDIS AD INSVLAM AMABON DELATIS ACCIDERIT.

VI.



HOLLANDI ſemel ſuſceptã metam continuantes, poſtquam ad inſulam Amabon appuliſſent, humaniter quidem & amicè apud Luſitanos & Mauros, in præſidiis ibi locatos, de cibariis pro auro argentóve permutandis inſtiterunt. Quod cũ omninò ipſis denegaretur, vi ſtatuerunt impetrare, quod non liceret precibus. Itaq; inſtructis ſcaphis deſubito in littus ſe extulerunt. Quo viſo, Luſitani ad eorum aduẽtum primùm trepidantes, poſteà tormentula quædam in aduenas eliſerunt. Sed Hollandis nihil motis, cum Barbari ſuas caſas ſubiecto igne concremaſſent, fuga ſibi in montanis conſuluerunt. Loco itaque vacuo occupato, Hollandi ægros ſuos in inſulæ templum, & ab incendio ſeruatas ædiculas transtulerunt, dum ſuæ valetudini plenius ipſi redderentur.

RPJCB

XXI.
QVID HOLLANDI IN AMABON
PORRO DESIGNARINT.
VII.



HOLLANDI, *cum ſe prædicto loco demiſiſſent, ex militibus nonnulli, quandoq; prædæ*
ſtudio paulò longius ad terræ penita euagati ſunt, non omninò nullo ſuorum incommo-
do. Luſitani ſiquidem, qui paſſim in inſidiis latebant tecti, ſuis Muſquettis ſparſim ali-
quos è medio tollebant. Præfectus itaque cum nullum vitandi excurſus mandatum a-
pud milites locum inueniret, frenandæ eorum petulantiæ gratia patibulum ſuffigere
coactus erat. Et licet magnam armatorum militum copiam emiſiſſet, qui tentarent, an
Hiſpanorum nonnullos capere poſſent: neminem tamen vſpiam attingere potuerunt.
Sed abactis 25 pecoribus ad munitionem ſuam redierunt. Comperta autem certius re,
quod nimirum Hiſpani in monte quodam, vallis munito conſediſſent, Capitaneus Cordes, 150 probè inſtructis
militibus, iiſdemq; in duos ordines diremptis, montem ex vtroq; latere aſcendit. Quos cum Luſitani, diu fre-
quenterq; tum glandibus excuſſis, tum iactatis ſaxis animosè repuliſſent, ita, vt ex noſtratibus multi grauiter
læſi eſſent: nihilominus tamen violentis Hollandorum Muſquettis tàm fortiter contrà eos pugnatum eſt, vt
viribus exhauſti tandem munitionem ſuam deſerere, fugaq; vitæ conſulere cogerentur. Ab Hollandis itaque
monte occupato, dolium vnum aut alterum pane bis cocto repletum, cum nonnullis vini vrceis, & caſeis Hol-
landicis repertum eſt. Quæ cum ad naues proferri curaſſent, montem deſerentes, duas in medio tranſitu ob-
ſtantes domos igne ſuccenderunt, & ſigniferum, ea velitatione obtruncatum, terræ mandarunt. Inde ad na-
ues reuerſi, ad itineris confectionem ſeſe porrò adornarunt.

RPJCB

XXII.

HOLLANDI IN FRETO MAGELLANICO IVXTA INSVLAM QVANDAM grandes & portentoſos homines inueniunt.

VIII.



CVM aliquando Hollandi in freto Magellanico vna aut altera ſcapha verſus inſulam quandam remos agerent, inſperato ipſis ſeptem lintres, vaſtis horrendisq́; & illis nudis hominibus pleni occurrerunt, quorum longitudo decem vel vndecim pedum erat. Cutis horum ſubfuſca viſebatur: ipſi verò toti nudi capillos è capite longos promiſſosq́; fundebant. Hi ad Hollandos inuadendos, cum ſeſe auidè inſtruerent, animo eorum percepto, Hollandi in eos Muſquettis ſtrenuè defulminarunt, & ex omni numero tres derepentè morti dederunt. Quod videntes Barbari, remis incitatis, feſtinò in terram ſe receperunt, euulſisq́; è terra arboribus, contra Hollandos aduenturos ſeſe obuallarunt, cum ſpiculis, tum ſaxis interim minitabundi. Attamen Hollandi, cum perſequi hos Gigantes & fruſtraneum & nimis periculoſum putarent, eos miſſos fecerunt. Barbari autem, cum tempore quodam tres ex Hollandis fortuitò comprehendiſſent, inuſitata & miſerabili laniena eos commactarunt. Hæc figura quoque ſcapharum, quas illi vſurpant, formam exprimit.

RPJCB

XXIII.

HOLLANDI DENVO CANOAS ALIQVOT CVM INDIS INVENIVNT:

ex quibus fœminam cum binis infantibus corripuerunt.

IX.




CAPITANEVS de Wert cum nonnullis aliis, poſtquam tempore quodam lintribus aliquot ad terram contenderet, tres Indis actas Canoas obſeruauit. Qui cum Hollandos viciſſim vidiſſent, in fugam fuſi, verſusq́ montana profugi, non ſecus ac Cercopitheci præcipitia eorum tranſilierunt. Ex illis tamen noſtrates fœminam cum binis liberis corripuerunt, totam nudam, niſi quod dorſum pelle quadam contectum haberet. Circa collum eius, Zona ex colligatis cochlearum teſtis facta, pendebat. Capilli fœminarum curtiſſimè raſi, & virorum contrà promiſſi ſunt. Captæ huic fœminæ, cum noſtrates cibum offerrent, omninò edere recuſauit. E Canoa tamen ſua auiculam arreptam afferens, cum pennis tantùm grandioribus euulſis, eam pauco igne obiter ac leuiſſimè aduſſiſſet, adhuc crudam tàm auidè vorauit, vt cruor è carne emanans, ab ore vſque ad pectus eius deflueret. Sicut id in figura plenius videbitur.

RPJCB

XXIV.

QVID HOLLANDIS AD PINGVINAS INSVLAS DELATIS accciderit.

X.



CVM *inter cætera Hollandi ſuis lintribus ad Pinguinas inſulas pergerent, ſpe magnam Pinguinarum copiam captandi: derepentè, cum vix 450 Pinguinas cœpiſſent, tanta tempeſtatum vis coorta eſt, vt parum abeſſet, quin naues eorum in fruſta minutiſsima comminuerentur Namq; iamdum maior ſcapha fluctuum concuſſu ita obtrita erat, vt vix iuncturis ſuis extremis cohæreret. Interim parum aberat, quin, qui in terra Pinguinis inſidiabantur, metu & perculſione deficerent. Collectis tandem tamen animis, & ante Deum piis profuſis precibus, magno auſu in vndam proſilierunt, ſcaphamq; in terram extraxerunt. Qua deinde ex tempore refecta & reagglutinata, ſociorum nonnulli in Pinguinarum cauo quodam Indicam fœminam, pallio ex pellibus ferarum conſuto tectam, inuenerunt. Viros alioquin nullos in omni inſula conſpexerunt, præter vnum, mortuum in terram proſtratum, & volucrum pennis ornatum. Fœminam autem captam, cum exiguis quibuſdam muneribus donaſſent, liberam & illæſam à ſe rurſus dimiſerunt.*


ill for grp 1

RPJCB

XXV.

QVAE PINGVINARVM, MAGNO NVMERO AB HOLLANDIS CAPTARVM, FACIES FVERIT.

XI.



*P*OSTQVAM *ergò ſuperſtes Hollandorum nauis vnica, de qua in hiſtoria patet, continuando pro voto itineri minimè ſufficere videretur, de tempeſtiuo in patriam reditu conſilio habito, primò omnium, quantum quidem fieri potuit, de alphitis ſeu commeatu neceſſario conuehendo, fideliter laboratum eſt. Itaque cum adhuc in freto Magellanico morarentur, ad eas inſulas conceſſerunt, quas propter ingenti numero ibi captas volucres, pinguinas dictas, pinguinas vocitabant. Tanta enim tamque frequenti copia ibi prehendebantur, vt onerandis 28. nauibus ſufficerent. Nam & iam nongentas cœperamus, cum propter ventorum aduerſitates diutius ibi morari nobis non eſſet integrum.*

Auium forma hic depicta eſt. Magnitudinem anſeris habent, oppidò pingues, à libris 8 ad 16 pendentes. Tergum nigrum, aluum verò candidam habent. Sed & nigris pedibus, anſerinis ſpecie ſimilibus ſunt. Carent alis, quarum loco pinnæ ipſis enatæ ſunt, quarum agitatu pernicem natatum habent. Rectà incedunt, veluti tum ex hoc ſchemate, tum ex ipſo hiſtoriæ contextu videre licet.

FINIS.

RPJCB

XXV.

QVAE PINGVINARVM, MAGNO NVMERO AB HOLLANDIS CAptarum, facies fuerit.

XI.



POSTQVAM ergò ſuperſtes Hollandorum nauis vnica, de qua in hiſtoria patet, continuando pro voto itineri minimè ſufficere videretur, de tempeſtiuo in patriam reditu conſilio habito, primò omnium, quantum quidem fieri potuit, de alphitis ſeu commeatu neceſſario conuehendó, fideliter laboratum eſt. Itaque cum adhuc in freto Magellanico morarentur, ad eas inſulas conceſſerunt, quas propter ingenti numero ibi captas volucres, pinguinas dictas, pinguinas vocitabant. Tanta enim tamque frequenti copia ibi prehendebantur, vt onerandis 28. nauibus ſufficerent. Nam & iam nongentas cœperamus, cum propter ventorum aduerſitates diutius ibi morari nobis non eſſet integrum.

Auium forma hîc depicta eſt. Magnitudinem anſeris habent, oppidò pingues, à libris 8 ad 16 pendentes. Tergum nigrum, aluum verò candidam habent. Sed & nigris pedibus, anſerinis ſpecie ſimilibus ſunt. Carent alis, quarum loco pinnæ ipſis enatæ ſunt, quarum agitatu pernicem natatum habent. Rectà incedunt, veluti tum ex hoc ſchemate, tum ex ipſo hiſtoriæ contextu videre licet.


FINIS.

RPJCB

ADDITAMENTVM
NONAE PARTIS AMERICAE.
Hoc eſt,
VERA ET ACCVRATA
DESCRIPTIO LONGINQVÆ, DIVTVRNÆ AC PERICVLOSISSIMÆ NA-
uigationis, quam OLEVIER à NOORT, claſſis quatuor nauium & 248. hominum Generalis præfectus conſtitutus, ac rebus neceſſariis aliis vberrimè inſtructus per æſtuoſum fretum Magellanicum confecit: qui triennij ſpatio velis vniuerſum terræ globum intrepidus obiuit, eoque in curſu varia, ac ſcitu neceſſaria admodum iucundaq; notauit.

E GERMANICO LATINITATE DONATA, & figuris ſeu iconibus æneis pulcherrimis ornata, editaque opera ac ſumptibus

THEODORI DE BRY P. M. VIDVÆ AC FILIORUM binorum IOAN. THEODORI & IOAN. ISRAELIS ciuium Francofurtenſium.



FRANCOFVRTI,
Excudebat Matthaeus Beckerus.
M. DCII.

RPJCB

VERA DESCRIPTIO NAVIGATIONIS ILLIVS, QVAM OLEVIER A NOORT, QVATVOR NAVIVM

& 248. hominum Generalis præfectus conſtitutus confecit: qui tranſmiſſo freto Magellanico, triennali ſpatio vniuerſum terræ globum circumnauigauit, & memorabilia multa eo itinere obſeruauit.

ANNO à nato ſaluatore CHRISTO 1598. die Iul. 2. nauis vna Mauritius, & altera Concordia dicta Roterodamo ſoluit: quæ 18. menſis prænominati die oram Goeree ingreſſa eſt. Vbi cum Generalis de ordinario ac mēſtruo militum nautarumque ſtipendio conſtituiſſet, binæ hæ naues poſteà Cal. Aug. ad vada Anglicana perrexerunt, vt ibidem naues cæteras ſocias, nēpe Hendrick Fredrick & Spem dictas opperirentur. Quæ cum die 13. Aug. illuc appuliſſent, die 22. vento boreali verſus Pleymuyen receſſerunt, naues reliquas Roterodamo propediem aduenturas ibidem expectaturæ. *Quo tempore naues ſoluerint.*

Die 27. Aug. in Portlandt venerunt: vnde Generalis ſcapham maiorem cum nonnullis militibus amādauit, qui vbinam locorum expectatæ naues tam diu morarentur, perueſtigarent. Hi cum ad oſtium Moſæ vſq; pertendiſſent, nec nauium ſtatum vllum expiſcari potuiſſent: die 28. viſum eſt Generali ad littora Goeree reuerti, maximè quod & procellæ tum temporis obortæ naues loco illo haud leuiter quaterent.

Circa verſperam diei 31. Auguſt. littora illa rurſus attigerunt. Ex quo loco cum Generalis in Roterodamum iterum excurreret: naues reliquas in littora Zelandiæ tetendiſſe, cognouit.

Die 13. Septembris cauro ferente è littore Goeree in fretum Zelandicum vela facientes, naues ſibi expectatas in media via occurrentes viderunt. Quæ poſtquam hora à meridie quarta magno omniū gaudio iungerētur: vno comitatu curſum verſus Pleymuyen direxerunt, quod Pilotta quidam Anglicus, Capitaneus Melis nominatus, qui prioribus annis cum Thoma Candiſch idem iter confece-

rat,ibidem res quaſdam,nauigationi faciendæ idoneas ac neceſſarias relictas,auferre conſtituiſſet.

Die 16.Sept.ventis aduerſis agitati in VVicht diſpulſi ſunt, quorum vi viceAlmirantis nauis in breuia tanto impetu illidebatur, vt manifeſto periculo fundum iam attingeret. Ex quo dum rurſus eluctaretur,tribus integris horis ingenti machinatione deſudatum eſt.

ViceAlmirans fundo incumbit.

Die 18.vento Euronoto perflante,ex VVicht inſula cum 80. circiter nauibus aliis,verſus occidentem ituris,ſoluentes,die 19.Septēbr. Pleymuyen attigerunt. Die 21.poſtquam Generalis cum Capitaneo Melis ante exortū diem ad naues rediiſſent, leuatis anchoris itineri pertexendo ſe accinxerunt.Vento itaq; Iapyge ſpirante curſum intra medium occidentem auſtrumq; direxerunt.Sed cum è vado digreſſi viceAlmirantis ſcapham, ſex viris ſtipatam, longo interuallo poſt ſe relinqui viderent:hanc expectatum, anchoris naues defixerunt. Et cum paulo poſt à prædatoria naue Anglica appellente intelligerent, nauem reſtitem ad claſſem minimè redire velle: illicò leuatis anchoris,inde ſe rurſus extulerunt.

ViceAlmirans cum 6.viris claſſem deſerit.

Die 23. annonæ diſtribuēdæ ac diſpenſandę Generalis modum conſtituit,ita, vt cuilibet indies panis libra dimidia, aquæ menſura vna,& vini modicum porrigeretur. In cuius rei teſtimonium ratificandum,cum diſploſo tormento ſignum dediſſet, preces ad Deum de felici & proſpero curſu nauium fieri mandauit.

Annonæ diſpēſatio.

Die 27.duas ex Biſcaya naues corripuerunt:quas cum Generalis aliquandiu perluſtraſſet,tandem liberas à ſe dimiſit. Die 4. Octobr. quatuor naues ex Barbaria venientes attigerunt : quarum vna Hollandica ex Amſtelredamo,duæ Gallicanæ, & quarta Anglica erant. Horum relatione acceperant,quod peſtifera aëris lue Barbaria miſerè vaſtata ſit, cum in vna Maroocke ciuitate 250000. homines breui tempore horrenda nece abrepti fuerint.Hoc loco altitudo graduum 32.erat.

Barbaria lue infeſtatur peſtifera.

Die 6.Octobr.intra Canariæ maioris inſulas & Teneriffen, ſub gradu 28.ſitas,nauigantes,curſum in Auſtrum flectebant.Die 8. viceAlmirās ſcapham ſuam,à naue ponè religatā,cum viro vno perdidit. Hanc cum fixis anchoris præſtolaretur aliquandiu, eam deinceps non vidit amplius,quod tum noctis tenebris,tum ventorū vi quam longiſſimè à claſſe diſpulſa eſſet.Hic altitudinem 44.grad. & 40. minut.habuerunt.

ViceAlmirans ſcaphā perdit.

Die 9.in littora Barbarica eiecti, altitudinem grad. 22. habuerunt, terræ iam iam illidendi, niſi è ſpecula excubitor malum deuitaſſet. Huius declinationis cauſa mandatum Anglici Capitanei erat. Qui cum intra auſtrum ac occaſum curſum fieri, iuſſiſſet, improuidi nautæ verſus auſtrū nimium declinauerunt, adeò, vt à terra dimidij milliaris ſpatio non abeſſent. Verſus altiorem oceanum ergò recurrentes,cum angulum borealem iuxta Cabo Blanco attigiſſent,

ſent, directo curſui priori iterum incubuerunt, terram tamen à conſpectu nunquam dimittentes. Die 13. nauem poſt ſe quandam ſub grad. 17. & 26. minut. conſpicati ſunt.

Die 18. ſub gradu 11. nauigantes, aduerſum Libonotum adepti ſunt, pluuiis denſiſſimis permixtum. Quibus collectis aquæ plurimum inuaſarunt.

Die 3. Nouembr. ventus auſtralis inundauit, poſtquam ab 11. Octobr. perpetuo Libonoto fatigati fuiſſent. Circa diei exortum terram Guineæ proſpexerunt, quatuor ferè milliaribus verſus ortum ſeptentrionemque à ſe diſtantem. Ibi grad. 3. & minut. 40. habentes, 30. circiter milliaribus à meta præſumpta ſe abeſſe peruiderunt, quos æſtu Orientali ſeductos poſtmodum res ipſa docuit.

Die 4. Decembr. iuxta Cabo de Palma tribus à terra milliaribus aberant, vbi 9. Canoas viris nudis rectas, attigerũt. Hinc malacia freti, iuxta littorum porrectum aſſiduè perrexerunt, intra ortum ac meridiem medij incurrentes. Hæc Cabo de Palma ſub grad. 3½. ſita eſt. Sed vento ibi Africo ſatis idoneo adiuti, lineam tranſmittere attentarunt. A qua etſi vix gradu dimidio abeſſent, hac tamen aura illam penitus exuperare minimè licuit. Die 10. ſub exortum diei inſulam de Prince, verſus medium ortum ac ſeptentrionem ſitam conſpicati ſunt. Qua de cauſa largo vniuerſi gaudio perfuſi ſunt, quod ventorum importunitate in æquore diu iactati fluctuaſſent. Generalis itaque coacto ſenatu bellico ſtatuit, vt ad eam inſulam excurſus fieret. Officiarius ſiquidem Daniel Gerretſz, hanc ſibi inſulam notam, ac rerum neceſſariarum cõmodam promam eſſe prætenderat. Itaque cum & aquæ penuria irreperet, & lue multi iam in nauibus tentari inciperent, directo curſu in ſinũ dictæ de Prince inſulæ nauigatum eſt, fundo paſſibus 16. naues recipiente, ad quem tentandũm, prægreſſa nocte Generalis exploratorem amandauerat. Qui reuerſus, præter loci commodi indicium hoc quoque narrauit, quod nullos vſpiam homines offendere ibi potuerit. Hæc inſula in lineæ parte ſeptentrionali ſub 1½. gradu ſita eſt. Cæterum exploratore ad naues reuerſo, ſenatus bellicus ſuaſu Generalis decreuit, vt emiſſis ſcaphis loci eius vniuerſi conditio diſpiceretur exactius. Quo fine ſcaphis binis & nauicula vna 40. circiter viri emiſſi ſunt, quorum caput ac præfectus Reynier Poppes conſtituebatur. Huic adiungebantur Capitaneus Pieter Eſaias, Capitaneus Melis, Daniel Gerretſz, & Cornelius frater Generalis, ac Ioannes Bremenſis, nauis Vice Almirantis gubernator. Hi cum vadum ingreſſi eſſent, vexillum pacis ſuffixerunt. Quo viſo Inſulani ſimili vexillo munito virum quendam ad ipſos amandarunt, qui, quid quærerent aut actum venirent, rogaret. Huic cum reſponderetur, ſolius annonæ gratia iuſto pretio ab inſulanis redimẽdæ ſe aduentaſſe: ipſos optimè ſperare, & in terram nullo metu exire idem iuſſit, dicens, rerum omnium copiam ibi admodum parabi-

Inſula de Prince.

Duæ ſcaphæ ad inſulam de Prince amandantur.

parabilem proſtare. Primus ergo Gerritſz in ſolum egreſſus à Negro ſeu Æthiope, Luſitanicam linguam callente, admodum humaniter exceptus eſt, vt qui iam olim quoq; eandem inſulam obtriuiſſet. Hic, vbi cum tribus ſociis in caſtrum abduceretur, præfectum cum cæteris in ſcaphis reliquit, vt milites in ſtatione ſua cogeret. In caſtro verò non ſaltem iunctis dextris quatuor illi humaniſſimè admiſſi, ſed & ferculis vinoque lautè tractati fuerunt. Emiſerant etiam inſulani nuncios, qui præfectum à nauibus in caſtrum abducerent. Sed is excuſando ſe, apud milites manere maluit. Videntes ergò iam inſulani, quod plures in caſtrum allicere non poſſent, quatuor dictos ſuos hoſpites proditorio auſu inuadentes, tres eorum primo illicò impetu obtruncarunt: nempe præfectum Daniel Gerretſz, Capitaneum Melis & gubernatorem Ioannem Bremenſem. Quartus verò Capitaneus Pieter Eſias è manibus ipſorum elapſus, pernici curſu ad ſcaphas ſe recepit. Quod videntes in littore palantes milites, proditionem ſubodorati, gregatim in ſcaphas irruperunt. Quos tamen Luſitani inſulares tanta infeſtatione crebris ſclopetorum eiaculationibus ad littora vſque inſectati ſunt, vt in ſcaphis etiam, fratrem Generalis, ac itidem alium, Canter de Amſtelredamo, vocatum, glandibus obtruncarent: adeò, vt vix ſpatium daretur præfecto, cum ſuis ad Generalem redituro. Cognita re hac nefaria, Generalis coacto ſenatu bellico conſultum ratus eſt, vt nulla mora obſtante rectà in portum inſulæ incurreretur. Quo facto, nauis Concordia dicta, rectà caſtrum ſubiit. Illa 120. militibus ſtipata, ducem Reynier Poppes habuit. Vniuerſi hi ſcaphis in littora expoſiti, impetum rectà in caſtrum Luſitanorum fecerunt, eius expugnandi animo certiſſimo inflammati. Sed propter veprium obſtantium impedimenta, & vicini lacus tranſmittendi profunditatem, crebraſque Luſitanorum effulminationes, quod tentabant, obtinere non poterant, ſed retrò pedem referre cogebantur. Vno ergo ex ipſis cæſo, & 16. vulneratis, ad ſcaphas redierunt.

Tres ab inſulanis cæduntur.

Generalis frater feritur.

Hollandi cum Luſitanis fruſtrà velitãtur.

Die 12. circa veſperã Generalis iterum 30. milites in littus amandauit, vt locum fonti proximo vicinum obſiderent, & haurientibus vndam tutum commeatum præſtarent. Eo ergo loco Caſtellum extruentes, rebus neceſſariis ſe commodè muniebant. Interim etiam Generalis armatis cohortibus verſus molas quaſdam, vbi ſaccharum parari ſolebat, irruens, eas ſubiecto igne omnes concremauit. Quo tumultu gliſcente Luſitani, qui in dumetis latebant, vnum ex Hollandis glande perfoderunt, & cæteros deſerto loco ad Caſtellum repulerunt. Ibi dum morarentur, Capitaneum Cleerhagen aliquando in hac inſula egiſſe certis ſignis animaduerterunt. Nam & aſciata quædam ligna, & lapides, calcemq;, & locum iſtum, in quo ligna cæſa ſunt, inuenerunt.

Ex veſtigiis tamẽ quibuſdã liquebat à Caſtello iſto, nondũ penitus

tus extructo Capitaneum à Luſitanis abactũ ac diſpulſum fuiſſe. Cęterum Generalis ad ſinũ alium quoq; ſcaphã emiſerat. Quam tamẽ, cum hominibus plurimis habitatum videret, & de annonæ illic parandæ ſpe actum eſſe intelligeret: circa veſperam diei 17. ex munitione ad naues milite reducto, poſtquã naues aqua recenti vberrimè inſtruxiſſet, leuatis anchoris bono & idoneo vento inde ſoluit, licet ægrorum ac vulneratorum haud pauci in nauibus eſſent.

Die 21. denuo Guineæ oræ propius admoti ſunt, rectà ſub linea æquinoctiali agentes, & 10. paſſibus naues anchoris firmantes. Ventus enim auſtralior curſum intercipiebat. Die 25. Cabo Lope Conſaluo attigerunt: quibus in finibus de nocte ventus plerunque terrenus, de die verò maritimus perflare ſolet. Ibi in terram egreſſi, naues binas Germanicas inuenerunt, quarum vna Barent Dincksz ex Amſtelredamo, altera Zelandica Catus dicta, erat. Ad has cum Generalis Capitaneum Pieter Eſias & Iacobum Ianſz Huy de Copper ſcapha emiſiſſet: à reducibus his comperit, in hoc ipſo Cabo naues Pieter Verhagens nuper integri menſis ſpatio obhæſiſſe, & ſociorum non pauciores 38. ibidem ſepultos fuiſſe, magno ægrorum numero in nauibus relicto. Sed & quendam, qui è nauibus Verhagens aufugerat, in nauẽ ſuã Generalis aſſumpſerat: à quo de rerum plerarumq; ſtatu informabantur. Is recenſebat, quomodo naues Verhagẽs poſtquam fluuium Congo iam ingreſſæ fuiſſent, nihilominus tamen ad Cabo reuerti compulſi ſunt, & inde iterum ante dies 14. verſus Anabon inſulam vela fecerint. Sed & de Capitanei Cleerhagen ſtatu percõtatus intellexit, quod in inſula de Prince cum ſociorum magna parte cæſus occubuerit, & cæteri vix ſummo labore nauibus profugis vitã ſuam ſeruarint.

Naues Pieter Verhagens.

Cleerhagen in inſula de Prince cæſus.

Eodem die Generalis decreto ſenatus bellici quendam è gubernatoribus, Hanſz Volckers de terra Sancta nominatum, propter motam ſeditionẽ in terram exponi curauit. Die 26. ex dicto Cabo Conſaluo ſoluerunt, verſus Braſiliæ terram curſum facientes.

Cal. Ian. An. 1599. Anabon inſulam conſpicati, à meridie ſolis altitudinẽ 2. grad. adepti ſunt, de exuperata inſula illa admodũ ſibi gratulãtes. Die 8. ſolis altitudo 3. grad. & 40. minut. in lineæ parte auſtrali fuit. Die 12. eadem 5½. grad. fuit: quo tẽpore quidã in nauibus morbis tentari incipiebant. Die 20. curſum intra mediũ auſtrum occaſumq; torquebãt, cũ iam Abroles ſe exuperaſſe cenſerent. Ibi altitudo grad. 12. minut. 40. erat. Die 28. ſolem rectà vertici incumbentẽ habuerunt, ſub grad. 18. & minut. 10. nauigantes. Curſum ergò ita moderabãtur, vt à meridie ſolem in ſeptentrionali latere relinquerent.

Ianuarius anni 1599.

Sol in Zenith.

Die 3. Febr. cum altitudinem 20. grad. haberent, de nocte media terram quandã humilem ſibi oppoſitam conſpicati ſunt: parúmq; abſuit, quin nauis Concordia, quæ iam trium paſſuum profunditatem habebat, in oram impingeret. Curſum ergo flectentes, intra

Februarius anni 1599.

occaſum

occaſum ac meridiem naues egerunt, & die 5. terram Braſil attigerũt. A cuius editiore ſinu, in apertum Oceanum concitatius declinantes, duobus tribúſve milliaribus à terra bolidem 4½. paſſibus miſerunt. Sinus iſte, Cabo S. Thomę vocatus, ex eo loco verſus terram Braſilię, in Occidentali ad Cobo Frio latere porrigitur. Hîc ſub altitudine grad. 22. erant.

Cabo de Braſil.

Die 6. ſinum quendam grandiorem, Baye Formoſe nuncupatum incurrẽtes, circa veſperam Cabo Frio admodum editum tranſmiſerunt. Ab hoc curſum in Occidentem flectentes, importuno cauro adeò obruebantur, vt non ſaltem collectis velis opus haberet, verùm à ſe inuicem longis interuallis quoq; diſgregarentur, & iuxta littora anchoras mittere nolentes volentes cogerentur. Hæc venti aduerſitas integro biduo durabat.

Circa diei 9. medium Rio Iauero attingentes, anchoras extra ipſum ſinum iactarunt. Vbi cum 14. paſſ. profunditate intra duas inſulas boreales inniterentur, derepentè alterius anchoræ funis ruptus eſt. Poſteà euro recenter ſpirante, velis in Dobaërt contenderunt. Quo loco 9. paſſuum anchoras extra Caſtellum quoddam iuxta fauces magni lacus, in quem riui multi ſe exonerant, iactarunt. Generalis itaque gubernatorem Barent Ianſz cum binis remigibus exili ſcapha emiſit, qui de annonæ parandæ commoditate diſpiceret. Qui cum propter importunitatem ventorum ex ſinu illo ingruentium terram attingere non poſſet: poſtero die ad naues grandis Canoa, 7. vel 8. viris munita appulit. Inter hos quidam erat Luſitanus, Pieter Tack, linguæ Germanicæ peritiſſimus, qui cum ſinus illius Gubernatore nupero tempore 300. milites illùc induxerat. Is à Gubernatore ſe emiſſum prætendebat, vt percontaretur, quinam in nauibus iſtis homines veniſſent. Cumque intellexiſſet, aduenas meros Germanos eſſe, qui commeatus ac annonæ copiam pro pecunia præſenti aut mercibus promptis peterent: à Generali humaniter lauteq; habitus Canoa ſua ad terram rediit, reſponſum Gubernatoris primo quouis tempore relaturus.

Hollandi, qui ſint, rogãtur.

Circa meridiem idem Luſitanus ad naues Canoa ſua reuerſus præter ſexaginta aurantia nihil ſecum attulit. Sed nec definitum Gubernatoris reſponſum exprompſit. Vnde, cùm Generalis ac ſenatus bellicus inanibus ſe verbis differri viderent: ac ab ipſo Luſitano intellexiſſent, niſi retineretur ipſemet, parum admodum rerum neceſſariarũ ibi paratum iri: conſilio inito Luſitanum cum Meſtiſche quodam, ac binis ſclauis ſecum detinuerunt, ac Canoam cum cæteris (quibus Pieter Tack ad Gubernatorem litteras vnà dabat, quibus rogabat, vt aduenis pro pecunia & mercibus fructus daret) ad Caſtellum remiſit. Noctem eam quatuor dicti in nauibus exegerunt.

Luſitanus in naui retinetur.

Diei 11. aurora prodeunte, nedum vllum à Gubernatore reſponſum extortum eſt. Multæ tamen Canoæ per Caſtelli finitima ex ciuitate

uitate agi viſæ ſunt. Itaq; conſilio ſenatus tres ſcaphæ, 60. aut 70. viris munitę ad parandos fructus & aliā annonā emiſſę abierunt. Hi iuxta editum mōtem quendā, Panē ſaccharinum vocatū, in ſinum auſtralē rectà impetum fecerunt, quē fructib. omnifariis vberrimè abundare à Luſitano acceperāt. Quo fine etiā Meſtiſchen (ex cōcubitu Luſitani ac Indi prognatū) ſibi adiunxerant, vt in paradis neceſſariis auxilio eſſet. Hi cum terram attigiſſent, dumeta latitantibus militibus omnia referta eſſe viderunt. Interim cū bini ad explorandū rerū ſtatū ex ipſis Hollandis emitterentur: derepentè ex inſidiis inuaſi, ac captiui abducti ſunt ab incolis Luſitanis, qui pręter hoc numeroſis quoq; iaculis in ſcaphas extortis, Hollādorum 7. vel 8. haud leuiter vulnerarunt. Hunc tumultum cum Concordia nauis ſenſiſſet: ſcaphis auxiliatum, quā potuit proximè, ad littus procurrit. Verum propter crebra fulmina, è Caſtello facta, retrocedere coacta eſt, poſtquā glande emiſſa Hollādorum vni caput totum decuſſum fuiſſet. Harum violentia rudētes quoq; vndiquaq; haud tenuiter oblędebantur. His ita gliſcentibus, ſcaphæ ad naues, militibus binis deſideratis, redierunt: duo verò cæteri captiui in Rio Iauero abducti ſunt. Generalis autē literis ad Gubernatorem miſſis rogauit, an nō ſuos captiuos cum Luſitanis retentis permutare vellet. Has literas ſclauus quidā, in terram enatans, ad Gubernatorem extulit. Circa veſperam ex Caſtello quidam, pacis ſigno, ad littora egreſſi ſunt. Ad quos cum Hollandi ſcapham emitterēt, rogarunt Luſitani, quem ad locum duo captiui deducendi eſſent. Quibus reſpōderunt Hollandi, iuſſeruntq;, vt in oppoſitam nauium ſtationem ferrentur, & ſuos ibidem reciperent. Sed eadem ipſa nocte procellæ ex auſtro tam validæ incubuerunt, vt parum abeſſet, quin naues in ſcopulos ac ſaxa penitus illiderentur. Die verò 12. in definito Luſitanis loco vexillum quoddam pacis conſpicati ſunt. Quô cum ſcapha captiuos ſuos eduxiſſent, à Luſitanis viciſſim ſuos ſocios receperunt. Poſteà Luſitani quidem res neceſſarias omnes Hollandis ſpopōderunt: quorum tamen verbis fidere nemini iam amplius libebat. Cæterum cum Generalis Luſitanum captiuum in terram emitteret, mādauit militum præfecto, vt ſcapham in breuia illius loci ageret, quod alibi tutus ad terrā aditus propter æſtus frequētes Oceani non pateret. Cumq; iam Luſitanus inde in terram enataret, quidam ex Hollādis VVilhelm Potter è Delphis dictus, vnà cum ipſo veſtibus depoſitis nullo generalis mādato enatauit. Is cum vix littus attigiſſet, nudorum Indorum ex dumetis magna caterua prorupit, & nudum Hollandum, quem iam ſcapha quoque ad claſſem reuerſa deſeruerat, correptum abduxerunt.

Duo Hollandi à Luſitanis capiuntur.

Captiui Hollandi reſtituuntur.

Hollandus deſeritur.

Die 12. Febr. circa veſperā Generalis tormento diſploſo diceſſionis ſignum dedit. Itaq; anchoris attractis, vehēte auſtro ſinum cum egreſſi ſunt. Quo curſu cum ventū admodū dubium & copioſis imbribus permixtum haberent, vela ad S. Sebaſtiani inſulā direxerunt.

BBB Diei

Diei 16. aurora prodeunte, intra duas inſulas anchoras miſerūt, quod ſe S. Sebaſtiani inſulæ vicinos arbitrarentur. Nam locum certò internoſcere non poterant, quod ora illa admodum lata, continenti quadamtenus ſimilis eſſet. Ad rerum conditionē ergo certius explorandam Generalis ſcapham ſuam amandauit, cæteras interim, naues in dictarum inſularum ambitu continens. Cum verò nulla certa ſigna, quibus locus cognoſceretur, pateret, illarum inſularum alteram Moſſel, alteram palmites Generalis indigetauit. Ibidem præter conchas aliquot ac palmites, vndamq; recentem nihil inuentum eſt.

Die 20. anchoras iterum alleuantes, inde verſus fretum Magellanicum curſum ſuum deſtinarunt. Sed cum metæ aliquātum confeciſſent, die 21. ex altiore Oceano ventus deſubitò importuniſſimus inſonuit, qui naues haud leuiter quateret. Rati ergo conſultum ſunt, vt vela curſuſque inuerteretur, & de relictis inſulis certius documentum fieret. Reuerſi autem, cum eandem ipſam S. Sebaſtiani inſulam eſſe prouiderent, nauibus ſuis intra inſulam & continentem impulerunt, ac in portu ibi admodum idoneo, ac à ventis omnibus tuto conſederunt. In huius eminentibus tumulis numeroſi piſces captati ſunt. Fructus verò nullos inuenire licuit, quod ſterilibus arboribus inſula omnis horrida eſſet, adeò, vt ne tranſitus quidem in locis plurimis pateret. Vnde tamen recentis copia ad placitum dabatur. Ibidem in littore enatas aliquammultas petroſelini radices quoque effoderunt.

Hollādi S. Sebaſtiani inſulam attingūt.

Die 27. dum in ea S. Sebaſtiani inſula agerent, Capitaneus Huydecooper ſex viros parua ſcapha in terram emiſit, qui de obuiis rebus indicia referrent. Hi verò ab Indis, qui in ſylua illa ſe abſconderāt, & ex Rio Iauero naues inſectati fuerāt, inſperato inuaſi ſunt: quorum duo primo illicò inſultu ceciderunt. De cæteris quatuor quid actum ſit, nedum comperire licuit.

Hollādi ſex ab Indis inuadūtur.

Die 28. cum præter piſces & ligna inſula illa nihil promeret, circa meridiem, ab vnda recenti optimè inſtructi, anchoras iterum attraxerunt, & ex Oriētali parte portum egreſſi ſunt, quo loco inſula quædam Alcatreſſe dicta, ſita eſt. Sed intra Moſſel & S. Sebaſtiani inſulam exeuntes, gradus 24. numerauerunt. Ab eo tempore Oceanus incertis ac planè ambiguis ventis ferè ſemper æſtuabat, auſtro tamen plerumq; primas ſibi vendicante.

MARTIVS.

Die 14. Martij vulturno vſque adeò valido & fremente iactati ſunt, vt colligere vela omnino cogerētur. Hiſce pcellis maior ſcapha vndarū violēto illiſu tātoperè laxata & obtrita eſt, vt iam mergi inciperet. In quo cū viri quatuor agerent, vix magno niſu ac labore eripi potuerunt. Quib. extractis, nauis demū cū rebus omnib. peſſum iuit. Iiſdē vndarū furoribus durantibus Vice Almirans ac Spes naues è cæterarū conſpectu diſiectæ ſunt. Hoc turbine ſine velis quadriduo integro in ęquore iactati grad. 32. in lineæ parte auſtrali numerauerunt.

Scapha maior mergitur.

Die

Die 17. diſpulſæ naues magno omnium gaudio claſſi ſe iunxerunt iterum: quæ poſteà iunctæ curſum ſuum verſus ortum lento paſſu promouerunt. Hoc tempore, qui in naui Concordia erant, ſocias naues magnis clamoribus inuocabant, vt in exigenda profunda nautea opem ſibi celerrimã præſtarent. Nam à merſione eadem nauis vix magno labore ſeruari poterat. *Concordiæ periculum.*

Die 19. Capitaneus Pieter Eſias ad Generalem contendit, querens, panes plurimos in naue ſua vdore corruptos eſſe, nautaſq; ſuos tenendæ ac ſaluandæ naui, vt quæ aſſiduò ingenti aquæ copia perflueret, minimè ſufficere. Generalis itaque coacto ſenatu optimum eſſe decreuit, vt Concordia nauis, carioſa admodum ac rimoſa, ſuis bonis exoneraretur, ac maioris periculi vitãdi cauſa omnino deſereretur. Hac nocte velis omnibus contractis ventorum impetum ſequentes, altitudinem 32. grad. & 15. minut. numerauerunt.

Die 20. vento nedum remittente, exonerato tormento Generalis ſignum dedit nautis ac gubernatoribus, vniuerſoque ſenatu bellico conuenturis. Cum enim viderent, per procellarum continuam vim bona ac annonã, reſq; alias è Concordia minimè exonerari poſſe: & iã hyemis principium ante fores eſſe, aëremq; perpetuis imbrib. ac ſæuis tempeſtatibus horrere, ac continuando per fretum Magellanicum itineri minimè fauere intelligerẽt: deniq; etiam ægrorum numerum indies augeſcere ſentirẽt: ab ea tẽpeſtiuum, imò neceſſarium omnibus viſum eſt, vt cum nauib. vniuerſis in S. Helenæ inſulã contenderetur, & ibi tum hyberna agerentur, tum ægroti cõmodius curarentur & reficerentur, dum tandem aëris ac ventorum iniuriæ miteſcerent, & ſenatui ſtatutum eſſet, quando curſus denuò per fretum Magellanicum inchoandus ſit. De his articulis, vt ſuã quiſq; ſententiam ſcriptã conferret, Generalis mandauit. Cumq; ſperaret, ſe breui tempore S. Helenæ inſulam attingere poſſe: Concordiam tantiſper ſeruare ac ſecum agere conſultum putauit. Quæ vt regi commodius, & à periculis vindicari pręſentius poſſet: ad eius curam Generalis plures alios ordinauit, hac etiã de cauſa præcipuè, quod nautarum pars magna ex ſcorbuto grauius infeſtaretur. Harum verò rerum decreto facto, ad nauem propriam quilibet rediit, curſum ſuum in occaſum ęſtiuum impellentes. Hoc tempore ſolis altitudo grad. 31. minut. 25. in lineæ auſtrali parte erat. Sed ventus ferè ſemper Euronotus vela feriebat, adeundæ S. Helenæ inſulæ non admodum idoneus. Ad naues ergo proferendas cura & labore non tenui opus erat. *Deliberatio, vbinam agenda hyberna ſint.*

Die 30. in Concordia, Ian de Grol, ex ſcorbuto obiit. Qui primus omnium hac lue in nauibus extinctus eſt. Ibi altitudinem ſolis 30. grad. in lineæ auſtrali facie habuerunt. *Ian de Grol ex ſcorbuto obit.*

Die 2. April. noua aquæ diſpẽſatio inſtituta eſt, ita, vt cuiuis quouis biduo duo eius canthari porrigerentur. *APRILIS. Aquæ diſtribuendæ ordo.*

Die 8. per pharmacopœum & Chirurgos mandato Generalis ægrorum

grorum luſtratio facta eſt: qua quinque ex ſcorbuto admodum languidi, ex morbis verò aliis quatuor infirmi reperti ſunt. Circa veſperam ventus Fauonius ſpirare cæpit.

Die 9. cum vētus idem incumberet, eius ope curſum pertexentes, circa meridiem altitudinem 29. grad. & 23. minut. habuerunt. Ibidem etiam compaſſum integri gradus menſura in occaſum æſtiuum deflexiſſe notarunt.

Die 12. priore vento ceſſante, vulturnus ſpirare cæpit: vbi circa meridiem altitudinem grad. 30. & 24. minut. occuparunt.

Die 18. ventus iterum Fauonius ſurrexit: quo cum in occaſum æſtiuum iterum peruaderent, altitudinem 31. grad. 20. minut. adepti ſunt. Hoc die primus in naue ViceAlmirante mortuus eſt.

Die 26. Vulturnus admodum placidus continuauit. Vbi cum grad. 25. & 8. minut. altitudine pergerent, intra medium boream & ortum curſum ſuum dirigere coacti ſunt, modò inſulam S. Helenæ tenere vellent. Nam & tum temporis venti plerumque inidonei ſpirabant, & in nauibus morbi ita inualeſcebant, vt quotidiè ferè terni quaternive occumberent: ad quos viſitandos, Generalis indies naues omnes adibat, &, quod poterat, infelicitatem ægrorum ex temporaneo ſolatio leniebat.

Hollandi ſcorbuto multi obeunt.

MAIVS.

Cal. Maij aquilone incumbente, altitudinem 23. grad. & 26. minut. numerauerunt. Circa meridiem, cum Eurus flaret, die 4. grad. 21. & minut. 25. habuerunt.

Die 5. Generalis ViceAlmirantem ac Capitaneos, nauiumque præfectos ad ſe vocatos, impendiò admonuit, vt ad inſulam S. Helenæ attingendam operam diligentiſſimam nauarent. Cum verò ViceAlmirans cum ſuis gubernatoribus nautiſq́; inſulam eam verſus caurum ac aquilonem ante ſe ſitam affirmarent, & ad ipſam adeundam Argeſte vehente opus eſſe prætenderent: cæteris de hoc ſententia alia placuit, inſulam nimirum eam in latere euroaquilonari à ſe diſtare. Itaque cum tum temporis ventus Orientalis ſpiraret, decretum eſt, vt eius opera vela rectà ad inſulam flecterentur, & poſtero die, niſi ventus mutaretur, in ſeptentrionem curſus torqueretur, vt hoc nimirum pacto deſideratiſſima pridem meta teneri ac occupari poſſet. His publico omnium voto ita decretis, diſceſſione facta, ſinguli ad ſuas operas & munia redierunt, fore ſperantes, vt breui tempore S. Helenæ inſulam attingerent.

Die 8. ViceAlmirans cum Capitaneis cæteris exactius diſquiſiuit & trutinauit, an cum hoc vehente Euro inſulam adiri poſſibile eſſet. Vniuerſis itaque mappis diligenter inſpectis, ſe inſulæ vicinos iam eſſe, cognouerunt. Curſum ergo antiquum vrgentes, gradus 17. habuerunt.

Die 9. altitudo grad. 16. & minut. 8. erat. A meridie Capitaneus Huydecooper diſploſo tormento ſignum nauibus cæteris dedit, arbitra-

bitratus ſcilicet,ſe à læua inſulam conſpicatum eſſe.Et cæteri quidem vniuerſi etiam eiuſdem cum eo ſententię erant,viſam inſulam S.Helenæ eſſe,quod viderent, terræ angulum inſulam ſua prominentia ita occulere,vt exacte internoſci nō poſſet. Hoc cum viceAlmiranti indicaretur: is ad Generalem ſe conferens, recte ſe pridem de inſulæ ſtatu iudicaſſe atteſtatus eſt,dicens terrā aliam ibi nullam finitimam eſſe, & S. Helenam longius à ſe verſus occidentem iacere. Cui etiam Generalis iam non amplius refragari poterat, vt qui præ cæteris omnibus huic vni velut rerum maritimarum peritiſſimo, fidei plurimum ſtipularetur. Decreto ergò nouo illico ſtatutum eſt, vt circa veſperam naues verſus occaſum agerentur. Ratum enim erat, S. Helenam ſub grad.16$\frac{1}{2}$.ſitam eſſe. Vt ergò ducem viceAlmirantem naues omnes ſedulo ſequerentur, Generalis ſeriò mandauit. Circa veſperam tormentis ſigno dato, nauibus verſus occaſum procurri cæpit, vento vehente Euro Ducem ſuum vniuerſis ſequentibus.

ViceAlmirans rerum maritimarum peritiſſimus.

Die 11. viceAlmirans cum Capitaneis,gubernatoribuſq; ac nautis aliis ad Generalem commearunt,vt de neceſſariis exactius deliberarent. Dum ergò deliberationibus ſeriis intentè vacarent, ſe longè infra S.Helenam iam actos eſſe,animaduerterunt.Ita, vt eius tenēdæ ſpem iam nullam reliquam haberent. Quicquid enim tum ex mappis,tum viceAlmirantis relatione anteà ratum erat, id nunc vniuerſum fefelliſſe, liquidò apparebat, id ipſum indignantibus quoque vniuerſis gubernatoribus,qui vice iam tertia viceAlmirantis ſententiam ſequi coacti ſunt. De nouo ergò iam iterum votis & ſuffragiis collectis, proximum viſum eſt, vt verſus inſulam Martyn Vaaz ſiue Aſſentiō,aut quamcunque aliam finitimam diuerteretur. Quarum, ſi quidem nulla obtineri poſſet, ſtatuerunt, recta terram Braſiliæ incurrere. Nam adita terra ideò comprimis opus erat, quod in nauibus ægri ſubinde magno numero augeſcerent. Hoc ergò inſtituto, recens firmato, circa veſperam bonis auſpiciis ventis vela de nouo data ſunt.

Claſſis à S. Helena aberrauit.

Die 21. paulo ante meridiem terram quandam verſus medium auſtrum occaſumque ante ſe ſitam depræhenderunt. Ad quam velis directis contenderunt, ibidem ſuos ægros commodius refecturi. Nam cum ab initio regionem viſam, inſulam Martyn Vaaz eſſe perſuaſum haberent: in portu eius, non admodum idoneo anchoris naues defixerunt. Capitaneus verò Pieter Eſias binis cum ſcaphis, & aliquammultis militibus remis verſus inſulam impellens, vbi propter æſtuantis oceani vim nullibi in terram egredi commodè poſſet, tandem tamen poſt diuturnos graueſque niſus aditum quempiam nactus eſt.Qui tamen & ipſe longius non ducebat, quod ſaxis ac rupibus denſiſſimis obiectis viæ omnes inacceſſæ & impeditæ rigerēt. Fruſtrà ergò egreſſu quæſito,ad naues redeundum fuit. Quod priuſquam faceret, ſcaphis obiter inſulam ambiuit, viditque,pro ægris

illic nec commodum ſatis locum, nec fructus refectorios vllos reperiri licere.

Dicta hæc inſula ſub grad. 20½. verſus lineæ partem auſtralem ſita eſt. In hac tamen hoc commodi acceperunt, quod numeroſam volucrum, ab ipſis Malle Meuvven dictarum copiam reperirent. Hæ enim manſuetiſſimę tanto numero ibi degunt, vt fuſtibus volantium earum multi greges cædi poſſint. Claſſis autem iuxta inſulæ plagam auſtralem 30. paſſ. anchoris conſederat. Cum ergo propter ſaxoſa præcipitia inſulam hanc omninò inacceſſam eſſe videret, diutius re fruſtranea obteri inconſultum rati ſunt. Non defuerunt tamen, qui putarent, moram ibi adhuc vſque ad diei ſequentis auroram trahendam eſſe, an forſan noua eaque diligentiore perueſtigatione aſcenſus aliquis in inſulam inueniri poſſet. Poſtero die Generalis ad viceAlmirantem pergens, re deliberata ſtatuit, vt hoc deſerto portu in inſulam Aſſention vela fierent. Hanc viceAlmirans ſibi apprimè notam, ac ſub grad. vigeſimo verſus occaſum vlterius ſitam eſſe, aſſerebat. Stante hac ſententia, manè leuatis anchoris inde naues emouerunt, intra boream ac occidentem curſum molientes. Nam ad hunc tenendũ ventus Orientalis nõ inidoneus perſpirabat.

Malle Meuvven aues, fuſtibus & manibus captæ.

Claſſis ad Aſſention pergit.

Sub diei 30. auroram, cum ventus ab Euro iugiter duraret, circa meridiem altitudinem 20. grad. & minut. totidem habuerunt. Ibi rurſus terra quædam ipſis in cõſpectum data eſt. Quam cum primo Aſſentiõ eſſe arbitrarentur: propius ei admoti continentem Braſiliæ, à qua 80. milliariũ ſe interuallo adhuc abeſſe cenſebant, eſſe viderũt.

IVNIVS.

Calendis Iun. anchoras ſuas in loco quodam, Rio Dolco vocato, paſſ. 20. miſerunt. Inde ergò, cum generalis aliquot viros emiſiſſet, qui terræ conditionẽ, & rerum parabilium rationem explorarent: à Luſitanis, qui magno numero eos aditu prohibebant, repulſi, recta iidem ad naues recurrerunt. Generalis itaque cognita re, ac in deliberationem vocata, ſtatuit, vt à meridie illicò inde rurſus ſolueretur. Quo facto, curſum ſuum verſus hybernum ſolſtitium impenderũt, fore ſperantes, vt tandem alicubi locum, reficiendis ac curandis infirmis idoneum offenderent.

Die 2. circa auroram malacia ſumma gliſcente inſulam ſe quandam terræ vicinam conſpicere arbitrati ſunt. Ad quam propius ſpectandam cum binis ſcaphis Generalis ſanorum partem magnam emiſiſſet: à reuerſis S. Claram inſulam eam eſſe cognouit. Itaque nauibus recto curſu verſus eam impulit. Quam cum circa veſperam attigiſſent, viceAlmirans cum Concordia in inſulæ latus auſtrale conſedit: Generalis verò, cum Spe ſua partem borealem obſedit. Vbi, cum fundus vadi non vltra vndecim aut duodecim pedes altus eſſet, nauis eius in illum incubuit, ita, vt integrarum quatuor horarum ſpatio ex eo ſe emoliri non poſſet. Quod certè ſine euidenti periculo factum minimè fuiſſet, ſi vel leuis oborta tempeſtas

S. Clara inſula.

Almirantis nauis fundo incumbit.

peſtas mare conturbaſſet. Magno ergò ſudore, ac ſingulari Dei benedictione ſe tandem inde citra omne periculum eruerunt. Hæ poſteà coniunctæ, vna paſſ. 6. in loco idoneo conſederunt.

Die 3. Generalis cum Capitaneis, duabus ſcaphis in inſulam cōtendit, viſum ac diſpectum, num qua commoditate in eam aſcendere poſſet. Sed omnis inſulæ ambitus grandibus ſaxis ſcopuliſque rigebat, & vix ad dimenſum diurnum vnda ſuppetebat, ex quadam diductione montis profluens. Nihilominus tamen Generalis iuſſu infirmi omnes in terram exportati ſunt, quos ſcorbuti vis pleroſque mirè ac miſerè lancinabat. Nonnulli vt in ſuis thalamis iacebāt, funibus extrahendi erant, quod ſe loco mouere præ ſumma infirmitate non poſſent. Haud pauci, quam primum terram attigerunt, diem obierunt. Hoc rerum ſtatu vigente, pro ægrotis caſulas ac tuguriola extruebant, ſanis in excubias pro infirmorum tutela diſpoſitis. Quo fiebat, vt nocte, vltra 7. vel 8. in vna qualibet naue non relinquerentur. *AEgri in S. Clara exportantur.*

Hac in S. Claræ inſula præter palmites, & herbas virides, quas vel coctas, vel crudas eſitabant, nihil parabile erat. Quanquam & binæ arbores ibidem inuentæ ſunt, acida pruna ferentes, quæ guſtatę ægros non parum reficiebant, adeò, vt frequentiore illorum vſu, diuina annuente ope ac gratia, mirabiliter ſaneſcerent, ac ex morbis diuturnis eluctarentur. In hac inſula cum dies 15. exegiſſent, ægri ferè omnes illa mora conualuerunt, præter quinos, qui morborum diuturnitate ſupra modum attriti & enecti fuerant. Nam hi nulla medela opitulante, vitam in inſula exuerunt. Totius huius inſulæ ambitus milliaris vnius ſpatium non excedit: qua meta quoque à continente, in qua plurimi obuerſari homines viſi ſunt, diſtabat. Luſitani ſiquidem illis locis vniuerſis imperitant, ac regionum illarum ſoli moderatores ſunt, cum Indis, quorum imperium affectant, perpetuis bellis ac velitationibus concernentes. *AEgri ex vſu prunorum acidorum ſaneſcunt.*

Die 18. Generalis populum omnem, ſanos ſimul ac ægros, ad naues recolligi iuſſit, eodem adhuc die motis inde caſtris expeditè ſoluturus. Sed cum derepentè tempeſtas aduerſa incumberet, vno die morari ibi coacti, bonis vniuerſis Concordiam interim omninò exonerauerūt, & tum tormenta, tum annonā, tum merces ac alia ſimilia in naues cæteras diuiſim extulerunt. Iſtam ſiquidem nauem, quod vt diximus, admodum laxa & rimoſa eſſet, longius proferri minimè licebat. Dum vero in dicta inſula agerent, Generalis decreto ſenatus bellici, quēdam Ian Claess in vice Almirantis naui tormentis præfectum, vt & alium Gerrit VVillemſz Prins, Concordiæ armamentariū propter multa facinora & incæptas nefarias cōſpirationes ad expoſitionem damnauit. Sed & tertius, Gerrit Adrianss Vliſſingenſis, qui paulò ante quendam gubernatorum, VVillem Ghyſen cultro confoderat, hoc pœnæ genere affectus eſt, vt manus eius dextra, *Quidam in S. Clara puniūtur.*

tra, tranſadacto cultro ad malum defigeretur, quem ſaucia manu i-pſemet extrahere cogebatur.

Concordia exuritur. Die 21. Concordia ſubdito igne cremata, tribus ſuperſtitibus nauibus in latere inſulæ auſtrali iterum ſoluerunt, & pertexendi itineris cauſa vela ad S. Sebaſtiani inſulam verterunt, vt in hac aquam neceſſariam inuaſarent. Dicta autem S. Claræ inſula ſub grad. 21. & 15. minut. à linea auſtralius ſita eſt.

Die 30. intra S. Sebaſtiani inſulam ac continentem portũ illum ingreſſi ſunt, quem anteà quoq; tenuerant. Diligentibus ergò contra inſperatos inſultus excubiis habitis, quãtum aquæ neceſſarium erat, hauriebant. Pro ægrotis verò, quorum nonnullos ſecum adhuc habebant, præter piſces nihil ibi promptum erat.

IVLIVS. Die 9. Iulij, exonerato tormento, Generalis vniuerſis ad naues redeundi ſignum dedit. Quo facto, attractis anchoris, ex latere boreali ab inſula ſeceſſerunt. Antequam verò portum egredi poſſent, propter aëris ſummam tranquillitatem magno labore ac molimine opus erat. Ex quo tandem eluctati, triduo integro poſt, apud Palmitas inſulas obhæreſcere coacti ſunt, quod gliſcente malacia curſus proferri minimè poſſet. Ea tamẽ mora palmites ex dicta inſula copia iuſta colligebantur.

Die 16. Generalis cum ſenatu bellico re deliberata, ad inſulam Porto Deſiere, ſub gradu 37½. ſitam diuertere decreuit, vt ex ea naues rebus neceſſariis omnibus commodius inſtruerentur: ſtatutumque eſt, vt ſi naues fors à ſe inuicem diſgregarentur, in eodem loco iterum conuenirent, & abſentes expectarent. Itaque Palmites inſula deſerta curſum ſuum verſus auſtrum agentes, intra inſulam S. Sebaſtiani, & Porto Deſiere, Africo notoque admodum aduerſo impetiti ſunt, ita vt propter procellas & tempeſtates violentiores in obtinenda meta non parum retardarentur.

AVGVSTVS. Cal. Auguſti, Libonoto vſq; adeo concitato ac importuno infeſtabantur, vt cõtrahi vela omninò opus eſſet. Aliquandiu ergò ſine velis nudo ventorum arbitrio fluctuantes, iuxta Rio de Plata altitudinem 35. graduum attigerunt. Hac ventorum vi perdurante, cum velis nullis vſque ad 10. Aug. vti poſſent, tandem Iapyge commodiore perflante, curſum ſtatutum, innouarunt. Sed hæc commoditas diu non vigebat. Nam die illicò 15. de nouo Aparctia tam furibundo iactari cæperunt, vt ſine velis iterũ nauigare cogerentur: quæ quidem aduerſitas, vſque ad 18. Aug. continuabat, quo aër tranquillior & pacatior redditus eſt. Hic ſub grad. 73. in lineæ parte auſtrali erat.

Die 26. Aparctia importuno iterum concuſſi ſunt, adeò, vt vi eius celocem diſpulſam manè deſiderarent. Quæ cum ad naues poſtero die rediiſſet, iunctim ſine velorum ope, ventorum impetum ſequentes, die 29. vulturnum commodiorem adepti ſunt, poſtquam gradum 41. iam exuperaſſent.

Die 30.

Die 30. cum iterum procellis concuſſi ſine velis iactarentur, altitudinem grad. 42. tenuerunt.

Die 3. Sept. Libonoto in principio ſpirante, paulo poſt cæcias incubuit. SEPTEMB.

Die 16. cum ſub grad. 45. & minut. 15. agerent, miſſo plumbo profunditatem paſſ. 60. inuenerunt. Boreali autem aura flante curſum in meridiem impulerunt.

Die 19. bolide iactata profunditas 38. paſſ. inuenta eſt. Vbi ante ſe intra auſtrum ac occaſum terrã quandã longo tractu exporrectam, cõſpicati, ad eam binis ferè milliarib. properarunt. Ad quam propius appellentes, eam humilẽ preſſamq; inuenerunt, Anglicanæ oræ non abſimilẽ, arborib. carentem, & propter aditus cõmodos trãſmiſſioni non inidoneã. Circa meridiem altitudinem 47. grad. habuerũt. Circa veſperam, cum ad duos ſcopulos perueniſſent: quidã gubernatorum Barentgen vocatus, Porto Deſiere in finib. illis ſitum eſſe, teſtatus eſt: ꝙ ſe tũ tẽporis obſeruaſſe dicebat, quando cũ Mr. Thoma Candiſch eodẽ loco tranſmiſiſſet. Ibidẽ ergò anchoras mittere viſum eſt commodum. Cum verò fluctuum vis valdè illic fremeret, & vẽti incumberent vnà validiſſimi, anchoram ibidẽ vnam cum fune perdiderũt. Ab eo Generalis ſcapham emiſit, quæ certius percontaretur, an hæc ipſa reuera Porto Deſiere eſſet. Quæ properè reuerſa, vadum ſaltem ibi quoddam poſt duos ſcopulos effuſum eſſe retulit. Anchora periit.

Sub diei 20. aurorã, reſumptis anchoris, inſtitutũ in Porto Deſiere curſum continuarunt: cuius ſinum circa meridiẽ aſſecuti ſunt. Ad cuius boreale latus cum aliquot paruæ inſulæ eminerẽt, iis obiter circumnauigatis, è parte auſtrali portum eius rectâ incurrerunt. Quẽ vbi vix ingreſſi eſſent, deſubito venti vis tam valida ac impetuoſa incubuit, vt in littoris auſtralis vallum nolentes volentes adigerentur. Anchoris ergò 12. paſſibus demiſſis naues ex tẽpore figere coacti ſunt. Et licet puppes nauium iam quidem vallo tam propinquè imminerent, vt illidendarum earum metus non leuis eſſet: ſingulari tamen Dei ope ac auxilio citra damnum ſe inde rurſus eruerunt. ViceAlmirans quidem cum celoce ſua, in penitiore portu agens, tota nocte furẽtib. procellis iactabatur. Sed, quocunq; niſu poterat, vim omnem declinabat. Eo fere loco fluuius ſe quidã limpidus in ſinum duorum paſſuum profunditate exonerat. Cæterum, ipſe portus ſub grad. 47. min. 40. in lineæ auſtrali facie ſitus eſt. Generalis, etſi nonnullis militibus ſtipatus diſtinctis vicibus in terram egrederetur, homines tamen nullos inuenit. Tumulos tamen aliquot, quibus ſuos mortuos condiderant inſulani, reperit. Hi ex congeſtis multis lapidibus, pigmentis rubeis tinctis conſtabant. Iuxta quos quæ pilæ erectæ viſebantur, pennis plumiſq; ac rebus aliis ornatæ erant. Tumuli reperti.

Die 25. Generalis duas maiores ſcaphas ad inſulam quandam in auſtri parte à portu tribus circiter milliaribus abſitam emiſit.

Nam ab illis, qui olim cum Mr. Thoma Candiſch ibidem egerant, locum eum pinguinis refertiſſimũ eſſe intellexerat. Harum ergo volucrũ, vt & piſcium (Robben vocant) tantam inde copiã adduxerũt, vt inſtruendis nauib. ferè ſatis eſſent. Volucres iſtæ ad volatũ ineptiores, duas exiles alas, expaſſis pellibus ſimiles oſtendunt. Anſeris magnitudine ſunt, & victum ex oceano quærũt. Harum multas myriadas in terra prehendere licet, tum cõprimis quando ouis incubant excludendis. Ad hanc inſulam aliquoties venatum egreſſi, iſtarum auium vltra 50000. cum ouorum inæſtimabili numero aduexerunt, magna certè ægrorum refectione & gaudio. Die 29. paulo penitius in portum ſeceſſum eſt, vt naues in loco tutiore ſtarent. Cum verò duorum milliarium ſpatio longius ingreſſi eſſent, iuxta inſulã quandam, quam Conincx appellabant, anchoras miſerunt, quod ibi tum fundus cõmodus eſſet, & fluctuum vis ignauius ſęuiret. Tandẽ verò naues omninò in aridum exegerũt, ita, vt foris circa eas obambulare liceret. Quod cõmodum nacti, eaſdem probè expurgarunt, & à nocentibus ſordib. extricarunt. Generalis quoq; ibidẽ in continente fabricam ferrariam extrui curauit, vt cõmodius, quæ neceſſaria erant, ibi cudi poſſent. Quæ, vt ab Indis nõ obrueretur, continuis excubiis probè ſeruata eſt. Hoc ergò loco non ſaltẽ ſe pleniſſimè refecerũt, ſed & naues vniuerſas rebus neceſſariis vberrimè inſtruxerunt.

Pinguinæ & piſces marini.

OCTOBER. Die 5. Oct. Generalis, binis ſcaphis, armatis militibus probè munitis per aduerſum fluuium aſcendit eo vſque, vt propter defluam oceani vndã in arido relinqueretur. Cum nonnullis itaq; ſociis in terram egreſſus longius, præter tumulos, quoſdã priorib. ſimiles, nihil offendit. In quorũ vno cum ſurrectos duos ferri contos inueniſſent ſocij, eoſdem ſecum ad naues retulerunt. Ipſa alioquin terra plana ac vaſta erat, nullis arboribus conſpicua. In ea feras quaſdam, ceruis ac bubalis ſimiles, vt & ingentem ſtruthiocamelorum, admodum tamen ferorum numerum viderunt. In nido quodam 19. oua repererunt: quæ à matre profuga relicta, ſecum aſportarunt.

Struthiocamelorũ copia.

Eodem die Capitaneus nauis Spei, Iacob Ians Huydecooper, ex ſcorbuto obiit, quo longo admodum tempore miſerè lancinatus & confectus fuerat. Quem ob id generalis in terra illa, conſueta pompa ac ceremoniis ordinariis ſepeliri curauit. Funus eius nautæ ferè vniuerſi ſequebantur. Sed & tabulam quandam æneam, & nomen & diem obitus eius continentem, è tumulo eius Generalis ſuffixit: in cuius extremũ honorem vniuerſa etiam tormenta exonerata ſunt.

Iacob Ians Huydecooper Capitaneus obit.

Die 9. in locum eius Pieter Eſias de Lint, qui prius Concordiæ præfectus fuerat, ſurrogatus eſt. propter quam mutationẽ ipſa quoq; nauis Concordiæ nouum nomen accepit.

Nauium nomina mutantur.

Die 20. quoſdam in terræ parte boreali homines oberrantes viderunt. Generalis itaque cum 25. viris armatis duabus ſcaphis ad eos compellandos egreſſus eſt. Quinq; verò ex iſtis ſociis apud ſcaphas reli-

reliquit,cum mandato ſerio,ne pedem ex illis conciſum efferrēt, ſed in arido pro ſalute omnium diligenter ſcaphas continerent. Generalis autē cum cæteris vnius ac alterius milliaris ſpatio penitius in terram pertendens,homines inuenire nullos potuit. Cæteri verò, qui pro tutela nauium relicti erant, cōtra expreſſum edictum in terram ſe contulerunt, vt frigus, quo premebantur, motu & exercitatione corporis mitigarent.Hi ex improuiſo ab hominibus feris,qui ſe in inſidiis occultarant, gregatim eiaculatis telis vſq; adeo obruti & infeſtati ſunt, vt tres ipſorum in momento cæſi caderent, quartus verò vulnus in pede acciperet.Quo viſo,qui ſuperſtites adhuc erāt, in ſcapham properè inſilientes,eā profugerunt.Interim Generalis ad littus reuerſus, cum ſcapharū alterā abſentem, alteram in ſicco ſolutā videret,de rerū ſtatu admodum ſollicitus fieri cæpit.Nihilominus tamen relictā ſcapham in terram extrahi mandans, cum nullos vſpiam homines (nam feri deſignata cæde profugerant) offenderet, ad naues haud cunctanter rediit.Vbi ab iis,qui fuga ſe ſaluarāt,indiciū accepit, quod à 30. feris hominib.violenter inuaſi fuiſſent: quorū proceritas, admiranda extitiſſet. His crines longe à capite demiſſi propendebāt, & facies colorib.fucatę viſebantur,aſpectu certè horridæ admodum ac truculentæ.Cætero corpore fuſco erant.Arcus eorū exiles erant,ex quib.ſpicula,tritis ac læuigatis ex ſaxo mucronib. præpilata eiaculabātur.Hæc denſo agmine in Hollādos vibrarant. Qui cum à Chirurgis inſpicerentur,eorum interanea omnia,vt cor,hepar,pulmoneſq;, perfoſſa viſa ſunt. Die 24. Gillis Mariſal vice Almirantis ſubpræfectus inſolito quodam ac præcipiti morbo extinctus eſt.

Hollandi aliquot à Barbaris caduntur.

Arcus ac tela Indorum.

Gillis Mariſal obit.

Die 29.omnes ſeſe ad iter proferendum accinxerunt, poſtquam pinguinis & piſcib.marinis,quorum maximū numerū ſale condiuerant naues omnes probe inſtructæ eſſent. Mane itaq; circa horam octauam leuatis anchoris, cæcia vehente verſus ortum cōtenderunt, dum cōmodam oceani altitudinē attingerent. Vadum hoc ſeu portus egreſſum ingreſſumq; facilem ac tutum præbet. In cuius tamen introitu medio duo cæci ſcopuli latent,aqua auctiore minime conſpicui.Hos Hollandi in parte boreali reliquerant. Sed & in latere auſtrali breuia aliquot eminentiora verſus ortum & auſtrum medium exporriguntur.Cęterum hunc portum egreſſi,verſus ſolſtitium brumale tantiſper declinauerunt, dum Pinguinas inſulas exuperaſſent. A quibus porro curſum intra occidentem auſtrumq; adigētes, circa veſperam procellis auſtralibus vehementiſſimis concuti cæperunt, ita vt receptis & conſtrictis velis opus eſſet.

Die 30.cum adhuc ſine velis ferrentur, circa meridiem altitudinem 48.grad.15.minut.habuerunt. Veſpere cæcia vehente freti, curſum ſuum quam maximè poterant,continuārunt.

Die 4.Nouemb.ſub auroram, quatuor milliarium interuallo à terra illa,quæ ad Cabo Virgineum vſque pertenditur,aberant. Hæc *NOVEMB.*

humilis ac plana, candore ſuo oram Anglicam mentitur. Hinc ergo verſus fretum Magellanicum vela facientes, circa meridiem grad. 51. & 45. minut. altitudinem nacti ſunt. Circa veſperam iuxta Cabo Virgineum tranſmittebant, terram candidam, editamq; & Doeuere non multum diſſimilem. Illic ergò à Cabo dimidij milliaris interſtitio paſſ. 10. anchoris conſidebant. Ab hoc Cabo Virgineo humilis quædam terra verſus occidentis & auſtri metam duobus ferè milliaribus excurrit. Ipſe verò Cabo ſub grad. 52. & min. 40. ſitus eſt. In hoc naues anchoris firmatæ noctu requieuerunt.

Holl. Cabo Virgineũ tenent.

Die 5. ſub auroram boream cum tempeſtate non incommoda adepti ſunt. Interim Celox, quæ propter fundi aſperitatẽ anchoram perdiderat, à cæteris nauibus aliquanto longius abacta eſt.

Quot menſes Hollandi ante aditum freti detriuerint.

Sub horam 6. diei 6. animo fretum Magellanicum adeundi, iter rurſus ingreſſi ſunt. Nam, ad hoc tenendum iam dum 14. mẽſibus integris deſudarant, ex comitatu ſuo centenis ferè viris deſideratis.

A prædicto Cabo Virgineo terra verſus auſtri occaſuſq; mediũ excurrit. Sed cum iam freti fauces adirent, recta in oppoſito terram Fuego dictam conſpicati ſunt, viceAlmirante perpetuo cum celoce ſua vias prætentante, ac quaſi prælibante. Qui tamen, cum hinc derepentè ad Cabo Virgineũ recurreret, Generalis, quid iſto reditu quęreretur, admodũ miratus eſt. Cæteris verò nauibus interim triũ ferè milliarium ſpatio pergentibus, ventus ſubito aduerſus infremuit, vt anchoras iacere vniuerſæ cogerentur. Paulatim tamen Africus ac Libonotus mixtim tanto impetu inualeſcebant, vt vix vtriſque anchoris naues firmari ſatis commodè poſſent.

Holl. fretum Magell. attingunt.

Die 8. ſub auroram Zephyro turbido incumbẽte, aduerſis tempeſtatibus vel dum percutiebantur. Circa meridiem, cum aër pacatior euaſiſſet, Generalis ad viceAlmirantẽ ſcapham emiſit, quæ facti recurſus indicium certum referret. Quæ dum in reditu eſſet, oborta tempeſtate eadem ad celocem violenter repulſa eſt. Dum ergò ea nocte iuxta celocem maneret, ventis violenter vndecunq; incumbentibus ſubuerſa ac ſubmerſa ipſa periit.

Scapha mergitur.

Die 9. procellæ nihil remiſerant, ſed multo violentius ſubinde ſpirare perrexerant. Et cum naues binis anchoris firmatæ ſtarent, accidit, vt violento ventorum inſultu fune rupto, altera anchora periret. Cum ergò iam vnica anchora tenendæ naui minimè ſufficeret, eadẽq; expeditius attolli nõ poſſet: coacti ſunt funes abrumpere, vt hoc compendio à valli illiſu tutiores ſe præſtarent. Maxima ergò feſtinatione vela adornabant, quorum beneficio, humilem Cabo Virginei ſinum obire poſſent. Mira tamen Dei ope ex freti faucibus, quas iam incurrerant, iterum educti & eruti ſunt, vt ad Cabo viceAlmirantis ſeſe conferre poſſent. Vbi cum anchoras ſuas miſiſſent, diutius, tamen immorati minimè potuerunt, ſed illis iterum attractis intra vallum humile preſſumque quoddam 10. paſſibus conſederunt:

Procellæ maximæ in freto.

Duæ anchoræ pereunt.

derunt:ex quo loco circa veſperam ſe rurſus extulerunt, & commodiore ſitu anchoris naues crediderunt.

Die 10. Generalis excuſſo tormento, & vexillo ſuffixo, ViceAlmiranti ſignum dedit, vt adueniret. Nam ſcapham ſuam Generalis perdiderat. Quo animaduerſo, ViceAlmirās ad Generalem ſcapham cum nauta ſuo miſit. Cui reuertenti Generalis ad ViceAlmirantem perferendas literas dedit, quibus ad colloquium ipſum vocabat, indicabatque, quod propter factum diſpendium, vna anchora cum fune maximè opus haberet.

Die 11. Generalis ſecundas ad ViceAlmirantem literas emiſit, quibus ea damna querebatur, quæ tum anchoris tum funibus perditis perpeſſus eſſet, rogabatque ViceAlmirantem, vt nouis ſibi mutuo datis haud grauiter ſuccurrere vellet. Cui cum ViceAlmirans reſpondiſſet, ſe id præſtate nec velle nec poſſe, iactaſſetque, ſibi quam Generali non minus poteſtatis conceſſum eſſe: admodum indignabundus Generalis litteras has in tempus cōmodius & opportunius diligenter aſſeruauit.

Generalis repulſam patitur.

ViceAlmirantis ambitio ac faſtus.

Die 13 circa diluculi horam 3. vento cauro perflante, Generalis cōtinuandi itineris ſignū dedit. Trib. ergo nauibus ad freti oſtia iterū perrectū eſt. Priore veſpera quidē celox iam egreſſa erat, ad anchoram Generalis requirendā & recuperandā. Nā illi prҿter duas anchoras, & funes 100. circiter orgyas lōgas, nihil amplius reliquum erat, quorum ſolatio fretum incurrere poſſet. Sed in inueniendo nō ſolum omnis opera ludebatur: ſed etiam iam fretum quatuor milliaribus ingreſſos procellarum tanta vis adorta eſt, vt reuerti omnino, & ad Cabo Virgineum, vnde haud pridē ſoluerant, redire cogerentur. Is enim portus contra hos impetus tutiſſimus erat. In quo dum moraretur, procellarum, imbrium, grandinum, niuis ac ventorum nullus foris finis factus eſt.

Hollandi denuò fretū adeunt, ſed fruſtrà.

Die 15. Celox, Concordia vocata, poſtremam anchoram ſuam perdidit, vt iam ad nauis ſtabilimē nulla ſupereſſet. Tribus ergo continuis dieb. ſolis velis prorſum vorſum acta, terræ Fuego tādem ſucceſſit, Capitaneo Pieter Eſias inſuper ex ſcorbuto admodū infirmo.

Celox vltimā anchorā perdit.

Die 18. celox ſeu Liburnica ad naues cæteras rediit, quæ tum à ViceAlmirante anchoram vnam pro caſibus neceſſariis accepit. Ibidem, qui è Generalis nauis pridem ad ViceAlmirantem emiſſi ſunt, ad ſuas naues redierunt. Hoc tempore ventus Libonotus perflabat.

Die 21. circa meridiem aquilo ſpirare cæpit. Feſtinò ergo attractis anchoris, tertia vice aditum freti tentarunt. Sed cum ad locum priorem penetraſſent iam, cæcia aduerſo non nihil incumbente, obliquare curſum coacti ſunt. Quæ dum fierent, malus anterior tanto fragore crepuit, vt parum abeſſet, quin in tres partes diſſiliret. Sic ergo iterum ad Cabo Virgineum in ſtationem priorē recurrendum fuit.

Hollan. tertiò fretū fruſtrà adeunt.

Sub diei 22. medium ventus iterū aquilonaris ſpirare cҿpit. Itaq;

ViceAlmirans, qui ſeſquimilliari interuallo auſtralius in terrę humilis medio à cæteris nauib. aberat, viæ tentādę de nouo ſe primū accinxit. Interim & reliquæ naues, cum lacerus malus vtcunq; reſartus eſſet, vice quarta iunctim fauces freti ingreſſę ſunt. Quas cum aliquātiſper exuperaſſent, ſolitus vētus aduerſus iterū incubuit, & naues impetiuit. Attamen, quod cæteroquin tēpeſtas ac aër non admodū turbidus exiſteret, obliquādo vela tentarunt, an fretum, ꝙ 14. milliarib. à Cabo Virgineo, dimidij milliaris amplitudine diffuſo, diſtaret, penetrare poſſent. Prætoria quidē nauis in ipſas freti anguſtias peruaſit. Sed cum ventum nimis aduerſum haberet, curſum proferre longius minimè potuit. In iſthmi huius parte auſtrali virum quendam pallio ſiue tunica veſtitum, ac ob id Chriſtianum putatum, ad ſe properare ocyus peruiderunt. Sed cū Generalis ipſius in occurſum ſcaphā emiſiſſet, eum hominē ferum, ac tunica ſeu pelle hirſuta amictum eſſe, viderunt. Is miros ſaltus ac tripudia edebat, corporis proceritate vulgaribus viris non maior, & faciem pigmētis delibutus. Vt propius accederet vocatus, abnuit. Pręter hunc in ora illa homines plures quoq; viderunt, ad quos cum ſclopos ſuos ſexies exoneraſſent, primo quidē ferus prior pedem retrò non tetulit, quod, quid id fulmen vellet, non intelligeret. Poſtea tamē cōſternatior lento gradu ſeſe alio proripuit. Hoc ergo nouo nuncio ſcapha ad naues rediit, quæ diutius vētorum aduerſitate concuſſa, ex iſthmo iterū eluctari coacti fuerunt. Quem cum enauigaſſent, verſus orā auſtralem ſeceſſerūt, vt in angulo quodā, terræ auſtrali vicino anchoris deſiderēt. Ibi, cum fluctuum vis cōcitatiſſima fureret, crebra ſuccuſſatione funis anchorarius adeò incaluit, vt veluti exuſtus fili ritu creparet & rūperetur. Perdita anchora, in fundum 4. paſſuum impegerunt. Itaq;, vt ad altius mare prouehe-rentur, maximè laboratum eſt. Celox in boreali plaga longius à terra anchoris incūbebat, vbi fluctuū vis nō temnēdā gliſcebat. Circa veſperā, cum vētorum impetus qeſceret, adeundi freti negotiū iterum ſuſceperunt. Circa diei 4. aurorā ſumma aëris trāquillitas erat, niſi ꝙ aurula leuiſſima ex oriente ſpiraret. Vniuerſis itaque adeundi freti ſpe curſum ſuū vrgentib. ſolus ViceAlmirans ſubſtitit. Circa horā 8. cum à crepidine boreali nō abeſſēt lōgius, bolide 8. paſſib. miſſa, paulò poſt fundum incurrerunt, in quo cum trium horarum ſpatio immorarētur, perdēdarum nauium metu haud leuiter pcellebantur. Anchora tamē iactatoria ſe tādē magno molimine inde rurſus expediuerunt. Vēto autē Euro flāte, Almirās cum celoce tā diu prexit, dum vēto cōmodo primas anguſtias freti ꝙ dimidii milliaris latitudinē non excedit, exuperaſſent. His trāſmiſſis, noua tēpeſtas adeò inualuit, vt ex ſpuma frequēti vnda totius freti ad alterū vſq; iſthmum, à priore 11. milliarib. diſtātem, ac milliare vnum cum dimidio latum albeſceret. Intra has duas anguſtias verſus latus boreale 15. paſſibus anchoras in bono fundo miſerunt, quo loco fluctuum vis refractior erat.

Feri Indi deſcriptio.

Anchora perit.

Fretum quintò aditur.

Fundo incumbunt.

Primas freti anguſtias ſuperant.

Die 25. vento cauro perflante, anchoris attractis vſque ad ſecundas anguſtias pertenderunt: vbi cum aliquandiu 10. paſſus profunditate anchoris incubuiſſent, tandem optato vento eas penitus tranſmiſerunt. Ad harum latus auſtrale, Cabo ſeu Sinus quidam, verſus auſtrum admodum declinans, ac Cabo de Naſſou dictus, conſpiciebatur: à quo duorum milliarium interuallo duæ inſulæ ſitæ ſunt, in quarũ minima boreali poſtquam homines quoſdã proſpexiſſent, duabus illicò ſcaphis minoribus ad eos remigarunt. Incolæ verô appellentibus, vt propius non accederēt, nutibus ſigniſq; interdicebāt, ac pinguinas deſuper in eos conijciebant. Tandem etiam, cum Hollandi curſum non inhiberent, in admotos propius eos tela ac ſpicula vibrabant. Quibus tamen omnibus contemptis, cum Hollandi ad eos (quadraginta erant) vi perrumperent, in fugam verſi, loca inacceſſa & obſcura occupauerunt. Hos ergo, dum Hollandi rapidius inſequerentur, antrum quoddam conſpicati ſunt, ad quod nec deſuper, nec infernè propter præcipitiũ arduum acceſſus dabatur. Ex hoc indigenæ in Hollandos confertim miſſis iaculis tam animoſè deſulminarunt, vt ipſorum quatuor non leuiter ſauciarentur. Qua noxa iam irritatiores Hollandi, extrema omnia ad hos conficiendos moliri cæperunt. Nec tamē hoſtibus potiri iſtis vllo niſu poterant prius, quam viros vniuerſim omnes glandium grandine proſtrauiſſent. Antro itaque iam occupato, fœminas ac infantes ſuperſtites tanta conſternatione vno glomere implicitas viderunt, vt matres ſupra liberos, ne glandibus perfoderentur, pronæ decumberent & expanderentur. Hac victoria parta, ex numero iſto quatuor pueros, & binas puellas ſecum abducentes, properè ad naues reuerſi ſunt. Ex vno horum, poſtquam linguam Hollandicam addidiciſſet, poſtmodum terræ illius conditionem ſtatumque edocti ſunt, hoc modo ſe habentem.

Hollandi fretũ perrũpunt.

Ferorum cum Hollãdis conflictus.

Genus hoc ſeu familia, Enoo dicta, terram incoluit, Coſſi nuncupatam. Minoris inſulæ nomen Talcke: maioris verò Caſtemme erat. Hæ pinguinis refertiſſimæ ſunt: quarum carnes indigenis pro cibo: coriũ verò ſeu exuuiæ pro palliis, quibus corpus alioquin nudum integunt, faciunt. Hi incolæ ſub terra in foueis agunt, quos à firma terra ingreſſos eſſe haud temerè quis ſuſpicari poſſet. Nam eiuſdem habitus alij quoque homines ibidem viſi ſunt, qui pinguinarum auferendarum cauſa eò commeare ſolent. In eadem continenti Struthiocameli magno numero inueniuntur, qui capti in cibum incolis veniunt. Hos Talcke vocitant. Feræ præterea aliæ quoque ibidem reperiuntur, quas Coſſoni nuncupant. Gentes hæ ſecundum promiſcuas familias, quarum haud paucæ ſunt, cohabitant, ita, vt ſingulis familiis ſingula, eaque diſcreta loca competant. Capti enim pueri quatuor aliarum quoque familiarum notitiam habebant: quarum prima Kemenetes dicta, locum Karay: ſecunda Kennekas, Karamay:

Deſcriptio ferorum, & horum proſapia.

Quatuor familiæ Barbarorum.

tertia

tertia Karaike, Morinem, inhabitat. Tres hæ familiæ, corporis ſtaturam, nobis ſimilem habent, pectore tamen latiore & altiore. Facies ſuas ac ſynciput coloribus depingunt. Virorum pudendi extremitas tænia religata erat. Fœminarum verò genitalia pellicula è Pinguinis velabat. Capilli viris promiſſi ſunt: fœminis radi ſolent. Nudi incedunt, ſolo ex Pinguinis confecto pallio corpus medium tegetes. Sed & vela huiuſmodi ex auibus aliis parant, quæ vocantur Oripoggre, vt & Pinguinæ Compoggre. Huiuſmodi tunicæ non minore induſtria cohærebant, quam ſi à pellionibus conſutæ fuiſſent. Quarta familia Tirimenen vocata, Coin dictam incolit. Sed hi gigantum more vaſto ac procero corpore ſunt, pedes 10. vel 11. æquante. Hi aduerſus familias cæteras frequentius bellatum egrediuntur, quas probri loco Pinguinarum voratores vocant. Ex quo liquet, eos nullo dubio, victu nobiliore vti. Vt noſtra tamen fert opinio, carnibus humanis illi veſcuntur.

Veſtes ex Pinguinarũ exuuiis.

Veri 11. pedes longi.

Die 26. iuxta Pinguinas inſulas agentes, volucrum iſtarum 300. circiter cæperunt. Ad has inſulas priuſquã acceditur, intra duas anguſtias, breuia occurrunt, inſula Pantagoms dicta, quæ inſulæ ſuprà dictæ minimæ vicina eſt. Iuxta hanc 6. paſſibus anchoris incumbebãt. Sed cum ad maiorem inſulam peruentum eſſet, breui à terra ſpatio paſſuum 7. profunditas notata eſt. Hæc inſula nullis hominibus excolitur, etſi certa quorundam, paulò ante ibidem moratorum, veſtigia obſeruarentur. A meridie ſpirante cæcia attractis anchoris, vela ad ciuitatem Philippi conuerterunt, vt inde aqua recenti rurſus inſtruerentur. Vice Almirans autem poſt ipſos adhuc aberat. Occiduo ergo vento vehente, curſum ſuum paulò altius verſus editiorem terram, niue copioſa conſpicuam, direxerunt. Sed poſtquam ventus aduerſus incumberet, ad inſulam ipſis redeundum fuit, vbi in parte boreali 10. paſſibus anchoras fundarunt. Nam in eius inſulæ omni ambitu nauium commoda ſtatio erat. Ibi biduo integro, vento Zephyro ſpirante, ſine inſigni commodo obhæſerunt.

Die 28. hinc ſoluentes Zephyro perpetuante, ad continentem progreſſi, in trãſitu Cetos plurimos viderunt. Sed ad vallum boreale tribus ab inſula milliaribus delati, coacti anchoras 11. paſſibus miſerunt: quo loco vniuerſo propter fundum ſabuloſum ſtatio non infida præbetur. Sed hauriendæ aquę gratia in terrã remigantes, fluuium amœnum per terram ſtrepentem inuenerunt: cuius tamen exitum proſpicere minimè poterant. Locus iſte, propter frondentium arborum, & frequentium pſittacorum garritum admodum amœnus erat. Qua de cauſa eundem Sinum æſtiualem nominauerunt.

Sinus æſtiualis in freto.

Sub diei 29. auroram, cum tempeſtas ac aura admodum ſerena eſſet, velis paſſis ad Porto Famine procurrerunt, vt ligna & aquam pro ſuis vſibus inde acquirerent. Terra iſta longa eminentia in auſtrum exporrigitur, adeò, vt eminus Terra Fuego cum Terra Pantagoms

goms vna eſſe appareat. Nam ſeſe quam proximè contingunt. Ad auſtralis huius prominentiæ faciem borealem, duorum milliarium interuallo vadum ſeu Sinus patentiſſimus conſpicitur: quem cum ciuitatē Philippi eſſe putaſſent, illìc appellentes 10. paſſibus naues deligarunt. Sed ſcapha in terrā egreſſi, nulla ferè vſpiā veſtigia repererunt, quæ de ciuitate Philippi, ab Hiſpanis condita, quicquam teſtarentur. Hæc enim ab Hiſpanis, frigus illius loci diutius nō ferētibus, deſerta, miſera ruina tota vaſta videbatur, ſaxorū congeriei potius iam, quam ciuitati ſimilis. Ab eo loco fretum Magellanicū quatuor circiter milliaribus abeſt. Vtriuſq; lateris mōtes eminentiſſimi ac præruptiſſimi, tam æſtiuo quā hyberno tēpore niue copioſa obducti viſuntur. Sed & terra eadē dumetis ac arboretis frequentib. dotata, ſatis lignorū ad nouam ſcapham fabricandā ſuppeditabat. Cortices arborum his in finibus enatarum, ſaporis vſque adeò acris & penetrātis ſunt, vt non pipere ignauius linguam guſtati vellicent ac exurant. In cuius rei fidē faſciculos aliquot iſtorum corticum ſecum attulerunt.

Philippi ciuitas penitus vaſtata & deſolata.

Cortex acerrimus.

Cal. Decembr. poſtquā ex loco illo copiam aquæ nullā parabilē eſſe viderēt: & præter hoc quoq; dubitarent, an verè is porto Famine ſeu ciuitas Philippi eſſet: boreali vento inde rurſus ſoluētes, fortunam aliā experiri maluerūt. Sed cum vix duorū milliarium meta prouecti fuiſſent, aëris ſumma trāquillitate facta, fluuio cuidā limpido ſe propinquos eſſe viderunt. Apud quem anchoris incumbentes, quanto aquæ modo opus erat, nullo impedimēto hauriebāt. Ibidem ex proxima ſylua arborum certa copia promi poterat. Qua cauſa arborem vnam deiecerunt, vt ex ea trabem infimam ſcaphæ maioris effingerent. Hæc nox ibidem magna tranquillitate exacta eſt.

DECEMBER.

Die 2. ventus Iapyx perſpirauit. Decreuerūt ergo leuatis anchoris circumuagādo quærere, an ciuitatis Philippi certa quædā documenta vllibi captare poſſent. Quā tamen regionem cum iam dū tranſmiſiſſent, verſus auſtrum directis velis, angulū quendam terræ humilis & prominentis obiuerunt. Hinc terra ad ſolſtitium hybernum porrigitur: quam ambientes, tandem ad prominentiam editiſſimam appulerūt, Cabo Frouvvaert vocitatā. Et hæc eſt totius auſtralis prominētiæ in freto deſignatio. Hinc ergo cū ad terram ex parte aquilonari impuliſſent, vento dubio propè in orā illiſi ſunt. Nam locus iſte omnis admodū profundus eſt, ac mōtes deſuper in mare longiſſimè incumbūt, niuibus perpetuis tecti. Ab eo loco fretum quinis circiter milliaribus deeſt. Ab hoc angulo terra lōgo tractu in aquilo zephyrū porrigitur. Quam cū ambiguo vento obiuiſſent, quatuor ab eadem milliarib. grandi in ſinu 18. paſſ. anchoras fundarunt. Ibi aquæ prompta copia. Terra quoq; herbā profert, naſturtio ſimilē, curando ſcorbuto admodū idoneā. Arbores longa ibi ſerie vſq; ad littora procedebant. Quidā è militibus herbā ibi euulſam guſtantes, propè ad furorē & inſaniā redacti ſunt. Qui tamē affect⁹ paulò poſt iterū miteſcebat.

Herba contra ſcorbutum.

Herba furorē inferens.

Eodem ſtatim die ex loco dicto iterum ſoluerunt, portũ commodum & idoneum, in quo ſcapham condere poſſent, quæritantes. Sed propter ventum aduerſum flantem, milliare vnum ſuperare non poterant, ſed portum alium patentem incurrere coacti ſunt. Quo loco diſpecto, Generalis cum ſenatu ſtatuit, eum extruendæ ſcaphæ ſatis aptum fore.

Die ergo 9. tignarii cum certa militum armatorum parte emiſſi ſunt, qui tentorium, inſtituto neceſſarium, erigerent. Sed & milites in excubias diſpoſiti ſunt, qui ab incurſu inſulanorum tignarios tutarentur. Ad ſcapham ergo, cuius trabs inferior 37. pedum longitudine erat, ſine mora inchoandam feſtinatum eſt. Ac vt operæ maturiores eſſent, fabricam ferrariam etiam in littore exſtruxerũt, Carbones ex lignis ipſi parantes. In ſcapha conficienda dies 12. inſumpti ſunt: quo tempore ferè ſemper Fauonius perflabat, nonnunquam adeò impetuoſus, vt ſuſtinendis nauibus anchoræ propè non ſufficerent. Sinus enim ſeu portus iſte vndique patebat, ac ventis irruentibus apertus erat. Interim ViceAlmirãs adhuc infra fretum agebat. Locum hunc Hollandi Sinum Oleuiers vocitarunt.

Scapha 37. pedum conditur.

Sinus Oleuiers.

Die 13. Henricus Harmenſz in prætoria naui coquus, qui dyſenteria diu excarnificatus fuerat, diem obiit.

Henric. Harmenſz moritur.

Sub diei 14. auroram, cum ventus ob Oriente ſpiraret, Vice-Almirans tandem ad cæteras naues magno vniuerſorum gaudio rediit.

Die 15. intra aquilonem ac occaſum nauem quandam angulo vicino ſuccedentem conſpicati ſunt, rati eam ex Pieter Verhagens ſocietate eſſe. Itaque ViceAlmirans circa veſperam ſcapha eò peruaſit, vt quid nauis eſſet, certius comperiret. Idẽ poſtero die reuerſus, ſignificauit, nauem eam ante dicti comitatus ſociam eſſe, & ſomnium ex Amſtelredamo dici, ac in ea Capitaneum Sebalt de VVeert, qui cum ſociis in Oceano auſtrali pridem hæſiſſet, vehi. Hic idem, cum altera naue, quam Suarte Tem nauclerus gubernarat, ex Oceano in fretum repulſus fuerat, cæteris tribus nauibus curſum ſuum in Oceano continuantibus.

Nauis, Verhagens ſocia, videtur.

Sebalt de VVeert in freto agit.

Die 17. Generalis coacto ſenatu deliberauit, quomodo quaque via iter in Oceanum auſtralem proferendum eſſet, cum iam rerum omnium neceſſariarum copia ſuppeteret. Omnibus ergo rebus penſitatis ita conſtitutum eſt, vt, ſi qua fors tempeſtatis iniuria in Oceano auſtrali diſiicerentur, diſpulſi ad cæteros in S. Maria inſula opperientes cõuenirent. Hæc inſula à lineæ auſtrali parte ad littora Chile, ſub grad. 36. ſita eſt. Hac inquam in inſula vt diſiectæ naues à cæteris expectarentur, nec ante exactos duos menſes quoquam ſolueretur, iunctis votis ac animis ſtatutum eſt. His ſancitis, Generalis ſcapha recenti ad nauẽ Somnium pertendit, vt cum Capitaneo de rebus nonnullis colloqueretur.

Statutũ Hollandorum in caſu diſiectarum nauium.

Die

Die 18. anchoris emotis ex Oleuiers Sinu, in Sinum illum vela fecerunt, quem prædicta nauis Somnium occupârat. Hic à loco, in quo ſcapham condiderunt, ternorum circiter milliarium ſpatio aberat. Illic ergo ſecundum editam crepidinem quandam, Cabo Galanti vocatam anchoras firmarunt. Quo in Sinu prædictæ ſocietatis naues quinque hyberna potiſſima exegerunt. Portus hîc omnium in freto optimus ac tutiſſimus eſt: iuxta quem inſulæ aliquot in medio freto conſpicuæ ſunt. Præter has ac Pinguinas aliæ nullæ in freto vniuerſo notæ ſunt. Quæ etſi in medio quidem aditu interiaceant: ſecundum eas tamen tuto tranſiri ac peruadi poteſt, lignis, ac recenti vnda commodiſſimas alias, & opportuniſſimas. Cochæ etiam, ac murices his ſuauiores, Clipconten nominatæ, magno numero ibi leguntur. His ac ſimilibus teſtaceis piſcibus, qui maxima indies copia ſuppeditabantur, ipſi maximam hyemis partem exegerant. *Portus quis in freto optimus.*

Die 19. Capitaneus Sebalt de VVeert, cum Generali, in cuius naue omnes Capitanei ac officiarij conuenerant, ad claſſem perrexit. Quem cum de ſtatu præſenti rogitaſſent, ſignificauit, ſe lõgius quinque mẽſibus in freto obhæſiſſe, & illa mora ſuorum plurimos, morbis partim, partim aliis ærumnis confectos ſepeliuiſſe. *Sebalt de VVeert ad Generalis nauem adducitur.*

Capitaneus iſte, qui primò nauem à 110. perſonis inſtructam eduxerat, iam plures 38. ſuperſtites non habebat. Et poſtquam cum cæteris nauibus ex freto eluctatus eſſet, in Oceano auſtrali procellis tam ſæuis ac violentis concuſſus eſt, vt cum binis nauibus in fretum recurrere cogeretur: cæteris nauibus, à viris ac rebus aliis neceſſariis munitioribus in Oceano ſeſe ſuſtinentibus, ac mitigatis procellis curſum præſumptum continuantibus. Prædictarum nauium altera ad freti introitum in Sinum quendam admodum profundum & nauibus infidum incurrerat. Quam Capitaneus ſecutus, cum vidiſſet, & vitam & nauem ibi præſentem interitum exſpectare: duabus iam dum anchoris procellarum violentia decuſſis & perditis, ſtationem illam ipſe ocyus deſeruit. Ad quas recuperandas dicebat ſe ſcapham ſuam apud nauem alteram reliquiſſe: ſed ab eo ipſam nondum vidiſſe. Hæc, de qua diximus, claſſis nec annona neceſſaria, nec ſufficientibus viris ad tam diuturnam nauigationem conficiendam ſatis inſtructa fuerat.

Hæc & alia huiuſmodi dum Capitaneus ita longa ſerie in Generalis naue præſente ViceAlmirante recenſeret: Vẽto auſtrali ac medio Euronoto incumbente, ViceAlmirans nemini vale dicto repentè ad nauem ſuam properauit: cumq; eliſo tormento diſceſſionis ſignum dediſſet, iter magna feſtinatione arripuit. Sed quod ventus breui quoq; remitteret, parum abfuit, quin violentius in crepidines incuteretur. Quod cęteri è nauib. ſpectãtes, ſeſe immotos in ſtatione ſua cõtinuerunt. ViceAlmirãs tamen nihilo ignauius proceſſit, quod *ViceAlmirans ſolus fretum exit.*

 ventus

ventus iterum aliquãtum ſpirare inciperet. Eo auſu freti etiam limites extremos feliciter enauigauit:& gratulationis ergo ter quaterque tormenta exonerauit. Cæteræ verò naues ad poſterum vſque diem in ſtatione ſua decubuerunt.

Circa diei 20. horam nonam, vento vulturno ſpirãte, diſceſſionis è prætoria ſigno dato, Generalis, cum Liburnica, & Sebalt de VVeert naui loco ſuo ſoluerunt. Cumque collem terræ promiſſum obiiſſent, curſum ſuum intra occidẽtem & aquilonem impulerunt, quod via ea fretum euagaretur. Vento ac tempeſtate admodum dubia ſex horis prouecti, vento mutato, fluctus violento impetu ſibi occurrentes experti ſunt, ita, vt in aquilonari latere anchoras iactare omnino cogerentur, & quidem longius à terra, quam vt eius qualicunque tutela frui poſſent. Biduò ibidem hæſitantes, fluctus admodum incertos perpeſſi ſunt, cum æſtus iam continuis horis 12. violentius fremeret, iam horis duabus vel tribus remitteret, & iterum grauius exaſperaretur. Ea rerum viciſſitudine cum ſcapha maior damnum accepiſſet, vt reficeretur in terra educta eſt. Nam ibi terra admodum amœna, & arboribus pulcherrimis conſita videbatur.

Die 22. ſub meridiem reductis anchoris, cum fluctuum impetu freto exire anniſi ſunt. Sed cum Fauonius aduerſus repentè incumberet, ad Cabo Mauritij recurrere coacti ſunt. Obliquatis autem velis tamdiu vſi ſunt, dum iugum quoddam in parte auſtrali freti ſitum occuparent. Ibi in partis occiduæ ſecuro ſinu iuxta orbicularem paruam inſulam anchoras fecerunt. Sebalt autem de VVeert iugum hoc ſuperare non valens, reſtes ad Cabo Galanti ventorum vi depulſus eſt. Sinum hunc Generalis Mauritii nomine initiauit: cuius aditus admodum amplus & patens eſt, nullo tamen portu inſignis præter eum, quem in inſulæ parte Occidentali ſitum diximus. Inſula hæc, 20. aut 30. paſſibus à continente abeſt: ad quam cum triduo excubarent, cochleas ac Clipcontem magno numero collegerunt. Idem locus aquam copioſam miniſtrat. Ventus hoc tempore ferè ſemper occiduus ſpirabat.

Sebalt de VVeert à ſociis diſpellitur.

Sinus Mauritii.

Die 25. ab iis, quos Generalis percontatum emiſerat, nuncio relato, ViceAlmirantem in alio quodam ſinu vicino anchoris incumbere: reſumptis anchoris vniuerſæ naues ad eum certatim vela fecerunt. Quem Sinum cum attigiſſent, anchoris iactatis haud cunctanter naues ſtabiliuerunt. Sed portus is non vſquequaque fidus erat. Nam profunditas vndæ paſſuum 40. inueniebatur, & contra fremẽtem Zephyrum nullum adminiculum propinquum erat. ViceAlmirans verò cum nõnullis gubernatoribus, commodiorem portum quæſitum procedens, poſtquam quatuor milliarium interuallo ſinum quendam reperiſſet, reuerſus eum ſociis monſtrauit. Sed nec hîc moræ longiori aptus erat.

Naues iterum iunguntur.

Die 28. in prætoria naue Senatus omnis bellicus congregatus eſt:

eſt: vbi nonnullæ querelæ motæ ſunt de nouitatibus importatis, ac viceAlmirantis, Iacob Claess, inobedientia, quæ nihil aliud niſi totalem nautarum ſeditionem parturiret. Qua cauſa cognita, ſtatutum eſt, vt aliquandiu viceAlmirans in cuſtodia eſſet, dum cauſam ſuam apud ſenatũ diceret, & intentata crimina dilueret. Generalis quidem articulos accuſationis ſuæ ſingulos ſcripto exhibuerat: quorum copia vt exhiberetur viceAlmiranti, eidemq; trium ſeptimanarum ſpatio aſſerta refutatio imperaretur, ſenatui viſum eſt. Quod vt præſtare poſſet dexterius, eidem Ian Franss, ſcriba adiunctus eſt, qui cauſæ dicendæ adiutor ac patronus eſſet. ViceAlmirans autem tantiſper in vinculis tenebatur, dum ſtatutum tempus appelleret. Cuius loco & muneri interim Generalis officiarium Lambertum Bieſman ſurrogauerat, qui vices Almirantis captiui tãtiſper ageret. Sed & eiuſdẽ nauis gubernatori Iacob Ianss amoto VVilhelmũ Ghyſe ſubſtituerat. *ViceAlmirans accuſatur.*

Die 31. cum in ſinu eodem adhuc verſarentur (quem ſinũ Henrici vocabant) ex occidentis & aquilonis plaga tempeſtatem grauiſſimam experti ſunt, ita vt erutis anchoris verſus vallum humilius proiicerentur, vbi feſtinanter anchoras iterum paſſibus 30. iactarũt. Paulo poſt vento nonnihil mutato, anchoris emotis ad ſinum Mauritij, milliaris vnius interuallo verſus orientem inde diſtantem, vela proferre conati ſunt: in quo etiam anchoras 12. paſſuum profunditate miſerunt. Cæteræ verò binæ naues ad poſterum vſque diem in Henrici ſinu reſtiterũt, quo ſequentes iuxta prætoriã conſederũt. *Sinus Henricſz.*

An. 1600. die Ian. 2. Generalis cum binis ſcaphis in ſinum Mauritij pertendit, viſum ſcilicet, quanta meta ille excurreret. Eum ergò perpetuo tractu verſus ortum diffundi, ac influentibus diuerſis fluminibus augeſcere animaduertit: ad quorum etiam oſtia, quibus in mare exonerantur, ingentem glaciei copiã reperit, quæ noſtro iudicio nunquam ibi ſoluitur ac liquatur. Nam fune 10. paſſuum longitudinem habente demiſſo, fundus glaciei attingi minimè potuit, cum tamen iam æſtas media vigeret. Hic ergò penetrans ſcaphis, in fretum, quo loco Cabo Galanti obuertitur, iuxta inſulas ibi ſitas rediit. Hinc in ſinum, vbi Sebalt de VVeert morabatur, pertendit: apud quem Generalis pernoctauit. Poſteà minore ſcapha eodem denuo tranſitu erupit, ac ad naues feliciter rediit. Maior verò ſcapha foris per eam metam, qua naues prius cõtenderant, obiuit. Hac via confecta terram eam admodum diuiſam, ac inſulis cohærẽtibus plenam eſſe augurati ſunt, etſi propter editos montes, continentis ritu, omnia cohærere viderentur. *IANVARIVS. An. 1600.* *Mira glaciei denſitas.*

Cæterum hoc tempore in omnibus nauibus, adhuc 151. maiores minoreſq; ſuperſtites homines numerabantur, inter quos quatuor ex morbis decumbebant. Hiſce in finibus morantes pluuias continuas ſuſtinuerunt, captatum lectumq; conchas nõnunquam excurrentes. Nam præter has quod captarent, nihil erat.

Sub diei 8. medium maior ſcapha à Capitaneo de VVeert ad naues venit, qua teſſerarius cum ſignifero & quatuor aliis aduectus Capitanei litteras Generali inſinuauit. His ſuam ad Generalē inopiam conqueſtus Capitaneus, orabat, vt binorum menſium panibus ſibi haud cunctanter ſuccurreretur. Cogitare enim ſe ſemel aditam viam continuare, & ad ſocios ſuos prima quauis opportunitate appellere. Generalis autem reſponſo dato, cur eius petitioni obſecundare non poſſet, cauſas explicuit: ſibi ipſimet longam adhuc exigendam metam proſtare indicans. Nam fieri poſſe facile dicebat, vt diutius durante itinere, nec ſibi nec ſociis annonæ ſatis paratum reſtaret. A meridie ſcapha maior cum minore celoce, conchas venatum in littus egreſſa eſt. Cum verò, qui in minore ſcapha curſu reliquos anteuerterant, in terram exſcendiſſent: à feris Indis, qui è dumetis eruperant, duo illorum in continenti cæſi ſunt, & tertius vulnus accepit. Cæteri in ſcapham reſilientes ſeſe ſaluarunt. Interim dum ſcapha maiore cęteri, ſuis armis inſtructi, approperarent, Barbari in fugam ſe dantes, cæſos ſecum abripuerunt, haud dubio breui vorandos. Hi pro armis ponderoſas clauas, è fune religatas habent, quibus obſtantes feriunt. Sed & lignea oblonga tela mittunt: quorum vnum inuentum Hollandi ſecum ad naues attulerunt. Cæſorum nomina erant, Harman de Bitter, gubernator, & Tames de Langenteich. Cæterum, cum è ſcapha maiore reliqui in terram egreſſi fuiſſent, Indos omnes profugiſſe magno dolore compererunt. Eadem terra multas arbores habet: ſed ad neceſſaria extruenda non æquè idoneas cum his, quas latus orientale promit.

Capitanei de VVeert literæ ſollicitatoriæ.

A Barbaris Hollandi 2. cæduntur.

Die 14. ventus Euronotus ſpirare cæpit. Itaq; cōficiendo itineri ſeſe accingentes, ad occidentē duorū ferè milliariū ſpatio promouerunt, iugo cuidā boreali, Cabo Boluto dicto, intēdentes. Hinc fretum recta ad occaſum ac ſeptentrionem porrigitur, ex quo breui meta in mare proſpectus fertur, cum id tamen ab iſto loco 20. integris milliaribus adhuc diſtet. Freti latitudo hac meta duorum milliariū eſt. Hinc 12. circiter milliarib. exſuperatis ventus ex ſeptentrione occaſuque tanto fremitu incubuit, vt ad portum redire omninò cogerētur. Circa veſperam ſinum quendā exilem attingentes, eundē tribus ſuis nauibus occuparunt. Quæ tamen ſtatio, propter loci patorem & humilitatem non admodum ſecura erat. Itaq; ad ſcopulos cominus ita pellebantur, vt in eoſdem manifeſtè impingerent. Et licet anchoris quidem firmiter ſiſterentur: propter ventorum tamen violentiam periculo non temnendo expoſiti erant. Sinus hic Meniſte, à gubernatore quodam, eius primo inuentore, nuncupabatur.

Sinus Meniſte.

Poſtero die in litt⁹ egreſſis, tres Canoæ in occurſum datæ ſunt, à feris hominib. actæ ac promotæ. Qui viſis Hollādis canois illico verſus terrā contenderunt, & montē eminentē, infra quem naues ſuas reliquerant, conſcenderunt, vt eas contra Hollandos tutarentur.

Qui-

Quibus cum ſua tela ac clauas oſtendiſſent, ſaxis deſuper in ſcaphas fulminarunt, ad ſurſum emiſſas Hollandorum glandes euitandas, admodum expedite & induſtrie ſeſe poſt ſaxa occultantes. Cum ergò ex lapidum coniectu nonnulli in capitibus & pectoribus plagas accepiſſent, nec ad Canoas penetrare poſſent: retrò ad naues reditum eſt. *Hollandi ab Indis lapidib. feriuntur.*

Die 16. paulo ante meridiem vento vulturno ſpirante, ex ſinu Meniſte ſolutum eſt. Cum circa veſperam ſex circiter milliaria confeciſſent, vẽtum iterum infeſtiſſimum, imbribus confertis permixtum adepti ſunt, vt ad ſinum Meniſte reditus parandus eſſet.

Die 17. vento auſtrali ſpirante, ad ſignum ab Almirante datum iterum ſoluentes, ſub horam matutinam quintam, Meniſte ſinum euaſerunt. Cumq; tribus vel quatuor milliaribus vẽto bono proferrentur, tranquilla tempeſtate alias vigente, pluuiæ denſiſſimæ deciderunt. A quibus ſurgens cæcias, naues iterum retropulſas portum quærere coëgit. Itaque in ſinum alium, Anſerinum vocatum, à Meniſte tribus milliaribus diſtantem diuerterunt. Vbi etſi quidem ſtatio ſecurior videretur, duas tamen anchoras paſſibus 11. iactauerunt. Eo loco anſeres plurimi degunt, ad volatum quidem inepti, ſed natandi tamen periti. Horum glandibus aliquot ferierunt Hollandi, & conchas ſimul neceſſarias legerunt. Ibi dum agerent, ventis aduerſis & pluuiis continuis haud parum infeſtati fuerunt. *Sinus anſerinus.*

Die 24. Generalis vniuerſum ſenatum ad nauem Mauritij conuocauit, vt iudicio viceAlmirans ſiſteretur, & cauſa eius cognoſceretur. Qui cum ſuam cauſam tueri ſatis nõ poſſet, ſed reus in plurimis inueniretur: collectis ſenatus ſuffragiis, vt in terrã freti Magellanici, priuſquam diſcederetur, exponeretur, damnatus eſt. Et ſententia hæc publicè coram omnibus lecta & recitata eſt. *ViceAlmirans auditur, & condemnatur.*

Die 26. ſentẽtiam publicatam ordinarij executi ſunt. Itaq; viceAlmirans ſcapha in littus euectus, ac modico pane vinoq; donatus, ita illic deſertus eſt. Qui quidem propter loci vaſtitatem effugere non potuit, quin aut fame moreretur, aut à feris deuoraretur ac laceraretur. His confectis, Generalis publicas preces fieri mandauit, quoſlibet ex ordine monens, vt ex huius pœna ſuperioribus parere addiſcant. *In terram exponitur.*

Die 28. vento auſtrali perflante, ex Anſerino ſinu ſe efferentes eundem breui repetere coacti ſunt.

Poſtea Generalis Capitaneum Pieter Eſias viceAlmirantẽ conſtitutum, expoſito Iacobo Claeſs ſurrogauit. Lambertum verò Bieſeman Capitaneum nauis Concordiæ ſtatuit. *Nouus viceAlmirãs creatur.*

Die 31. ante auroræ exortum vento ex ortu ſpirante, leuatis anchoris commodo vento decem circiter milliaribus prouecti ſunt.

Calend. Febr. vento cæcia inſurgente, ad quærendum ſinum alium retroacti ſunt. Quem cum ingrederentur, prætoria nauis in laten- *FEBRVAR.*

latentem ſcopulum impegit, ex quo tamen nullo damno accepto ſe ocyus iterum eruit. Itaque in ſinu iſto anchoris 12. vel 13. paſſuum profunditate conſederunt, ſtatione certè propter vallum depreſſius, & irruentibus ventis nimium expoſitum, non admodum ſecura. Hunc ſinum Papiſticum vocitabant. In quo dum hærerent, labrocerae, procellæque, fulguribus ac tonitrubus ſæuiſſimis permixtę, vndecunque violentiſſimæ irruerunt. In ſinum hunc, fluuius quidam latus ſe effundebat, ex quo magnam concharum copiam legere licuit.

Sinus Papiſticus.

Sub auroram diei 6. ſenatum Generalis ad nauem ſuam conuocauit, vt de ſtatu præſenti deliberatio fieret. Nam propter crebros aduerſos ventos, & magnam æſtatis partem elapſam, metus erat, vt è freto eluctari deinceps non poſſent. Quod ſi ergò fors fieret, vt ſimul & ventis impedirentur, & ingruente bruma obruerentur, certiſſimum interitus periculum iam ante fores omninò excubare non immerito videbatur: cuiuſmodi infortunio naues quoque Verhagens concuſſæ ſint. His ergò ac ſimilibus exquiſita lance penſitatis, binis adhuc ibi obhæreſcere menſibus placuit. Quo tempore ſi fretum euadere minimè poſſent: ſtatutum eſt, retrò ex freto ad Cabo de Bona Eſperançe, & hac meta porro in Indiam orientalem nauigare, tentatum, an ibi quid commodi ac quæſtus fieri poſſet.

Die 12. vento priore adhuc durante, & crebris pluuiis aërē obtriſtante, ex ſinu hoc egreſſis, alium quærere cōmodiorem placuit, modo extremo niſu ex ipſo eluctari poſſent. Rumpendorum ſiquidem funium ibi periculum impendebat non leue. Quod ſi fieret, quin in poſticum vallum illiderentur, nulla induſtria vitari poſſe videbant. Itaq; in ſinum Mauritij incurſuri, vento tum temporis flāte ſinum antiquum egredi minimè valebant. Hoc die prætoria in naui pictor, Gerrit de Bonſelay, qui ſcorbuti immanitate diu excarnificatus fuerat, diem extremum obiit.

Pictor ex ſcorbuto obit.

Die 17. prætoria nauis, quæ in antica ſinus parte morabatur, ad ſinum Mauritij obtinendum, ſoluit. Cæteræ verò geminæ naues, egredi nondum poterant. A meridie aëre mariq; tranquillo exiſtente, prætoria circa veſperam ſinum Mauritij attigit, in eo anchoras 18. paſſ. fundans.

Die 18. euro perſpirante, Generalis ex ſinu Mauritij iterum ſoluturus, cum repente ſumma tranquillitas rediret, & poſteà venti aduerſi magno impetu ſurgerent, ad eundem reuerti coactus eſt. Cui paulò poſt cæteræ quoq; naues ſeſe adiungebant.

Die 21. aurora micante, cauro vehente curſum continuaturi, vela explicuerunt. Sed & ventus breui iterum reſidit, & fluctus aduerſi violenter impulſi ſunt, vt Cabo Boluto tranſmitti minimè poſſet. Itaq; in ſinum Mauritij retromeantes, vallo ferè illiſi ſunt, nec ea nocte portum aſſequi potuerunt.

Die 24.

Die 24. manè Eurus flans, nouum ipſis ad fretum exuperādum animum addidit. Cum ergò aliquouſq; vento cōmodo in freto proceſſiſſent, poſt meridiem vento Zephyro ingruente ad ſinum vſque anſerinum pertenderūt. Itaq; circa veſperam in ſtationem antiquam receſſerunt. Quo loco etſi multi quidem anſeres conſpicerentur, præter duos tamen tunc capere non poterant, quod ſub vndis commodè aliquandiu latere poſſent.

Poſtero die vētus iterum horæ ſpatio commodus flabat. Dum ergò ſeſe omnes itineri pararent, nondum inſtructis omnibus idem iterum mutari cæpit, vt eo manere loco cogerentur.

Die 27. Zephyrus ſpirare pergebat, tempeſtate alias trāquilla, & aëre ſolis radiis illuſtri. Ibi Generalis cū Capitaneis aliquot ſcapha per fretū traiecit, vt mōtem ibi glacialē, altè eminentē propius ſpecularetur. Eo loco freti latitudo duorū milliarium erat. An verò fluctus ex auſtro, an ex aquilone inundarent, certò interſtinguere non poterat, quod mira agitatione, ac diuerſis vorticib. incōſtanter aqua nūc huc nunc illuc fluitaret. Circa eiuſdē diei horam 6. vel 7. veſpertinā, cum tempeſtate cōmoda ex ortu ventus incubuit. Quamprimū ergò Generalis ex latere oppoſito reuerſus eſſet, ex ſinu anſerino emigrandi ſtudio anchoras ſuſtulerunt. Sub noctem itaq; totam, cum ventus ſibi conſtaret, è freto peruadendi ſtrenuam operam nauarunt. *Mons ingens ex glacie in freto.*

Die 28. manè vulturnus cum ſole & tempeſtate claris incubuit. Magno ergò animo ac ſpe die illo eo vſque progreſſi ſunt, vt circa veſperam Cabo Deſirado, quod iugum admodum eminens, & in freti latere auſtrali conſpicuum eſt, viderent. Circa veſperam Cabo Deſirado (alias Deſiero nominatur) cominus acceſſerunt, quo loco propter Lunæ facem nonnullas paruas inſulas proſpexerunt. *Cabo Deſiero.*

Die 29. ante exortum ſolem iam dum 6. circiter milliaria emēſi, Cabo Deſiero tranſierant, vēto idoneo Libonoto ſpirante, quo concitatius intra aquilonē & occaſum ſeſe ingerebant. Cęterū in ſeptentrionali oceani parte, terra ita humilitate ſua occulitur, vt iugo nullo promineat, ſolis inſulis aliquot, iiſq; exilibus in cōſpectum ſe erigentibus, quæ 5. milliaribus à terra aquilonari, & 8. à Cabo Deſirado fermè diſtant. Iuxta modo dictum Cabo vſq; in partē aquilonarē freti latitudo 7. circiter milliariū eſt: quo loco perrumpētes, ex periculoſo freto eodem adhuc die in apertum oceanum auſtralem tandem incurrerūt. De quo ſucceſſu, vt fas erat, Deo rerum ac itineris largiſſimo ſoſpitatori gratias & laudes infinitas dixerunt. *Ex freto eluctantur in oceanum auſtralem.*

Calend. Martij, procella importuna ex ſeptentrione concuſſi, plenis velis minimè procurrere poterant. Scaphā verò quam in freto condiderant, poſt nauem religantes, tandem propter violentā turbinū colluctationē, vela vniuerſa colligere coacti ſunt. Cūq; vicealmirantē ex cōſpectu ſuo amiſiſſent, tertia quartaue vice exoneratis tormētis ſignū dātes, eū tamē haud animaduerterūt. Sed poſtero die ad *MARTIVS.*

ipſos rediit. Hoc loco ſub altitudine grad.53.poſiti erant.

Die 3.Zephyro perflante,terram quandã intra ortum ac ſeptentrionem eminentem conſpicati ſunt, quam primo cenſebant eſſe freti oram borealem,quod præ greſſa nocte longius in ſeptẽtrionem declinaſſent. A qua terra vt ſe latius efferrent, vela altius in auſtrum direxerunt.Hoc loco aër adeò obſcurus & tenebroſus erat,vt altitudo capi non poſſet.

Die 4.procellæ ex occaſu perpetuo adhuc frementes, ſcapham maiorem, pone è naui religatam fluctibus æſtuoſis tam violenter illiſerunt, vt foramen aut rimam patentiſſimam contraheret. Ipſam ergò cum deſerendam peruiderent, vix magno labore ex ea nautas redemerunt & extraxerunt. Tempeſtas interim nihilominus tanto furore æſtuare pergebat,vt parum abeſſet, quin Zephyris violentiſſimis & tumultuoſiſſimis in vallum vicinum humile impingerent. Quantocunq; igitur niſu & molimine poterant, verſus altius mare eluctari conabantur.

Scapha maior deſeritur.

Die 6.auſtro perdurante circa meridiem ſolis altitudinẽ grad. 51. & 1;.min.habuerunt,à freto ſe 40.milliaribus diſtare rati.

Die 8.ſolis altitudo grad.49.erat. Hoc tempore in nauibus vniuerſis 147.viri ſuperſtites numerabantur.

Die 12.ſub meridiem altitudinem grad. 46. tenuerunt. Hora à meridie 2. ventus cæcias ex ſeptentrione perflauit: quo vectore in tra ſolſtitium hybernum cum ſæuis procellis impulerunt. Hoc loco vice Almirans,qui ſerius veſtigia priorum nauium legerat, longo interuallo ab illis adhuc aberat. Quem paulo poſt, propter craſſiſſimas ac denſiſſimas nebulas circa veſperam incumbentes, ex conſpectu penitus amiſerunt.Hunc expectatum,ſuaſu Generalis anchoris quidem naues ſiſtebant. Sed cum nec poſt horarum duarum elapſum appelleret,curſum ſuum pertexentes in auſtrum vela impulerũt. Sic ergò his pergentibus,vice Almirãs à ſocietate excluſus eſt. Hac nocte vento Zephyro in aquilonem curſum eſt.

Vice Almirans ſocias naues deſerit.

Poſtero die circa meridiem tempeſtate valida ex ſeptẽtrione ingruente,curſum irrequietiorem experti ſunt.

Die 17.Euronoto vehente intra ſeptentrionem ortumq; meta aduerſa contenderunt.Solis altitudo 39½.graduum erat. Et vt opinabantur,à terra 30.milliaribus aberant. Gubernatoribus ergò Generalis mandauit,vt ad inſulam La Mocha vela facerent.

Ad La Mocha inſulam pergunt, ſed vana perſuaſione.

Die 19.auſtro vehente curſum continuarunt : quo parum aberat,quin longiſſime infra inſulam La Mocha diſpellerentur. Nam gubernatores ſe terræ iam vicinos eſſe cenſebant, vnde tamen lõgius adhuc diſtabant. Qua cauſa ſuſpicabantur, terram à freto Magellanico potius in ortum quam ſeptentrionem excurrere. Circa meridiẽ altitudinem 37. grad. 54. minut. tenebant. La Mocha verò ſub gradu 38.ſita eſt.

Circa

Circa diei 20. auroram, aëre admodum obſcuro ac nebuloſo, borea ferente verſus terrā viſam contenderunt, & eandem circa meridiem attigerunt. Cominus ergò accedentes, eam continentē Chili, intra S. Mariam & La Mocha ſitam, deprehenderunt eſſe.

Continens Chili intra S. Mariam & La Mocha.

Die 21. Acutum prominens iugum quoddam conſpicati, id inſulam aliquam eſſe cenſuerunt. Secundum hoc tranſeuntes, comperêrunt, ibi firmam terram eſſe. In hac prominentia multos congregatos homines viderunt, quorum haud pauci equis inſidentes oberrabant. Terra ipſa ad conſpectum amœna, multis paſſim locis exculta ac habitata videbatur. Et hic ciuitatis Imperial angulus erat, in terræ penitis introrſum magis ſitæ. Hinc diuertentes Hollandi ad 5. vel 6. milliaria inſulam quandā proſpexerunt, à ſe in occidētem vergentem: ad quam cum velis incitatis properaſſent, in eius parte orientali 14. paſſib. anchoras fundarunt. Et hæc ea inſula La Mocha erat, quam paulo ante ſub gradu 38. ſitam percenſuimus. Hæc lata admodum ac magna, in medio ſui montem editiſſimum emittit, qui medius velut rima diductus & diuaricatus, limpidiſſimarum aquarum ſcatebra amœnus admodum ac iucundiſſimus eſt. A pede montis ad ripam vſq; planities mera intercurrit.

Inſula La Mocha attingitur.

Generalis itaque quendam ſcapha in oram emiſit, qui tentaret, an cum indigenis amicè tractare ac de neceſſariis contrahere liceret. Hanc prouinciam ſolus ſubibat Ian Claess, qui, vt in terram peregrinam exponeretur, iam anteà condemnatus fuerat. Contractus ergò aleam tentaturus, merculas quaſdam, vt cultellos, ferrum, corollas precarias & ſimiles, ſecum aſportauit. Quem indigenæ quidem humaniter & cum gaudio admiſerũt. Sed quod ſerum eſſet, vt poſtero die rediret iuſſerunt. Is ergò ad naues reuerſus, ſpem in animis plerorumque haud tenuem ſuſcitauit, annonæ ac commeatus neceſſarij copiam ibi ſatis grandem paratum iri. Nam & alias numeroſi greges boum ouiumq; in paſcuis oberrare, & terrę omnes paſſim ſedulo excultæ eſſe, videbantur.

Ian Claess emittitur, indigenarũ ſenſum exploratum.

Sequente die binis ſcaphis in terram egreſſi ſunt, aliquot ſecuribus, & cultris Norimbergenſib. in omnem euentũ inſtructi. Cumq; altera ſcapha quā proximè in terræ angulũ (nā ora ſeu margo omnis alibi admodũ ſcopuloſa erat) appuliſſent: indigenæ cũ ipſis tractatũ confertim irruerunt: pro qualibet ſecuri ouem, pro cultro autem gallinam vnam aut alteram permutantes. Sed & varij generis fructus, vt Maiis, Battatas, Radices, Pompones, & ſimiles, ibi enaſci ſolitos, cumulate conferebant. Quibus ſcapham minorem replentes, cum binis præcipuis Caſſiquen ſeu loci primatibus, qui vltro ad naues pergebant, ad ſocios redierunt.

Holl. varia permutant.

Primates hi non humaniter ſaltē à Generali admiſſi, ſed & lautè opipareq; tractati ſunt, noctē eam totā cum Hollandis exigētes. Sed à nemine, quid vellent, intelligi poterant: niſi quod nutib. ac ſignis

quibuſdam ſignificare viderentur; quoſdam Hiſpanorum in Baldiuie nuper capitis ſupplicio affectos fuiſſe. Nam & loca eadem commodè pronunciare poterant, nimirum Arauco & Tuccapel, quæ in aduerſo Chili littore ſita ſunt ſicut, deinceps fuſius & explicatius de his acturi ſumus.

Die 23. cum ſcapha minore in terram iterum egreſſi ſunt. Cumque indigenis honoraria nonnulla veluti induſiola, pileos, & ſimilia obtuliſſent, cum illis ad locum, qua habitabant, perrexerunt. Is vicus 50. circiter domos, ex ſtramine intorto erectas, oblongas, & ianua vna acceſſas habebat. Hollandos autem Indi intro in ſuas domos recipere, aut ad vxores propius admittere nolebant. Sed hæ tamen omnes virorum iuſſu ædibus excitæ, duobus ordinibus in genua conſederunt ſeorſum, longius ab Hollandis remotæ. Viri verò iuxta Hollandos in truncis proximis conſidebant. Ab eo, vetula quædam prodiit, ac vrceo fictili potus quoddam genus, Cici dictum, attulit, de quo Hollandi ad placitum bibebant. Potus iſte ſubacidulus, ex Maiis (quod ipſorum triticum eſt) & aqua cõcinnatur hoc modo. Vetulæ ex ætate exdentatæ, Maiis mandunt. Ex maſticatione iſta madore imbibito Maiis, retinetur, dum cũ aqua perfectius maceretur. Miſcella hæc ſi efferueſcit, doliis excipitur, & in vſus reconditur. Et quod cõprimis ridiculum eſt, ſuperſtitione tam fœda excœcati ſunt, vt perſuaſum habeant, quo vetulæ annoſiores ſunt, eo potũ generoſiorem & ſapidiorem fieri. Hoc potu Indi promptè inebriantur. Singularia quin etiam conuiuia iſto nectare agitant. Pagani ſiquidem vniuerſi vno multoties loco congregantur. Quo facto, mimus quidam ex alto ſurrecto trunco ſonitum & ſibilum ore mirum edit, ad cuius modum cæteri in orbem bibunt.

Mores indigenarum La Mocha.

Cici parandi modus.

In hac eadem inſula olim quidam Hiſpanus egerat. Qui poſtquã cum aliis naufragium feciſſet in inſulæ parte occidua, ſolus enauit, & ad Indos hos confugit, inter quos etiam quadriennium integrum exegit. Sed his ebriis factis, in cõſpectum progredi minimè audebat, verum ſe occultare cogebatur. Cumque non ignarus eſſet, quam irreconciliabili odio Indi erga Hiſpanos flagrarent: cum primatis cuiuſdam ſorore clam familiaritatem aluit, quæ poſcente vſu eum ſubinde occultabat. Huius ope ac adminiculo quatuor iſtis annis ſeruatus eſt. Mos horum Indorum eſt, vt tot ducant vxores, quot re familiari ſuſtentare poſſunt. Inter hos is ferè opulentiſſimus eſt, qui filias plures habet. Has enim qui ambit, vt à patre eaſdem adnumeratis bobus, ouibuſque ac vaccis, aut rebus aliis, quibus ac quantis pater filias cenſet, redimat, opus habet. Summa libertate gaudent, & legibus omnibus propè ſoluti viuunt. Quod ſi quis alterum occiderit: tum homicidium hoc cæſi cognati tandiu vindicant, dum interfectorem ſimili pœna ſuſtulerint, niſi mediis certis interuenientibus vindices deſignator mollinerit. Pacificationis medium

Hiſpanorum quidam 4. annis in La Mocha egit.

Mochani filias ſuas vendunt.

dium Cici plerunque eſſe ſolet, quod annuatim reddere coguntur rei. Hoc modo indigenæ Chili ferè vniuerſi viuunt, qui iugo Hiſpanorum nondum ſubditi ſunt. Veſtibus tam inferne quam ſuperne amiciti ſunt: quas ex ouium grandiorum lanis texunt. Hæ oues procero & erecto collo ſunt: à quarum tergis lana ad terram vſque demittitur. His ad onera gerenda vtuntur. Laſſæ ac fatigatæ nullis plagis porrò agi poſſunt, ſed actoribus ſuis caput arrigunt aut obuertũt, alta voce clamitantes. Harum ouium nullas Hollandis vendere volebant; ſed offerebant alias, ſpecie externa noſtris non diſſimiles, obeſas admodum ac plenas. Ibidẽ pro ſecuribus ac cultris copioſas quoque gallinas ac varios fructus redimebant. Nam continentis huius habitatores ferramenta huiuſmodi auidè arripiebant, adeò vt pro parua mole res multas reponerent. *Grandes Indorum oues.*

Die 24. manè caurus flauit. Hollandi ergò ad fructus plures auferẽdos in littus iterum egreſſi ſunt. Cum verò Indi manibus innuerent, vt propius iam non appellerent: recedentes cum pace ipſis valedixerunt. Nauibus ergò iam de nouo neceſſariis rebus omnibus inſtructis, Generalis diſceſſionis ſigno dato, cum nauibus vniuerſis eo loco reſoluit, & verſus S. Mariæ inſulam, quæ à La Mocha 18. milliaribus diſtabat, curſum ſuum incitauit. La Mocha verò ſub gr. 38. 6. circiter milliaribus à continenti ſita eſt. *Ex La Mocha Holl. ſoluunt.*

Die 25. ſub auroram vento auſtro, ad occaſum æſtiuum properarunt, S. Mariæ inſulam, ſub gr. 37. & min. 15. in æquinoctialis lineæ parte auſtrali ſitam obtentum. Circa diem medium altitudinem $37\frac{1}{2}$ grad. metientes, tribus ſe circiter milliaribus à continente, & ſex vel ſeptem milliaribus à S. Maria abeſſe obſeruarunt. Et hanc paulò pòſt attingentes, nauem in portu eius quandam conſpicati ſunt: quam primo intuitu ViceAlmirantis eſſe rati, propiùs appellentes Hiſpanicam deprehenderunt. Hæc viſis Hollandis, vt ipſis elaberetur, ſedulam quidem operam nauauit. Sed cum rapidius inſectantes Hollandos videret, ſcaphæ ſuæ, in qua anchora iacebat, funem pręcidit, vt citra impedimentum expeditius euolare poſſet. Ita affecla ſcapha libera, rectà verſus terram vela fecit. Intra huius inſulæ aquilonem Eurumque ſcopuli nonnulli eminent, à terra ipſa milliaris vnius interuallo ſemoti. Per hos Hiſpani intrepidi tranſmiſerunt, aliàs Hollandorum captiui certiſſimi futuri. Nihilominus tamen per has ipſas aſperitates Hollandi eos alacri animo inſecuti ſunt. Sed Hiſpani ad altum illicò mare velis incitatiſſimis tetenderunt, ſperantes, ſe laterali iſto vento manus Hollandorum impunè declinaturos eſſe. Nauis etenim iſta (vt videre erat) obliquis velis currendi peritiſſima fuerat. *Holl. inſulam S. Mariæ adeunt.* *Hiſpanica nauis in portu S. Mariæ.*

Die 25. cum Hiſpanicæ nauis inſectationi continuam operam nauarent Hollandi: ea tamen potiri minimè potuerunt. Et licet ſcirent inter ſe pridem ita conſtitutum fuiſſe, vt in S. Maria inſula aliæ naues alias binis integris menſibus expectarent, id quod ViceAlmi-

ranti abſenti quoq; debebatur:nihilominus tamen, ne ab Hiſpanica naue aliquando proderentur,conſultũ rati ſunt,eandẽ ponè veſtigiis lectis tamdiu inſectari, dum in venatione eius ſalutem extremã tentaſſent.De nouo ergò iam iterum eius inſectationi diem impendentibus,circa veſperam malus maior crepare auditus eſt,ita,vt metu periculi maioris vela ſua colligere cogerentur.Sed paulò poſt,cũ per Lunæ facem nauem Hiſpanicam propter aduerſum ventũ reſtitare proſpiceret:celoce ſua inſtructa(cui Capitaneus Bieſman præerat)ipſam iterum velocius inſectati ſunt. Iſta nocte flãmas multas ex aduerſo inſulæ,in terræ loco quodam,Lauapie dicto,emicare viderunt.

Hiſpanica nauis corripitur.

Die 26. cum perſecutionis nauis Hiſpanicæ nedum animũ depoſuiſſent:eandem circa 8.aut 9.diei horam Celox corripuit,ac in illã tormẽtis ſtrenuè defulminauit.Etſi vero & ipſa nauis Hiſpanica(quę æneis tormentis duobus munita fuerat)in Celocẽ exploderet:tandẽ tamẽ ſe dedidit,aduentumq; Generalis victorum mandato expectauit. Quamprimum is appuliſſet, Capitaneus Hiſpanicus cũ pilottis ac officiariis cæteris(nauclerus enim nauis huius in inſula remanſerat) ante ipſum in genua prouoluti ſunt,veniã ac vitam deprecantes. Quibus cum Generalis vitæ poteſtatẽ feciſſet:anchoris iuncti eodẽ loco decubuerunt.Quærenti Generali,qui eſſent,quid actum veniſſent:reſponderunt Hiſpani,nauẽ eam Regiã eſſe, miſſam, vt Arauco, & Conſeptie incolas farina,lardoq; inſtrueret.Hos n. cum illius loci Indis graui bello decernere.Farinæ vero 30.ſaccos in naui iam dũ eſſe: ſed lardum poſt biduum demũ importandũ fuiſſe,vt his prima occaſione in Arauco(quę ſupra S.Mariam 4.milliaribus à Chili littore,vbi Hiſpani quam proximè ad mare Caſtellum tenerẽt) contenderetur.

Hollandis ad S.Mariæ inſulam redire non licet.

Porro cum ex Pilotto Generalis percontaretur, putaretne fieri poſſe,vt ad S. Mariæ inſulam, infra quam iam longius deiecti eſſent, redaſcenderent:propter auſtrum ibi ordinarium, id neutiquam impetrari poſſe comperit. Commemorabat enim Pilottus, quod ex Conſeptie ad S. Mariam inſulam aſcendere, tertia quidem vice admodum ſedulo anniſi: ſed re omni fruſtra tentata, toties reuerti compulſi ſint:tam quod venti perpetuo obſtãtes repuliſſent, quam quod remum, procellarum ac fluctuum immanitate confractum perdidiſſent.

Referebat etiam inter alia Capitaneus cũ Pilottis,quod in Conſeptie mandatum accepiſſent, vt accurata diligentia, ſpecularetur & attenderent,quænã ex freto naues hàc tranſiturę eſſent:&vt hãc rem ad naues militares,in Lyma excubãtes, ocyus denunciarent.Harum enim binas optimè inſtructas, prædæ ſpe in Arica morari.

Quibus cognitis,trutinatoque rerum, qualis eſſet, ſtatu, quod nimirum Sanctam Mariã recuperandi ſpes nulla reſtaret, cũ iam ad gradum 35.deſcendiſſent,& vẽtos perpetuo aduerſos habituri eſſent: Generalis cum Capitaneis ac gubernatoribus decreuit & ſtatuit,

vt ad

vt ad S.Iago portum, aliàs Val Paroiſo dictum, ac ſub gradu 33. ſitum vela curſuſque deflecterentur. Id quod citra moram quoque ſubitò inceptum eſt. Hic itaque curſus in cauſa fuit, quod ViceAlmirans ad ſocias naues nunquam poſtea rediret. Cum enim ipſum eo loco nō offendiſſent: à S. Maria eum tota via aberraſſe ſuſpicati ſunt, hac de cauſa, quod in Mappa illa, quam Petrus Plantius edidit, inſula hæc ſub gr. 36. in lineæ auſtrali parte poſita ſit, cum tamen ipſa experientia doceat, eandem ſub gradu 37. min. 15. omninò collocatam eſſe. Quo & ipſi facilè ſeduci potuiſſent, niſi commentaria Anglici Capitanei Melis ſecum habuiſſent, ac euoluiſſent. Nam & ex Verhagens ſocietate quidam, Dirick Gerritſz eodem errore ex hac mappa deceptus eſt, ſicut ex eo ſcripto liquet, quod de hac re ad Generalem miſit.

Holl. in S. Iago pergunt.

ViceAlmirantem omninò deſerunt.

Mappæ Plantianæ error.

Idem Capitaneus Hiſpanicus Generali ſignificauit, ex ſocietate Verhagens in Inſula S. Mariæ duas naues incurriſſe, Generali Symon de Cordes ſubditas. Quem, dicebat, in terra firma vnà cum aliis 23. viris ab Indis trucidatum ac peremptum eſſe, hac cauſa, modoque.

Symon de Cordes ab Indis in Lauapia inſula cæſus.

In S. Mariæ inſulæ oppoſito, iugum quoddam ſeu promontorium Lauapie dictum eſſe. Ad hoc annonæ & refectionis quærendæ ſpe Generalem excurriſſe, ac à perfido Hiſpano, cum Indis agente, in terram è nauibus prolectum eſſe, prætextu familiaritatis ac amicitiæ contrahendæ. Ita credulos illos, in terram egreſſos, ab Indis obrutos, ſtratos ac cæſos fuiſſe. Nec Indos quidem, eos Hollandos eſſe, compertum habuiſſe: ſed contra Hiſpanos victoriæ hanc commoditatem offerri, credidiſſe. Et hac ipſa de cauſa quoque accidiſſe, vt cum ſingulari triumpho Hollandorum capita haſtis ac lanceis ſuffixa geſtantes ad Conſeptien venirent, & trophæa iſta Hiſpanis (qui Conſeptie imperitabant) in probrum ac diuidiam oſtenderent. Hoc ergò iam damno accepto, naues dictas binas, quarum altera Generalis, altera Iacobi Quack erat, in S. Mariæ inſulam ſeceſſiſſe, vt amicabili tractatione neceſſariam annonam ibi acquirerent. Tunc Gubernatorem Conſeptie fictis verbis & largis promiſſis Hollandos eſcaſſe, & Capitaneum ſuum, qui porcos aliquot & certum fructuum numerum ipſis impertiret, amandaſſe: vt hoc ſcilicet compendio Hollandi commodiori tempore præſeruarentur. Id quod olfacere Hollandis non admodum arduum erat. Capitaneus ſiquidem, qui ab Hollandis lautius tractatus eſt, annonæ plus impertiuit, quam in mandatis haberet. Tum & vino madidior, neſcio quæ ſuſpecta verba emiſit. Ex his enim intelligebant, Gubernatorem de his binis nauibus Lymam nuncios ac indices miſiſſe, quod binis ibi mēſibus moram facturæ, & ſuos ſocios operituræ eſſent. Nec enim idem ignorarat, quod ob cladem prius acceptam Hollandi admodum infirmi iam eſſent, ſecumque vix 60. viros haberent, & penuria annonæ graui laborarent: Adeò, vt vi intentata facilè expugnari ac deuinci

Quid nauibus binis Cordes acciderit ad S. Mariam.

poſſent.

poſſent. Poſtquam ergò, vt diximus, commemoratæ binæ naues technas ac dolum Gubernatoris intellexiſſent: tum eas ex portu S. Mariæ ſoluiſſe, nec quo peruaſerint, cuiquam compertum eſſe. Paulò poſt ergò 4. inſtructas militares naues ex Lyma ibi appuliſſe; & hanc, quam Hollandi iam cæpiſſent, illarum Celocem ſeu Liburnicam fuiſſe. His 4. nauibus vltra 700. milites in Conſeptien, oppugnandorum Indorum cauſa inuectos fuiſſe, ac Hiſpanos cogitaſſe, duas Hollandicas naues, quæ iam dum ſoluiſſent, inuadere & obtruncare: ac re hac comperta, Capitaneum illum, qui à Gubernatore emiſſus ad eas abiiſſet, captiuum factum, ac proditoris loco in Lymam adductum fuiſse.

Hiſpanis Hollandica claſſis diu ante aduentum prodita.

Hiſpani quidem in Lyma iam ante annum venturarum Hollandicarum nauium nuncium acceperant, tam certum, vt & nomina & cognomina tum Generalis, tum cæterorum primariorum præſcita haberent. Itaque ad rumorem hunc omnis ea terra mota, & naues militares reb. omnibus munitæ & inſtructæ ſunt, vt aduenas hoſtiliùs inuaderet. Cum ergò intellexiſsent Hollandi, ibidem cum fructu ac quæſtu minimè morari licere, & propter interdictum regium alias quoque nulla cum Hiſpanis commercia fida & quæſtuoſa fore præſcirent: deſerto illo loco, die 28. Martij ſub auroram promontorium quoddam Punte Coronne dictum, ac duobus milliaribus à S. Iago vel Val Paraiſe abſitum appulerunt. Duas ibi naues hærere, Pilottus Hiſpanicus dixerat. Itaque ad portum illum Hollandi intendebant. A quo cum non abeſsent longè, clara die fulgente, maritimi incolę appellẽtes Hollãdos de edito monte cõſpicati ſunt. Ab eo confeſtim ſe eques quiſpiã vidẽdum exhibuit. Cæterum cum nauibus iſtis in portum propius penetrare non poſsent, viderentque in eodem grandem nauem vnam cum quatuor aliis in propinquo ſtare ac apparere: Generalis duas ſcaphas, 20. circiter ſclopetariis munitas fortunam ac rem tentatum emiſit. Ipſemet autem Generalis in ſinu vicino 30. paſſibus naue ſua conſedit. At Liburnica, cum nuper capta Hiſpanica naue, ſub velis manſerunt. Itaque cum ſcapha emiſſitia minor, quam 8. viri moderabantur, ad nauem in portu ſucceſſiſset, multos quidem in iſta homines, ſed meros Indos viderunt.

Hollandi Hiſpanicam nauem occupãt.

Nam Hiſpani pleriq; eruperant fuga, optima & præſtantiſſima quæque, quæ caſus permittebat, ſecum abripientes. Indi verò cum ad Hollandorum appulſum ad arma properarent: ſecuritatis maioris gratia Hollandi eos magna ex parte trucidauerunt, & è naue in pontum exturbarunt, quotquot eorum reliquos inuenerunt. Numerus cæſorum 40. circiter erat; inter quos nonnulli duces ac officiarij alij numerabantur, ſicut poſtea à puella quadam, quæ ſe illic occultauerat, & Hiſpanicam linguam perite callueerat, edocti ſunt.

Altera ſcapha maiore Hollandi ad cæteras naues properarunt, quæ viris vacuæ erant. Hi enim in terræ margine cubabant. Itaque,

qua

qua Hiſpani bona è nauibus extulerant, ſcapha ab Hollandis reducta eſt. Hæc dum agerentur, alia nauis quoque inde ſoluit ac profugit: in quam Generalis, vt & capta nauis, cuius Capitaneus Claës Pieterss conſtitutus erat, tormenta ſua exonerarunt. Hanc etiam Claës Pieterss tandem attigit cæpitq́;. Capta hæc ad terram ocyus contendit, & bonis citius exonerata eſt, quam à nauibus Hollandorũ occupari poſſet. Hac deinde ab Hollandis aſcenſa, vexillum eius Generali honorario exhibitum eſt. Nauis nomen Los Piccos erat, & 80. circiter onera capiebat. Generalis autem pluribus emiſſis mãdauit, vt vacuæ naues igne exurerentur, ac recens capta ad claſſem iungeretur. Poſteà his confectis iuſſit, vt omnibus paratis ac adornatis hinc ſoluentes diſcederent, dicens, ſe è veſtigio pone ipſos inſecuturum. Intereà vnà ex ardentibus nauibus rectà ad Generalis nauem impulſa eſt: quod rectà ex ſinu ventus perflaret, à meridie ibi ordinarius. Flagrans hæc nauis violento impulſu rectà in Almirantis proram impegiſſet, niſi prouida opera funibus anchorariis præciſis, eadem iſto loco emota fuiſſet. Sic anchoræ periculo nauis ſeruata eſt: quam cæteræ illicò inſecutæ ſunt.

Alias Hiſpanicas naues capiunt.

2. naues exuruntur.

Prætoriæ periculum.

Anchora perditur.

In Piccos nauem Generalis 14. viros diſpoſuit, qui gubernandæ & tuendæ illi vacarent. Arcæ autem Ciſtæque ab eo reſeratæ ſunt, bonorum parte maxima in naues alias tralata. Credibileq́; erat, eam nauem plurimo auro ac mercibus præſtantiſſimis, ante expilationem oneratam fuiſſe. Quæ in ea reperiebantur, hæc ferè bona erant, ſeuum ouillum, vinũ in potiſſis, poma, coria præparata, Oliuæ conditæ, Manteque de Porco, Coquos nuces, & tres equi, quos tamen profugi è naui exturbarant.

Quales merces in Piccos inuenerint.

Portus hic Val Paraiſo ſub gradu 33. à lineæ auſtro ſitus eſt: à quo pedeſtri itinere terra S. Iago 18. milliaribus penitius diſtat. Ibi vnica ſaltem caſa erecta viſitur, in qua merces ſuas recondunt aduenæ. Quæ verò inde auehuntur, vt ſunt vina, & ſimilia alia, eadem ex ordine ſecundum littora exponuntur, cum pluuiæ iſto loco rariſſimæ incumbãt. S. Iago quidem vini copioſi feraciſſima eſt, quod tum colore tum ſapore rubrum vinum Gallicanum æmulatur. Sed & poma & cotonea ingenti numero ibidem proueniunt. Greges ouium ibi numeroſæ ſunt, quas ſolius ſeui auferẽdi gratia mactant, quo plerumq́; integras naues grauant. Vniuerſa terra admodum fœcunda, & variorum fructuum proma largiſſima eſt.

Ibidem Generalis literas accepit, à Dirick Gerritſz allatas, qui nauis ex ſocietate Verhagens, volitantis cordis dictæ Capitaneus erat. Is Germanico idiomate ad ſuos populares perſcripſerat, magna cum egeſtate ac ærumna portum Val Paraiſo ſe obtinuiſſe, ac vix nouem ſanos ac vegetos ſecum aduexiſſe. Summa ergo ſe neceſſitate cõpulſum, ipſummet cũ vexillo pacificatorio in terram egreſſum eſſe, ac cum indegenis amico cõtractu de neceſſariis paciſci voluiſſe:

Nauis, Verhagens ſocia, ab Hiſpanis capitur.

luiſſe:

luiſſe: ſed obrutum ex inſperato, ac glande per femur traiectum, cum ſociis omnibus captiuis in S. Iago abductum eſſe. Porrò, quod nemo ſanus amplius in naue reperiretur, eandem ab Hiſpanis expilatam, ac in Lymam miſſitatam abiiſſe. Hæc & alia literis ſuis ad Hollandos conqueſtus eſt: hoc addito, quod cum ſcriba ſuo, iuuene ex Hagis oriundo vinculis duriſſimis obtereretur. Ex quibus certè iã non obſcurum eſſe poterat, quàm proba, fida, & ſecura commercia cum Hiſpanis agitari queant.

Prædictus Dirick Gerritſz à S. Maria inſula aberrauerat. Qua cauſa (vt literis querebatur) inediam ac famem acerbiſſimã perpeſſi ſunt: ita, vt aut fame mori, aut hoſtium libidini ſe offerre omninò cogerentur.

APRILIS. Calen. April. circa veſperæ horam 4. grandem ſinum, Porto La Guaſco dictum, ac ſub grad. 28. minut. 30. in lineę auſtrali parte ſitum incurrerunt, qui admodum idoneus, ſcopulorum ac impedimentorum aliorum periculis omnino caret: in cuius confini fons etiam limpidiſſimus, La Guaſco vocatus, ſcaturit: cuius tamen vnda hauſtu admodum periculoſa eſt. Domos ibi nullas videre eſt: cùm indigenæ terram penitiorem occuparint, variorum fructuum feracem, etſi arborum copia non magna ibi ſit.

Los Piccos qualia bona vexerit. Poſtero die Generalis ad nauem Los Piccos contendit, ſpectaturus, quibus mercium generibus onuſta ſit. Moles ergo plurimas ſeui ouilli ac præparati corij inuenit: vt & ciſtas aliquammultas pomis vulgaribus refertas, multas ollas vino oleoque ac adipe ſuillo plenas. De quibus prolatis, Generalis partem quandam pro vſibus ſuis referuauit: partem alteram in mare exturbauit. Nam, quæ ſocietati commoda eſſent, pauca reperta ſunt præter obtritas nonnullas veſtes, & res alias leuiuſculas. Nam pretioſiora iam ante exinanita fuerant.

Eo loco tres vel quinq; dies inſumpti ſunt, dum commodè neceſſariis naues omnes inſtruerentur, Captum apud S. Mariam Capitaneum cum ſociis quoquo verſum ſecum prouehentes. Capitanei nomen, Franciſco di Buarra, Pilotti verò Iuan de S. Aual erat. Hi cum ſeptẽ aut octo aliis Hiſpanis, biniſq; ſclauis conſtanter affirmare pergebant, quod præter primo recenſita bona, merces alias nullas vexiſſent. Cumq; Generalis ipſemet quidẽ diligẽtiſſimè omnia perluſtrari curaſſet, præter 30. ſaccos farina plenos, & nõnulla ligna, rogo alendo deſtinata nihil reperit. Nauis hæc, Bon Ieſus vocata, 30. onerum erat.

Dum in prædicto La Guaſco portu morarentur, recentem ex fonte aquam hauſturi, propter maris inundationem ac illiſum ſcaphas adigere minimè potuerunt. Fontis enim riuus minor eſt, quàm vt adiri ſcaphis queãt. E militibus Hiſpanicis quidam ad penitiorem terram 4. vel 5. milliaribus profectus, fructus optimos, vt Melones, noſtris multò pleniores & ſapidiores, ac vuas, ficuſquę cum gallinis

ac

ac ouis nonnullis, ſecum retulit. Illius tractus Indi omnes ſub iugo Hiſpanorum ſeruiunt.

Capitaneus Hiſpanus dimittitur.

Die 5. Generalis Capitaneum Franciſco di Buarra cum ſociis omnibus liberum dimiſit, poſtquam ſummam ei familiaritatem & donaria multa obtuliſſet, hoc fine, vt viciſſim æqua humanitate ac fide Hollandicum Capitaneum Dirick Gerritſz, in Lyma captiuum tractaret. Quod cum Generali recepiſſet: cum omnibus ſuis præter Pilottũ, duos ſclauos Æthiopes, duos pueros Meſtiſches, ex Hiſpani ac Indi congreſſu natos, in terram expoſitus eſt.

Sed tum temporis nondum quicquam compertum habebat Generalis, de ingentibus illis diuitiis, quas nauis Bon Ieſus vexerat. Eas enim Hiſpanicus Capitaneus in mare proiecerat, ſicut poſteà indiciis ſerioribus cognouerunt.

De fure quodam ſupplicium ſumitur.

Die 6. Generalis ſenatum bellicum conuocauit, vt de quodam Iacob Dirckss, Leydano, remige, comitia fierent. Is enim furti alligatus eſt, quod nautis panes ſurripuiſſet, & ex cella penuaria Bottigiam olei abſtuliſſet, & furta plura præter hæc deſignaſſet. Cuius accuſationis cum ſe reum profeſſus eſſet, damnatus eſt, vt glande perfoderetur aut traijceretur. Qua pœna publicè recitata, paulò poſt etiam affectus eſt.

Tres naues Hiſpanicæ cõtra Hollandos armata.

Eodem die Generalis cum Capitaneo Lambert Bieſman & Claess Pieters, Bon Ieſus nauis præfecto de itinere continuando deliberauit. De qua re cum Hiſpanici Pilotti Iuan de S. Aual conſilium peterent, reſpondit is, in Lyma tres expeditiſſimas naues Regias morari, quarum hoc vnicum inſtitutum ſit, vt aduenas aliunde naues infeſtarent. Sed & ipſum ViceRegem in Lyma reſidere, ad quem copiæ omnes ex omni Peru ac Chile, imo vniuerſo auſtrali Oceano lectæ confluxiſſent. Cæterum ipſas naues robuſtiſſimas, 24. tormentis æreis, ac 300. peritiſſimis militibus munitas ac inſtructas eſſe. Monitor inſuper erat, vt res ſuas prouidi agerent, ac citra ſanam deliberationem incauti nihil molirentur.

Quo loco Regis Hiſp. argẽtum oneretur.

Hollãdis itaq; optimum viſum eſt, vt ſecundum littorum longitudinem vſq; ad 15. gradum procurreretur, & poſteà infra Lymam ad grad. 8. vel 10. declinaretur, cum dicta metropolis Lyma ſub grad. 12. & 30. minutis; Aricka verò ciuitas ſub grad. 18. & minut. 40. ſita ſit, in qua omne ferè argentum oneratur aut conquiritur, quod illinc ex Potoſi, & hinc in Lymam porrò infertur. Ex Pilotti ſermone liquebat, ibidem alias quoq; duas naues, Regium argentum auecturas, expectare. Quibus omnibus penſitatis opportuniſſimum viſum eſt, ad S. Franciſci promontoriũ, ſub grad. 1½. in lineæ parte boreali ſitum decurrere, vt, ad quod omnes naues ex Lyma, Panama, & Acapulco cõgregari ſolerent.

Hoc ergo fine ſub noctem mediam ſoluẽtes, portu La Guaſco, grad. 28. minut. 30. iuxta Chili littus ſito egreſſi ſunt.

Deſcriptio Peru ac Chile regionum. Cæterū littoris ac regionis Peru & Chile, hæc ferè ratio & conditio eſt, ſicut à Pilotto, qui de hac cauſa à Generali ſeriò rogatus eſt, accepimus.

Chile. Chile, ſub gr. 44. in lineæ parte auſtrali ſita, grandis & patens inſula eſt, in plurimarum inſularum faucibus poſita: quas omnes in ambitu Hiſpani habitant, Gubernatori generali ſubiecti. A quo tamen integri anni ſpatio Hiſpani nulla mandata acceperāt, ſecundum quæ ſeſe gerere deberent. Ouibus ac lanis maximè abundāt: ex quibus veſtes, omnium in Chile nobiliſſimas, parant.

Oſorne. Oſorne ciuitas grad. 42. ſubeſt, continenti contigua, Baldiuia aliquantò maior, ab Hiſpanis habitata, qui ſuum ibi Gubernatorem attendunt. In hac lintea ac panni lanei plurimi parantur.

Ville Rich. Ville Riche in terra firma Baldiuiæ orientalis eſt, ab ea 20. aut 30. milliaribus ſeiuncta. Hæc & ipſa multis Hiſpanis habitatur. Lintea ac veſtes Indicæ in hac numeroſę conficiuntur, quibus ſua in iſta terra commercia agitant. Eaſdem etiam in Coquinibo & loca alia finitima exportant.

Baldiuia. Baldiuia iuxta fluentum ſub grad. 40. poſita, in eum 4. ferè milliaribus effunditur. Locus is Hiſpanis multis, ſub Gubernatione Alonzo del Campo, excultus eſt, effoſſo vberrimè auro, ac aſſeribus radendis admodum inſignis. Hi in Lymam ac loca alia tranſuehuntur. Hanc Baldiuiam ciuitatem Indi, Chile accolæ Anno 1599. in Nouembr. expugnarunt, ac Hiſpanos vniuerſos in ea obtruncarunt. Hodie verò iterum à prædicto Gubernatore & 200. Hiſpanis habitatur.

Toltyn. Intra Baldiuiam ac Imperialem gentis efferæ quædam familia ſub 3. vel 4. Hiſpanis dominis agit, Toltyn vocata. Hæc & ipſa contra Hiſpanos ſeditionem mouerat. Ibidem panni quidem plurimi, ſed rudes tamen ac ignobiles texuntur.

Imperial. Imperial ciuitas, in principio ante Hiſpanorum aduentum à 300000. Indis habitata fuit: ex quibus, 20. tantum Hiſpani 200000. circiter trucidauerunt. Hi Hiſpanos immortales eſſe crediderant. Poſt hanc ſtragem editam, eo loco Hiſpani Epiſcopatum fundauerunt. qui tamen hodie propter crebras Indorum ſeditiones vaſtatus ac deſolatus eſt: velut & hodie ab integro anno nihil de ipſis, grauiſſima obſidione cinctis comperire licuit, vt metus ſit, eos funditus ac radicitus exciſos aut extirpatos eſſe. In Imperial auri grandes maſſæ eruuntur. Iuxta hanc fluuius recentiſſimus in mare ſe exonerat, prope fauces tamen ita aridus, vt nulla ſcapha adiri queat. Hæc 5. vel 6. milliaribus in penitiore terra ſub grad. 30. minut. 30. ſita eſt.

Angol. Angol 30. ab imperial, & à Conceptie 12. milliarium interuallo diſtat. In hac plerunque 200. Hiſpani milites aluntur, Gubernatori Don Guan Rodolpho Luſperge, cuius parens VVitteberga oriundus erat, attendentes. Hic veſtes Indicæ copioſæ ſarciuntur, &

auri haud modicũ eruitur: cuius tamen effoſſiones propter frequentia bella ferè langueſcunt.

Tuccabel intra La Mocha & inſulam S. Mariam in terra firma ſub grad. 37. min. 30. ſita, portu nullo inſignis eſt, ſed ſtatio in littoralibus quærenda eſt. Hos fines, exactis Hiſpanis, Indi pro ſe ſuiſq; tuentur, ad quos illis acceſſus non datur. Promontorium de Lauapie iugum illud eſt, quod inſulæ S. Mariæ opponitur. Hoc alias inexcultum tutam contra auſtrum ſtationem habet: quo loco Symon de Cordes cum ſociis trucidatus eſt. *Tuccabel.* *Lauapie.*

Arauco à S. Mariæ inſula 4. ferè milliaribus diſtans, ab Hiſpanis colitur, qui caſtellum ibidem, 80. ferè militibus ſeruatum extruxerunt. Extra quod tamen ab Indis, iuratis hoſtibus, ſatis tuti non ſunt. *Arauco.*

S. Maria inſula ſub grad. 37. min. 15. duobus circiter à terra firma milliaribus ſita, Hiſpanis gubernatur. *S. Maria.*

Conceptie in ora ſeu margine oceani ſita portus eſt, in quo Gubernator Don Franciſco de Quiſones de Chile reſidet. Eodem loco caſtellũ quoq; celebre eſt, ex quo nuper propter Indorũ ſeditionem, 700. circiter milites aduerſos illos educti ſunt. Promendo auro locus hic cum quouis alio certare poſſit. *Conceptie.*

Siliau penitius intra terram, 30. circiter milliaribus à Cõceptie abſita, Hiſpanis 150. & Capitaneo, Michiel de Chilue cuſtoditur. Hæc regio, etſi quidem parcius aurum gignat, vino tamen & fructibus ceteris, ad victum commodiſſimis, haud incelebris eſt. Terra hæc cum S. Iago quodammodo conuenit. Et hucuſq; Hiſpani propter continuos Indorum inſultus bella gerunt. *Siliau.*

S. Iago ciuitas, 18. milliaribus intro verſus terram ſita portum Val Paraiſo, ſub grad. 33. habet. Hic locus omnium de Chile præſtantiſſimus eſt, vtpote Epiſcopatu inſignis. Gubernatoris præfectus hic agens, Biſcarre vocatur. Vinum, ſeuum, poma vulgaria, & fructus Hiſpanici ſimiles, hoc loco abundant. Sed & ſumma frumenti ac pecorum copia hic reperitur. Per omnem hanc prouinciam equorum tantus numerus oberrat, vt & gregatim in ſyluis agere videantur. Huius indigenæ haſtati ex equis magna parte hoſtes expugnant. *S. Iago.*

Coquimbo ciuitas 60. ferè milliaribus à S. Iago ſub grad. 30. ſita, Hiſpanis, qui Indos omnes indigenas exciderunt, paret. Indis extirpatis, iam Hiſpani non habent, qui aurum eruant, etſi fodinæ auri ac cupri numeroſæ reperiantur. Vini autem & fructuum ſimilium locus iſte feraciſſimus eſt. *Coquimbo.*

Guaſco, ſub grad. 28. & min. 30. ſinus eſt, incultus ac deſertus. In terra hac vites enaſcuntur, & fructus alij, comprimis Melones, tam grati ac iucundi ſaporis, vt meliores in nullo vſpiam Europæ tractu inueniantur. *Guaſco.*

Morre Morrene, ſub gradu 23. & min. 30. ſterilis & hominibus inanis eſt. Ad hanc tamen ſubinde quidam, qui 12. mill. interuallo in *Morre Morrene.*

penitiore terra habitant, piſcium captandorum gratia excurrunt, quos ſiccant, Siccatos deinde Pottoiſi incolæ mercantur.

Rio de Loa. Rio de Loa & ipſa piſcatu inſignis eſt. Hæc 12. gradibus ſubiecta, nonnullos Hiſpanos alit. Pars pleraq; pauperculis hominibus, qui piſcatui ſoli vacant, excolitur & habitatur.

Terrepaca. Terrepaca, ſub 21. grad. poſita portum Icaiſe habet. Eadem piſcatu quoq; inſignis eſt. Bituminis hic quoddam genus odoratiſſimum legitur, quod Ariccæ incolæ inde auehunt.

Piſſago. Piſſago portus ſeu ſinus admodum idoneus, ſub grad. 20. iacet. Huc vinum infertur, quod Pottoiſi incolæ cum aliis mercibus auehunt. Cæterum ab habitatoribus locus ſterilis eſt.

Aricca. Aricca ad maris littora ſub grad. 18. min. 40. ſita eſt. Ibi regis argentum ex Pottoiſi aduectum, nauibus imponitur. Qua de cauſa vicino caſtello munita eſt, in quo quatuor tormenta, duo maiora, & duo minora diſpoſita viſuntur. Eadem ab Hiſpanis colitur, quorum præfecti ſunt Martyn de Vallet & Meiſtro del Campo.

Punta de Hile. Punta de Hile portus quondam fuerat ante Pottoiſi. Ibidem ædes adhuc nonnullæ viſuntur. Hinc farina & annona alia auehitur.

Ciloca. Ciloca portus eſt, promontorio inſignis, ſed propter anguſtias vicinas aditu difficilis. Is ante Arequipam eſt, ciuitatem Hiſpanis refertiſſimam. In terra hac vinum, triticum, ac fructus plurimi proueniunt. Sed eadem & ouibus Indicis ac mulis abundat, ſub grad. 17. & min. 30. ſita.

Camana. Camana, 6. milliaribus vlterius ſecundũ littorum porrectum excurrit, vini ac variorum fructuum ferax, Hiſpanis ſubiecta. Hinc bona omnifaria in Chilca auehuntur.

Oconghe. Oconghe vallls eſt, vini feraciſſima, ac Hiſpanis exculta.

Les Lomes de Attico. Les Lomes de Attico iugo ſeu monte inſigni conſpicua eſt: à cuius tergo vadum quoddam viſitur, ad quod Accary locus habitatiſſimus ſitus eſt.

La Naſca. La Naſca portus eſt, iuxta Porte S. Niclaess commodiſſimus, Hiſpanis vndiquaq; habitatus, qui eo loco præfectũ ſuum habent. Ibi vinum nobilius vniuerſa Peru ac Chile prouenit.

Paraco & Piſco. Paraco & Piſco, portus duo ſibi vicini ſub grad. 31. min. 30. ſiti ſunt. Ab his 18. mill. interuallo in penitiore terra ciuitas Ica collocata eſt. In nullo Peru loco vinum abũdantius prouenit. Nam quotannis 300000. Pottiſen vini ad minimum ibi capiuntur.

Chinca. Chinca portus littoralis eſt, cui præfectus Hiſpanicus imperat. Locus hic ingentem quotannis hydrargyri vim promit.

Cangueta. Cangueta ipſa quoque Hiſpanis ſubiecta, abundanter triticum Maiis, caſeos, & varios fructus promit.

Lyma. Lyma ſub grad. 12. min. 30. in lineæ auſtrali parte ſita, Metropolis totius Peru eſt, & ſedes Gubernatoris Regij, Don Lovvys de Valaſco dicti, qui vnà cum Archiepiſcopo omni Peru ac Chile imperitat.

Ciui-

Ciuitas hæc ampliſſima eſt, nullis portis munita, ac variarum nationum populis habitata. Ibi naues militares in ſtatione latere ſolēt. Sed ad hanc aliæ quoq; ex omni littore naues congregantur, in ſinu eo, qui Callau de Lyma dicitur.

Generalis nauium militarium præfectus Don Guan de Valaſco prænominati Regij Gubernatoris affinis eſt. Terra hæc pluuiis aut nunquam aut rariſſimè tētatur. Nam ab omni eo tempore, quo Hiſpani ea loca tenuerunt, pluiſſe vnquam non meminerunt. Et tamen ſolum frumenti ac variorum fructuum copia fœcundiſſimum eſt, ita, vt vna tritici ſpica duplo plus Hiſpanicis ſpicis fundat. Fruges quotannis bis colligunt: ita nimirum: Si agros 20. milliarium ſpatio in penitiore terra ſeminăt, eodem tempore, in parte altera maritima frumenti meſſem faciunt. Viciſſim ſi in Lyma agri conſeminantur, tum in penitiore terra meſſis fit, ita, vt frugibus ea regio ſumme abundet, ac panis in pretio viliſſimo ſit. *Meſſis dupla.*

Les Salinas 18. à Lyma milliaribus abeſt. Ibi ſalis magna copia colligitur, in valle quadam, vndæ ac aquæ inacceſſa. Obuia fragmēta tam plerunq; magna ſunt, vt ex iis ad placitum decidere liceat. Quātum eius demitur, tantum ſubinde renaſcitur. *Les Salinas.*

Guauere portus duobus infra Salinas milliaribus, ſitus, copioſa fruge ac melle, celebris eſt. Hunc Hiſpani Indiq; mixti habitant. *Guauere.*

La Barancque portus gradui 11. ſubiacet, copioſis frugib. promptis famoſus. Huic præfectus Hiſpanicus intendit. *La Barancque.*

Guarmey, à meris Indis colitur, nec in hac quicquā præter carbones ex ligno factos nanciſci licet. *Guarmey.*

Santa ciuitas Hiſpanis paret, quæ ob id præfectum habet. Ibi triticum, Maiis, mel, ſaccharum & fructus alij enaſcuntur. Ante paucos annos ibidem fodinæ argentiferæ repertæ ſunt. *Santa.*

Truchille littus eſt, tribus vel quatuor vrbibus inſigne. Harum caput ac prima Truchille quoq; nominatur. Portus à ſinubus nihil hic differunt. Hinc mel, Electuaria, Sapo Hiſpanicus, Coria, & merces aliæ auehuntur. *Truchille.*

Cherepe locus eſt, iiſdem cum priore mercibus promendis inſignis. Paita ciuitas eſt, ex qua naues in Lymam ſeſe refecturæ commeant. *Cherepe.* *Paita.*

Paſſagij hinc in Lymam pedeſtri itinere proficiſcuntur. Locus Hiſpanico præfecto moderatori ſubditus eſt.

Guaiaquiel fluuius eſt, in quo inſula Puna ſita eſt. Ipſa ciuitas S. Iago de Guaiaquiel dicitur, in qua numeroſæ naues parantur. Quo tempore Hollandi ibi agebant, duæ naues condebantur: ad quarum tutelam multi milites præſidiarij alebantur. In terra verò paulo interiore rudentes funeſque, & alia nauibus neceſſaria conficiuntur. Ibidem alius quoque locus Vieio dictus, porto Guaiaquiel maior viſitur. In hoc Hiſpani grandes ſmaragdos repererunt, quos Indi adora- *S. Iago de Guaiaquiel.* *Vieio.*

uerant. Littus hoc à Guaiaquiel vſque in Panamam paucis locis habitatur, in eoque ij potiſſimum Indi degunt, qui nullis commerciis gaudent.

Panama. Panama ciuitas, admittendis ac recipiendis nauibus regiis celebris eſt. Hæ aurum argentumque ex Peru ac Chile aduehunt, quod porro terreſtri itinere in Mombre de Dios, & porro in Hiſpaniam inuehitur. Hæc portum habet, duobus milliaribus infra quandam inſulam diſtantem. Huius loci præfectus Don Alonſo de Sotto Mayor dicitur: qui quondam in Chile Gubernator, & in Belgio, vnius equitum Cohortis Capitaneus fuerat. In Panama naues etiam plurimæ conduntur.

Acapulco. Acapulco totius nouę Hiſpanię portus nobiliſſimus eſt, ex quo naues in Philippinas excurrunt, & illinc huc remeant. Is ſub grad. 17. min. 30. in lin. parte boreali ſitus, portus ante Mexico eſt, quæ ciuitas 18. milliarib. in terram interiorem ſeceſſit. Pro tutela nauium in Acapulco caſtellum extructum eſt, 15. aut 16. tormentis circiter munitiſſimum.

Generalis literas intercipit. In S. Iago ſinu Generalis nonnullas literas intercepit, quæ relationem & hiſtoriam belli continebant, quod Chilenſes gerebant: Indos nimirum rebellionem contra Hiſpanos mouiſſe, & 24. Nou. An. 1599. Baldiuiam ciuitatem obſediſſe, violentaque manu occupaſſe ac deuaſtaſſe, Hiſpanicorumque virorum ac fœminarum grandem numerum tum trucidaſſe, tum ſecum abduxiſſe, ac his deſignatis, ciuitatem deſeruiſſe. *Indi Baldiniã vaſtant.* Quam tamen 200. circiter Hiſpani, è Lyma eo miſſi, iterum occupaſſent, & reſtaurare paulatim occiperent. Ab hoc Indos ciuitatem quoque Imperial obſidione tentaſſe, adeò vt incluſi Hiſpani annonæ ſumma caritate cõficerentur, ac iam dira fame pulſi carnes equinas vorarent. Ex quibus colligi poterat, Indos ciuitate ipſa breui potitum iri.

Indi quales milites. Hi Indi milites exercitatiſſimi ſunt, quales ad hanc expeditionem 5000. circiter conuenerant. Ex his 3000. equites fuerant, lanceis ac haſtis dimicandi peritiſſimi. Inter hos ſclopetarij 100. Loricati verò 70. circiter numerabantur. Quæ arma pridem Hiſpanis ademerunt. Breui tempore multis victoriis potiti ſunt, quibus etiam haud leuiter efferebantur. Odio irreconciliabili contra Hiſpanos accenſi ſunt: quod ex eo liquet, quod, ſi quem Hiſpanorum occiderunt, ei pectus dirimunt, & euulſum cor morſibus impetunt. Sed & crania illis adimunt, ex quibus deinde alij aliis adbibunt. Huius odij cauſa Hiſpanorum tyrannis eſt, qua Indos in fœdam abripere ſeruitutem moliuntur. De libertate ſua antiqua tuenda, illuſtres plerunque orationes recitant, quibus auditorum animos ad vindicandam Hiſpanorum (quos Viracoche id eſt, ſpumam maris nominant) crudelitatem ac perfidiam, mira arte inflammant. *Indi Hiſpanos ſpumam maris vocant.*

Ducem belli ſupremum vnum habent, quem ſolius belli tempore

porecreãt agnoſcuntq;. Cum copias ſuas omnium primo aduerſus aduenas Hiſpanos educturi olim eſſent, & ad hanc rem Duce quodam opus fore extimaſſent: grandem trabem ſeu truncum ex ordine humeris geſtarunt, attendentes ſedulo, quis ex ipſis illum diutius ſufferret. Hũc enim Ducis titulo & honore dignũ fore cenſebant. Cum verò trũcum nonnulli 4. alij 5. quidã ſenis horis baiulaſſent: tandem prodiit quidam, qui illum 24. continuis horis ſuſtineret. Et hunc demum ſuum Ducem ac moderatorem conſtituerant. *Quo ritu Indi Duces belli conſtituerint.*

Propter prædictam Indorum ſeditionem ac tumultũ, contra ipſos è Lyma vltra 700. Hiſpani educti ſunt, qui rebelles expugnarẽt, & iugo ſuo ſubiicerent. Præter hos totidẽ alij quoq; expectabãtur, ita vt totus exercitus 1500. milites ſpe haberet. Sed quod intereà Hollandicæ naues in littus ibi appuliſſent, cæteri in Lyma ſubſtiterunt.

Regio Chile à S. Iago vſq; in Baldiuiam, terrarum omniũ, quas ſol radiis colluſtrat, fœcundiſſima ac feraciſſima eſt. In hãc enim quęcunque conduntur, vegetiſſimè & lætiſſimè enaſcũtur. præterea aëre quoq; vſque adeò ſalubri perfruitur, vt pauci illic ęgri reperiãtur. Eius enim tanta puritas eſt ac ſubtilitas, vt, etſi quidem gladius, à rore totus madidus ac vdus in vaginam condatur, rubigine tamen is nulla contaminetur. Fruges, Maiis, porci, equi, vaccæ, boues, oues, hœdi & alia animalia tantis ac tam frequentib. ibi gregibus oberrant, vt commoditas loci eius cum terra etiam feliciſſima conferri non debeat. Aurifodinas autem quod attinet, eædem iſtic tam opulentæ ac diuites exiſtunt, vt hic commodè deſcribi omnia nequeant. *Terra Chile fœcundiſſima.*

Cæterũ, Indi poſtquã ciuitatem Baldiuiã occupaſſent, domos vniuerſas, ac templa cœnobiaq; quoquouerſum exuſſerũt, diruerũt & vaſtarunt, ac ſimulachrorũ capitibus detruncatis, nunc tandem dij Hiſpanorum occumbunt, clamitarunt. Sed & auri maſſas Hiſpanis in fauces abſtruderunt, dicentes, ô auari ac auri ſatagentes, auro iam ſatiamini, ſatiamini auro, propter quod vnum tãta perſecutione nos premitis, & cuius vos nulla vnquã ſatietas capit. His ac ſimilibus ſcommatis Hiſpanis illuſerũt. Et licet crudelia quæq; in ipſos admitterent: æqua tamen tyrannide cũ illis certare non potuere: quod Hiſpani, Indis primũ potiti, crudelitatis extremæ nihil quicquã cõminiſci poſſent, cuius exempla in miſera gente non funeſtiſſima ederẽt. *Indi Hiſpanos vlciſcuntur.*

Die 7. Apr. Hollandi ſinũ La Guaſco egreſſi ſunt. Et cũ prægreſſa nocte Luna clara micaſſet, nauẽ Los Piccos, antequã è ſinu efferrentur, igne cõcremauerunt, dimidiam onerum partẽ, vt ſeuum & ſimilia adhuc continentẽ. Quæ vniuerſa vnà cum ipſa naui exuſta perierunt. Extra ſinum iam ergò conſtituti, Auſtrozephyro vehẽte ſecundum porrecta littora protenderunt, trium à terra milliarium ſpatio. *Los Piccos nauis crematur.*

Die 11. Angulum quendã magnum, Morre Gorch dictũ tenuerunt. Ex quo 10. milliariũ interuallo angulum quendã alium, Morre Morrene nuncupatũ proſpectare poterãt. Is è longinquo inſulã præ- *Morre Gorch.* *Morre Morrena.*

ſentabat. Ad quam cum eodem ipſo die acceſſiſſent, terram in longum exporrectam eſſe deprehenderunt, ad cuius latus aquilonare bona nauium contra auſtrum frementem ſtatio eſt, ſinui cuidã, Mexillones vocato, vicina, nullis incolis habitata.

Sinus Mexillones.

A prædicto Morre Morrene littus vſq; in Ariccam extenditur, quo omni tractu ad iugũ S. Franciſci vſq; auſter vt plurimũ perflare conſueuit. Vnde, in mare altius aſcenſuris, vetus illicò alius offertur.

Die 17. Ariccæ altitudinem grad. 18. min. 40. habuerunt, cum à terra 5. vel 6. milliaribus abeſſent. Itaq; prænominato vento intra occaſum ac ſeptentrionem promouerunt.

Die 20. aër nebulis ac obſcuritate tenebroſus erat, vt lõgius proſpectus ferri non poſſet, quã ad iactum lapidis. Quæ nebula pulueri arido ſimilis erat, nõ ſecus ac farina vel pollen per aërem cõfertim volitaret. Vnde veſtes ac indumenta eorũ etiam vſq; adeò inalbeſcebãt, vt farina conſperſæ omninò viderentur. Quę res multis admirationi nõ leui fuit. Sed Hiſpanicus Pilottus id loco illi admodum familiare eſſe teſtabatur, nebulã Arenales vocitans. Hæc nebula toto die durabat: vt per hanc Generalis naues duas cæteras amitteret. Quas nec exploſis aliquot tormentis, vbi morarentur, comperire poterat.

Nebula puluerulenta.

Circa veſperam, nondum ſole occumbente, terram proſpexerunt, à quo vnius milliaris interuallo aberant. Hæc verſus occaſum boreamq;, ac auſtrum ortumq; excurrens vſque ad angulum Porto Formoſe, ſub gr. 15. ſitum porrigitur. Et licet vel dum aër admodum obſcurus adhuc eſſet, nihilominus tamen curſum in auſtralem oceani partem intorquebant. Poſtero die, nauibus diſpulſis redeuntibus, vno curſu tantiſper in occaſum nauigatum eſt, dum à terra 20. milliaribus ſe abeſſe arbitrarentur.

Die 25. ſub auroram gr. 12. tenentes, ciuitatem Lymam ante ſe verſus ortũ proſpexerunt. Tum tẽporis Capitaneus nauis Bon Ieſus ad Generalẽ contendens, ſignificauit ei, Negro quendã Emanuel dictũ, quem in Bon Ieſus naui cepiſſent cõmemoraſſe, ꝙ Hiſpanicum Capitaneũ, Frãciſco de Buarre, tres integras ſcaphas auro plenas, quod ipſemet Negro in Bon Ieſus nauem ex S. Maria inſula importare iuuiſſet, in mare exturbare viderit, ea nocte, qua ſe Hollandos euitare non poſſe ſenſiſſet, eas nimirum diuitias ſuis hoſtibus inuidentem.

Cap. Hiſpanicus ingentes diuitias in mare eiicit.

His indiciis generalis motus, eodem illicò die Pilottũ & Negro alium Sebaſtianũ de hac re examinauit. Qui primo quidem factum inficiati ſunt. Sed poſtquã examini rigidiori ſubiicerẽtur, rem omnẽ ad vnguẽ confeſſi prodiderũt, biniq; Negro teſtati ſunt, tanta vi auri, quantã tres ſcaphæ caperẽt, prædictã nauem reuera oneratam fuiſſe, quod ipſimet cum ſclauis reliquis ſuis humeris in eam intuliſſent. His præciſè Pilottus quoque aſtipulabatur, qui hoc addebat, ciſtas auro refertas 52. fuiſſe, quarum quælibet 4. Arroben cepiſſet, præter fictilia 500. quorum quodlibet etiam 8. 10. 12. libras auri continuiſſet.

Quæ

Quæ ſi in vnam ſummam conferantur, 10200. libras auri fini ac puriſſimi conſtituent. Ex quo vnicuiuis colligere promptum eſt, quam immēſæ illæ diuitiæ fuerint, quas prefatus Capitaneus Hiſpanicus in potno merſiſset. Quod verò inuidiæ documentum longe expreſſius eſt, idem Capitaneus, poſt comperiſset, ſociorum quoſdam auri aliquam quantitatem ſub tabulis ac aſseribus nauis occultaſse, quicquid huius etiam fuerat, proferri, ac in mare abiici curauit, ita, vt auri ne quidem granum vnum in naue illa relinqueretur. Quod tamen factum Pilottus cum aliquot aliis inficiabatur. Generalis ergò de nouo perluſtrari nauem curauit. Sed nihil quicquam vſpiam inuentum eſt, niſi quod in Pilotti caligis auri faſciculus reperiretur, cuius quantitas libram non excedebat. Hæ erant maſſulæ, ſacculo diligenter concinnatæ.

Quantitas auri in naui Bon Ieſus.

Præter hæc omnia Pilottus indicabat, quod paulo antè cum binis ſociis militaribus nauib. ex portu ante Lymam Callau vocato ſoluiſſet, nauibus 2500. Annegues farinæ & 200. militibus præſidiariis munitis, ac inſtructis: quos in Conceptien adduxiſſet, vt horum ope naues Symonis de Cordes obrueret. Quas cum inde iam ſoluiſſe deprehendiſſet, dicebat, eoſdem in Ariccam traiectos fuiſſe, vt argentum regis inde aueheret. Hanc verò Bon Ieſus nauem hunc in vſum reſeruatam fuiſſe, vt in S. Maria inſula auro oneraretur, & ad 3. Martij vſq; ibi moraretur, hoc fine, vt, ſi quæ intereà naues aduenæ appellerent, id nuncio præcipiti in Lymam ſignificaret, cum ad celerius conficienda itinera eadem valdè idonea eſset. A 3. Martij autem in Arauco quæ quatuor milliaribus à S. Maria ex aduerſo ſita eſt, vela faceret, & 30. farinæ ſaccis expoſitis, cōgeſtum illic aurum in Lymam aueheret. Sed vt diximus, hoc conſilium, Hollandorum aduentus intercepit. Quanquam ex eo vtilitas Hollandis nulla inſignis emerſit, qui ne per ſomnium quidem cogitauerant, hanc inſulam tam grandem auri vim promere, vt quæ ante triennium primum reperta fuiſſet. Hanc 3. aut 4. Hiſpani ſoli tenebant, 200. circiter Barbaris, qui eruendo auro operam nauabant, ac ſolis arcubus vtebantur, ſtipati.

Quo inſtituto nauis Bon Ieſus in S. Maria decubuerit.

Inſula S. Mariæ quando inuenta.

Pilottus quoque porro confitebatur, ſe cum Capitaneo Hiſpanico, quando in La Guaſca dimitteretur, cōſtituiſse, ſedulam nauare operam, vt Hollandis ad Cabo S. Franciſci diuertere perſuaderet: promiſiſſeque, intereà ſe de omni ſtatu ad Capitaneum in Lymam nunciare velle, vt tempeſtiue Hiſpanicæ naues ad opperiendos Hollandos illuc ſe conferrent.

Nefarium Capitanei Hiſpani & Pilotti conſiliū.

Hiſce omnibus cognitis, poſtero die Generalis ſenatum coegit, vt cauſa rerū cognoſceretur. Apud quē tum Pilottus, tum duo Negro propalā ac vltro citroq; iſta omnia confeſſi ſunt. Itaq; euolutis rerum circumſtantiis cōmodum viſum eſt, vt in Cabo S. Franciſci nō mora longa fieret, ſed quā primum is in cōſpectū daretur, continuo curſu ſecundum littorum longitudinem ocyus verſus inſulam quandam,

Les Coques dictam protenderetur. Intra Caurum ergò ac ſeptentrionem concitatis velis tam diu deproperatum eſt, dum altitudo grad.9.in lineæ auſtrali parte incumberet. Quo loco, vt proſpectus dictabat, à terra 30. circiter milliaribus aberant.

Holl. fruſtra duas naues inſectantur.

Die 29. ſub auroram ante ſe in latere occidētali duas naues conſpicati ſunt, quarum altera duobus, altera dimidio milliari abeſſe videbatur. In has excurſu facto, die toto vela obliquarunt, vt curſum earum interciperent. Sed incaſſum ea res tentata eſt. Ipſa quidem Liburnica circa veſperam ad eas ſe quā proximè admouerat: Sed cum Luna facem ſuam duarum horarum ſpatio abdidiſſet, tenebrarum beneficio, fugientes naues tanto interuallo eam anteuerterunt, vt nulla vel incitatiſſima velorum inſectatione corripi poſſent. Et huiuſmodi quidē naues ſingulari induſtria ita cōditæ & extructæ ſunt, vt in oceano auſtrali expeditiſſimè aduerſus ventū peruolitare queāt. Nam & ventus ibi ferè perpetuo vniformis eſt: & qui ex Panama in Lymā cōmeaturi ſunt, contra ventos eluctari omninò cogūtur. Poſtero ergò die ad metam ſuam terendam Hollandi reuerſi ſunt, cum altitudinem grad.7.min.22. obtinerent.

MAIVS.

Cal. Maij deliberationis cauſa Generalis Capitaneum Claess Pieters & Lambertum Bieſman ad ſe conuocauit. Hic Cap. Pieters indicauit, quod pro ſua opinione à terra meta nimis longinqua abſceſſum eſſet, cū hoc interuallū non infra 24. milliaria videretur. Sed Pilottus tamen 10. vel 11. mill. interſtitium illud ratus eſt. Cæperūt ergò de nouo ſecundū littoris porrectum verſus Cabo S. Franciſci cōtendere. Quem ſi in proſpectū accepiſſent, tum vela recta in oppoſitum ad inſulam Les Coques ſub grad.5. ſitam vertere deſtinarant.

Circa meridiem ſub grdu 6. min. 30. idoneo vehente vulturno metam percurrerunt.

Die 9. vento priore iugiter inſtante, verſus ortum ad littus iterum nonnihil declinauerunt, quod iam diebus aliquot terram nullam in conſpectu habuiſſent. Sub noctem altitudinem 10. minut. in lineæ auſtrali facie tenuerunt.

Diei 10. bono mane, cum terram nedum conſpicarentur, etſi ad eam iam denuo naues impuliſſent: Generalis gubernatorē rogauit, an cōfideret, ſe Inſulā Les Coques attingere poſſe, etſi Cabo quidem in cōſpectu & oculis haberet. Quod cū præſtari poſſe Gubernator annuiſſet: Generalis, vt è veſtigio illuc pertēderetur, mandauit. Nihilominus tamen ad meridiē vſq; verſus terram velis deflexis deproperatū eſt. Quam tamen cum aſſequi oculis non poſſent: recta vela ad Les Coques impulerunt. Hoc tempore altitudo 10. circiter minutiarum erat, cum à terra 15. aut 20. milliaribus ſe abeſſe cenſerent.

Dicta Les Coques inſula rectà ſub grad.5. in lineæ parte boreali, 110. circiter milliarium interuallo à Cabo S. Franciſci ſita eſt, tum aquæ, tum Coques ſeu nucum proma largiſſima. Sub noctē lineam

æqui-

æquinoctialem iterum tranſmiſerunt: quod hoc in itinere iam denuò fecerunt.

Denuò lineam æquinoct. trãſeunt.

Die 16. Libonoto ferente in ſeptentrionem curſum promouerunt, circa meridiem altitudinem ſolis in 4. gradu 30. minut. habuerunt. Ab hoc in occaſum deflexerunt, vt Les Coques propius attingerent. Sub veſperam altitudinem 4. grad. 40. minut. borealium habuerunt.

Die 18. Hiſpanicus Pilottus vltrò, nulla quæſtione coactus confeſſus eſt, ex 5. prædictis nauibus militaribus, in Lyma ſtantibus duas ad Panamam cum argento ex Peru properaturas eſſe: cæteris tribus vniuerſum littus vſque ad Cabo Acapulco euagaturis, vt Hollandos venentur & corripiant.

Die 20. cum manè ventus auſtralis incumberet, metam propoſitam ad Les Coques decurrere perrexerunt. Sed Gubernator hîc Generali ſignificauit, propoſitum Les Coques obtinendi iam deinceps omnino fruſtraneum eſſe, nec eam inueniendi ſibi ſpem vllã reſtare. Quare conuocato ſenatu, mappis omnib. euolutis deprehenſum eſt, cõſultum minimè fore, vt ad littora nouæ Hiſpaniæ diuertatur propter naues nimirum Hiſpanicas, quæ Hollandicas naues opperirentur. Curſum ergo ad Philippinas dirigere placuit, ita, vt in tranſitu inſulas Ladrones viſitarent. Quod vt commodius obtineri poſſet, commodum viſum eſt, primò omnium ad Bona Viſta inſulam, aliàs Guanam dictam, contendere. Inſula hæc 13. grad. in lineæ parte ſeptentrionali, 250. circiter milliaribus diſtat à Philippinis, quæ ipſæ viciſſim à Peru 2400. milliarium interuallo ſub gradu 5. minut. 13. abſunt.

Les Coques obtinendi ſpes vana.

Cal. Iuniis, vento valdè ambiguo pergentes, 30. gradu ſeptentrionem verſus altitudinem tenuerunt: quo loco ſe à littore nouæ Hiſpaniæ non vltra 20. milliaria abeſſe cenſebant. Et cum ſingulari nullo vento veherentur, ſed magna parte malacia cum ingentibus pluuiis impenderet: curſui præſumpto inhærere minimè potuerunt. Interim pluuiæ tam confertæ irruebant, vt aquæ ad potum plurimum colligerent. Quod vnum ab iſtis imbribus beneficium accipiebant, poſtquam ab omni illo tempore, quo ex freto nauigaſſent, aquam nullam hauſiſſent.

Eodem die Generalis Hiſpanicam Bon Ieſus nauem, cui Capitaneus Claës Pieterss præfectus erat, certa panis quantitate & rebus neceſſariis aliis inſtruxit, vt quam, licet admodum laxatam, vſque ad Philippinas agere ſtatuiſſet. Nam ad hanc obtinendam annonæ ac apparatus ſatis non habebat. Tum & in naui ſcapham nouam condiderunt. Cumque clauorum inopia premerentur, eoſdem in naui fabricari curauerunt, cum carbones adhuc ad id ſufficerent.

Bon Ieſus annona augetur.

Scapha paratur extemporanea.

Die 6. ad continuandum iter, leui vento vtebantur. Cumque priorem altitudinem adhuc tenerent, commodiùs ſe facturos arbi-

trati ſunt, ſi paulò longius in auſtrum pertēderent, vbi melioris venti obtinendi ſpes eſſet. Nam ſi ſub grad. 12. ventus aduerſus incubiturus fuiſſet, tum ad terram firmam propius iuxta Cabo California ſuccedere opus habuiſſent. Et tamen interim nec ad hoc nec ad littus alterum propius admoueri poterant.

Die 12. Zephyri ſpirabant, cum altitudinem 12. grad. explicitè tenerent. Itaque, velut anteà decreuerant, vt, ſi illic ventum idoneum adipiſci non poſſent, rectà ad littus nouæ Hiſpaniæ promouerent: ſic iam curſum ſuum intra occidentem ac ſeptentrionem imprimere coacti, toto die grauibus procellis ex ſolſtitio hyberno incumbentibus concuſſi & agitati ſunt.

Die 14. Ex ſeptentrione cæcias incubuit. Curſum ergo inuertere coacti, frigore denſiſſimo illic percutiebātur. Quod multò penetrantius & violentius infeſtauit, cum ſub grad. 14. agerent. Quanquā illic tempeſtas ambigua & incerta eſſet. Qua, cum metâ non temnenda verſus occidentem abſtruſi eſſent, iam de nouo altitudinem Cabo Californiæ attingendi ſpem non frigidam concipiebant.

Die 30. Caurus crebris ac denſis imbribus infremuit. Hoc die Generalis ac ſenatus decreto Hiſpanicus Pilottus è naui in mare eiectus eſt. Cui etſi Generalis omnia humanitatis officia abūdè præſtaret, curaſſetq́; vt in ſecreto cubiculo ſolus cibum caperet: non tamē erubuit ad quoſdam queritari, ſibi à Generali venenum appropinatum eſſe, cum paulo infirmiore valetudine depræhenderetur. Cumque mendacium iſtud in ſenatu publico confiteretur: eo, quo diximus, ſupplicio reus affectus eſt. Nam & iam antè idem euadendi quaſdam occaſiones captauerat: & in perfidam eruptionem pueros quoque Meſtiſches illexerat. Quam proditionem vt euitarēt: è medio ipſum tempeſtiuè tolli, & in vindice perfidiæ ſalo proditorē nefarium ſuffocari, æquiſſimum & iuſtiſſimum rati ſunt.

Pilottus ſuffocatur.

Poſteà ex medio ortu auſtroq́; ventum admodū opportunum adepti ſunt, magna & votiua omnium cōgratulatione, cum iam binis integris menſibus circa littora nouæ Hiſpaniæ potiſſimum ambiguis ventis, & crebris imbribus fluctuaſſent. Curſum ergo felicius continuantes, tum temporis ſub 14. grad. pronauigabant.

AVGVSTVS.

Aug. Die 6. & vento & curſu dicto adhuc pergebant. Cæterum cum ſcaphā illam grandiorē, quā in littore Chile apud S. Iago prædati fuerāt, ponè è naue quadam religaſſent: eadem rupto fune hîc ſoluta eſt. Quam tamen expedita celeritate ſectantes, breui redadepti ſunt.

Die 11. Antiquo curſu iugiter adhuc pertendentes, decreuerunt ſub altitudine 13. gr. & 30. minut. aut certè ſub gradu 14. vela ſubſtringere, vt à Ladrones inſulis non deuiarent. Pro plerorumque ergo ſuppputatione ab illis inſulis 525. milliaribus ad minimum aberant: etſi interuallum iſtud alij 300. tantum milliaribus cenſerent, ſub grad. nimirum 13. & 40. minutiis.

Die

Die 15. Bon Ieſus nauis rimis crebris vſque adeo diducta eſt, vt, quæ confertim aqua irrueret, nulla opera commodè exigi poſſet. Quod cum Capitaneus ad Generalem enunciaſſet: nautæ illicò ac tignarij ſeu naupegi miſſi ſunt, qui, an vlla induſtria ſarciri rimæ ac obſtrui poſſent, ſpecularentur. Hi cum medelam omnem irritam viderent, eius deſerendæ conſilium dederunt. Commeatu ergo ac annona omni exportata, duobuſque æreis tormentis eductis, ipſam deſeruerunt, iam aqua ex medio plenam, prius quàm ſe inde efferre poſſent. Sic ergo de grandi illo theſauro, quem cum naui cæperant, parum emolumenti ac vſus ſenſerunt. *Bon Ieſus nauis amittitur.*

Cæterum Capitaneum, qui huic præfectus fuerat, nauclerum Concordiæ naui addidit: & cæteros nautas viritim ad reliquas naues diſtribuit. Hæc dum conficerentur, anchoris naues nitebantur. Sub veſperam Euro vehente iter iterum ingreſſi 14. grad. 15. minut. altitudine proceſſerunt.

Die 28. manè ſcapham eam Hiſpanicam, quæ è naui pone religata, crebris inſultibus damnum acceperat, perdiderunt, cum eandem 2500. milliarium meta ſecum prouexiſſent. Iam ergo præter ſcapham, recens in naui conditam, ſuperſtitem nullam habebant, cum cæteras omnes in tam diuturno itinere perdidiſſent. Sub noctem cum terram ſe quandam proſpicere putarent: manè ſe oculis luſos eſſe depræhenderunt. Nam rei certius explorandæ cauſa, tota nocte anchoris niſi ibidem morati ſunt, vt, ſi terra reuera eſſet, eandem temerè non prætermitterent. *Hiſpanicam ſcapham perdunt.*

Cal. Septembr. vento priore adhuc durante, curſum ſuum intra ſolſtitium hybernum immiſerunt. Hiſce diebus Generalis edicto aqua nulla diſtributa eſt, ſed quilibet ſibi ſuam colligere portionem iuſſi ſunt, cum totis diebus pluuiæ copioſæ deſtillarent. Quin & deinceps ſemper ſub noctem anchoris incubuerunt, aut paſſu certè progreſſi ſunt admodum lento, cum terram non longius abeſſe nautis videretur. Hîc ſub gradu 14. agebant. Interim cum ſcorbutus populatim recrudeſceret, Ladrones inſulæ magnis omnium votis exoptabantur. *SEPTEMBER.*

Die 15. altitudinem 13. grad. 30. minut. habentes, circa horam fermè à meridie tertiam inſulas Ladrones proſpexerunt, terram editam preſſamque, ſed collibus multis inæqualem, qui longius remotis inſularum ſpeciem exhibent. Circa veſperam inſulis tam propè iuncti ſunt, vt trium milliarium ſpatio tantum ab ipſis diſtarent. Velo ergo maiore collecto anchoris ſe firmiſſimè ſuſtinebant, ne quò fors ventis ab illis rurſus abigerentur. *Ladrones inſulas attingunt.*

Die 16. ſub auroram in terrę latus Orientale appulerunt. Et cum integro ab inſula milliari adhuc abeſſent, Canoa, quam pone aliæ plures ſequebãtur, ad naues remigio delata eſt. Hi Indi fructus quoſdam, ac piſces, & Coques, & Bonnanas, radiceſque, & cannas ſaccharinas,

Cum indigenis cõmercia tractant. rinas,& alia ſimilia aduexerãt,quæ pro ferramentis attritis permutabant. Nam ferri admodum cupidi ſunt, quod ab Hiſpanis ſumpto nomine Hiero nominabant.Hoc facto,ſecundum inſulæ longitudinẽ perrexerunt,quę ad auſtrum ac ſeptentrionem 7.aut 8.milliaribus exporrigitur. Cumque angulum eius auſtralem obiuiſſent, eminus humilem quendam ſinum proſpexerunt, in quo anchoras iactarũt. Huc ad eos ex omnibus angulis plurimæ certatim Canoæ appellebant, ita, vt earum vno proſpectu 200. circiter numerari liceret,quarum quælibet duos, ternoſve, aut quinos Indos vehebat. Hi vniuerſi ferri cupidiſſimi erant,elata voce Hiero Hiero,id eſt, ferrũ, ferrum, ſubinde clamitãtes, & tanto impetu confertim ad naues ſe ingerentes, vt nonnulli ex iis cum ſuis Canois omnino euerterentur. Quod ipſi tamen non magni pendebant: vt qui non ſolum natandi peritiſſimi ſunt, ſed euerſas Canoas etiam facili labore reponere, ſuaq; excuſſa bona recolligere norunt.

Ladrones ferri cupidiſſimi.

Ladrones furaces. Hæ inſulæ natiuo & augurali nomine Ladrones vocantur.Harum ſiquidẽ indigenæ vniuerſim omnes in ſurripiendo tam ſubtiles & induſtrij ſunt, vt manibus expeditis etiam intentiſſimorum oculos fallant. Quo factum eſt, vt ab ipſis Hollandi multoties deciperentur. Doli hunc ferè modum habebant. In corbem ex Coques corticibus paratum manipulum vnum aut alterum oryzæ ſupernè iniiciebant. Qui corbes externo aſpectu oryzæ multum continere videbantur:ſed cum in naues illati euacuarentur,folia aut res ſimiles in fundo ſtratæ repertæ ſunt. Hi dum mercarentur, aut in latere nauis aut in eius poſtica parte infernè ſuis Canois ſe continebant, nec in naues aſcendebant.Ad hos ergo ferri maſſa, è funiculo religata demittenda erat. Contractu firmato, quod pro ferro appendebant, eodem funiculo attrahebatur. Illorum tamen quidam etiam naues aſcenderunt, quibus Hollandi tum cibum tum potum apporrexerunt. Cum verò Hollandi in nauibus ſuis gladiis inſtructi ſtarent: Ladronum quidam, cuidam diſpecta commoditate gladium è manibus extricauit,& cum eo properè in mare exiliit.Qũa iniuria irritati Hollandi, in hunc & cæteros, qui & ipſi furta manifeſta deſignarant, haud trepidè ſclopetis deſulminarunt: qui tamen omnes è Canois in mare exilientes, ſub vnda ſeſe abſconderunt, vt à glandibus tuti eſſent. Cæteri verò, qui ſontes non erant,quieti in ſuis Canois reſidentes,rem hanc parui fecerunt.

Hollando vi à Ladrone gladius ſurripitur.

Gens hæc æqua commoditate & ſupra terram & infra aquam degit.Quod ex eo Hollãdi colligere poterant,quod viderent,eos tãta facilitate vndis ſeſe mergere, ac ſub illis nulla noxa tam diu latere poſſe. Et hac arte fœminæ viris non ignauiores ſunt. Quod vt certius explorarent Hollandi, quinque fragmenta ferri in mare demiſerunt, quæ omnia vnus Indus è fundo eruit, & extulit,magna certè ſpectatorum Hollandorum omnium admiratione.

Canoæ

Canoæ illorum affabrè admodum ac artatè factæ ſunt: quorum ſimiles non in omni alia India prius Hollandi viderant. Pedum pleræque 15. vel 20. longitudine, & 1½. latitudine ſunt. Quibus expeditè quoquo verſum ſe proferunt. His rectà in venti oppoſitum nauigant: & ſi obliquato curſu opus eſt, naues non conuertunt, ſed puppi antrorſum vndam ſulcant, non ſecus ac prora vterentur, velo interim quod ex cannis paratum eſt, nec collecto, nec quouis alio ſitu mutato. His Canois nonnullæ quoque fœminæ appulerant totæ, vt viri, nudæ, niſi quod pudendo virens folium prætenderent. Hæ longos capillos alunt, vt viciſſim viri, eos curtant. Hi ſpeciem quandam exhibēt eius iconis, qua apud nos Adam cum Eua depingi ſolet. *Forma Canoarum Ladronum.* *Fœminarum velum foliaceum.*

Corporis cutiſque colore fuſco ſunt: animo admodum libidinoſi & procaces, adeò, vt viri ac fœminæ promiſcuo inter ſeſe concubitu permiſceantur. Nā quorundā inter eos pudenda admodū contaminata ac defœdata comparebant. Quibuſdam lue venerea, naſus ac labia, facieſq; tota quaſi exeſa erat, adeò, vt foramen exiguum oris loco emineret. Qui digitis ac ſignis, malum id à lue profluxiſſe, intendebant. *Ladrones valdè libidinoſi.*

Hollandi quidē ad angulum, qui medium ortum ac meridiem ſpectabat, diuerſuri erant. Sed cum anchoris idoneum fundum nullum reperirent: quacunq; anchorarum ope poterāt, in ſtatione ſua ſe firmare cogebantur, tam diu, dum annonæ ac fructuum ſatis ab Indis comparaſſent, licet haud multum eſſet, quod hi aduehèrent, cum eorum nonnulli vltra Coques vnum aut alterum minimè afferrent. oryza ſiquidem ſpicis nondum excuſſa erat.

Circa veſperam Canoæ omnes vnà ad terrā redierunt. Hollandi autem ſuis nauibus nunc ſurſum nunc deorſum procurrentes, poſtero die inhiabant, vt fructuum maiorem copiam redimerent. Hoc tempore ventus Eurus ac argeſtes ſpirabat.

Die 17. cum naues à terra dimidij milliaris interuallo diſtarent, ab exorto die inſulæ indigenæ ſuis Canois denuò appulerunt, Coques ac fructus alios, quales priore die quoque attulerant, aduehentes, idque copia pertenui. Itaque cum intelligerent Hollandi, annonæ plus ibi minimè parari poſſe: ad Philippinas, quæ 250. circiter milliaribus ab hac inſula verſus occidentem diſtat, curſum impendere & dirigere decreuerunt.

Ladronum inſula hæc, aliàs Guana dicebatur, magna ac grandis, pro Hollandorum opinione ad 20. milliaria diffuſa. Iuxta hanc aliæ nullæ inſulæ comparuerunt, etſi commententur Hiſpani, hoc loco plures inſulas poſitas eſſe.

Quæ refectoria hîc acceperunt, magno ipſis commodo venerunt. Nam ſcorbuti malignitas iam plures grauius obſederat: ita, vt ſine his fructibus durare diutius non potuiſſent. Quibus guſtatis, tamen, non leuiter reficiebantur ac recreabantur.

Ad Philippinas pergunt. Sub meridiem 17. diei, ex hac inſula ſoluentes, vela in occaſum direxerunt meta ad Philippinas proxima.

Die 18. Generalis cum ſenatu bellico ſtatuit, ad Cabo ſpiritus Sancti curſum intendere. Cabo iſte ſub 13. gradu in freti Manille parte Orientali intra Philippinas ſitus eſt: à quo poſteà per fretū tranſmittētes, ad inſulam Capul, 25. circiter milliaribus intra Cabo ſitam, peruaſuri erant, ac ibidem tam diu anchoris incubituri, dum pertexendi curſus ſe commoditas offerret.

Die 20. Zephyrus cum cæcia, cum gelu intenſo incubuit: vt via nulla alia, quam intra ſolſtitium hybernum procedi poſſet. Circa meridiem altitudo 13. grad. erat: vbi aduerſis ventis ac copioſis pluuiis certatim impetebantur: quæ tempeſtas non remiſit prius, quam Philippinas attingerent. Sex integris ſeptimanis meram pluuialem aquam potarunt, vt alterius compendium facerent. *Sex ſeptimanis pluuias potant.*

OCTOBER. Die 14. Octobr. circa auroræ horam ſextam, terram quandam conſpicati ſunt admodum editam, à ſe verſus occidentem & ſeptentrionem ſitam. A qua cum 10. ferè milliaribus abeſſent, putabant eam Cabo ſpiritus Sancti, ſub 13. gradu iacentis eſſe, quod prægreſſa die Gubernatores altitudinem 13. graduū, minut. 7. dinumeraſſent. Itaque cum curſum ſuum ad terram illam dirigerent, fauces ſeu introitum quendam in latere auſtrali depræhenderunt, quem primo aſpectu fretum Manille eſſe autumarant. Huc ergo actis nauibus permeabant. Circa meridiem ſtationem quandam borealem, iuxta introitum attingentes, ibi poſt ſcopulos 12. paſſuum anchoras iactarunt. Quæ certè ſtatio commoda & tuta, introitus iſtius loci erat, 3. circiter milliarium latitudinem habens, ſeſeque tam longè extendens, vt fines eius oculis aſſequi non poſſent. Quibus ex notis iam nihil dubitabant, quin hoc ferè fretum illud eſſet. Sed euentus longè aliud exhibuit.

Sub aurorā diei 11. à prædicto angulo, qui inſula erat, ſoluerunt, vt fretum permittendum adirent. Cumque intra ſeptentrionem occaſumque impuliſſent aliquouſq;, in auſtrali latere anchoras iactarunt. Ex ſeptentrionali quidem latere promontorium acutum eminebat: ſed verſus meridiem mera continens proſpiciebatur. Eo ergo loco dum moras facerent, ſcapha expoſita per flumen amœnum in latere auſtrali terram adierunt, vtrinq; arboribus conſitiſſimam. Ibi Indos aliquot in tuguriolis agentes deprehenderunt, admodum egenos; quos linteolis aliquot & cultris (quæ ipſi non magni faciebant) donantes, ad Generalem cum paucis fructibus reuerſi ſunt. *Terram peregrinam ingrediuntur.*

Die 16. manè grandis Canoa ſiue Balſy, cum Canois nonnullis minoribus, appulit. In maiore Canoa Hiſpanus erat, qui ſclopo eliſo ter ſignum dabat, cui toties Hollandi reſponderunt. Qui, cum in naue viſis tot hominibus, propius accedere trepidaret: Hollandi vexillum Hiſpanicum volitare fecerunt. Generalis autem quendam

dam

dam è ſociis, monachali habitu indutum produxit, qui Hiſpanum ad nauem allectaret. Quo viſo ſecurior Hiſpanus nauem aſcendit. Quem cum Generalis humaniter ſalutaſſet, ſignificauit, ſe Gallos eſſe, Regiæ maieſtatis commiſſarios, quibus in Manille nauigandi propoſitum ſtaret. Cæterum propter nauigationis diuturnitatem annonæ ac commeatus quam maximè indigentes eſſe. Cumq; Pilottum ſuum pridem perdidiſſent, vbi terrarum iam verſarentur, ſe neſcire. Quibus auditis Hiſpanus eos de omnibus ſigillatim expediuit, dicẽs, hunc, in quo iam verſarentur, ſinum magnum eſſe, & Bay la Baye vocari, ac à freto Manille 7. aut 8. milliaribus verſus aquilonem abeſſe. Terram autem vicinam hanc, oryzæ ac ciborum aliorum feraciſſimam eſſe. His dictis, comitibus Indis etiam illicò mandauit, vt oryzam, gallinaſq; ac porcos ocyus afferrent. Quod ipſi nulla mora ſtatim confectum dederunt, ita vt Hollandi rerum omnium apparatum haberent, præſenti tamen pecunia redemptum. *Dolo Hiſpanũ in naues pertrahunt.*

Die 27. alius iterum Hiſpanus cum obtecta ac velata Balſy ad nauem venit. Is bipenni inſtructus, eius loci prętorem agebat, Franciſco Rodrigo vocatus. Alteri priori nomen erat Henrico Nunes. Per illum fructus quoq; nonnulli, ac oryza, gallinæq; ac porci ad nauem allati ſunt, quos adnumerata pecunia Generalis omnes redemit, pro quolibet porco dimidiũ Regalem octonorum reponens. Nã porci huius loci non admodum magni ſunt. Par gallinarum, Regali vno: oryzæ menſura, 60. libris conſtans, 6. Regalibus ſeu 30. ſtiberis argẽteis (nam argento ibi nihil acceptius eſt) vendebatur.

Huius loci indigenæ magna parte nudi incedũt. Nõnulli tamẽ eorum linteam veſtem corpori inijciunt. Multi ibidem Indi quoq; reperiebantur, Hiſpani facti: qui caligis ac tunicis vtebantur. Hi enim Indorum præcipui, olim genus ſuum à Gubernatoribus ac præfectis Indiarum acceperunt. Horum cutis miris ac iucundis puncturis inciſa eſt: quæ maculæ ſeu ſchemata ſemel cuti inſerta, nunquã delẽtur aut obliterantur. Nam ſcalpellis in cutem profundius demittuntur. Hi ipſi hoc nunc tẽpore inter vulgares & plebeios poſt Hiſpanorum aduentum numerantur. Hiſpani enim imperio nutuq; ſuo nunc paſſim vniuerſa moderãtur, Indoſq; ſibi omnes vectigales fecerunt, ita, vt pro qualibet perſona, quæ annum vigeſimum ſuperauit, decẽ Regales ſimplices pendẽdi ſint. Hiſpanorum illic numerus nõ magnus eſt. Et hi pauci nihilominus ſimplices iſtos facili negotio coërcere norunt. Sacerdotẽ ſecum vnicum habent, eumq; magnæ autoritatis ac æſtimationis. Soluſq; ſacrificorum defectus in cauſa eſt, quod finitimas omnes illas regiones Hiſpani nondũ occuparunt. Quanquã etiam plurima loca, vbi nec politici nec clerici Hiſpani habitant, Hiſpanis nihilominus tributaria ſint. Quorum locorum vniuerſorum Manille metropolis eſt, in qua Gubernator vices Regias obit. *Indi Hiſpani facti.* *Quæ tributa Indi Hiſpanis pendent.*

A meridie Generalis quendam Iacob Lock, tormentis præfe-

ctum, ac linguæ Hiſpanicæ gnariſſimum, cum Hiſpano Henrico Nunes in terram emiſit. Hunc verò, quod ad naues fructus varios ac commeatum neceſſarium vberrimum aduehi curaſſet, honorariis ac donis amplis affecerat. Hiſpano huic nihil aliud perſuaſum erat, quam naues has cõmiſſu regio Hiſpanico inſtructas eſſe, quod ante has aliæ nullæ hoc loco appuliſſent.

Die 18. circa horam nonam, alia maior Canoa velata ad naues acceſſit. Hac Capitaneus loci cum clerico ſeu ſacrifico aduehebatur. Qui cum percontarentur, an ad naues tutus ſibi acceſſus daretur: annuente Generali Capitaneus ſolus nauem aſcendit, ſacrifico in Canoa relicto. Itaque poſtquam Capitaneus in conclaue Generalis introiuiſſet, de commeatu Regio exhibendo apud Generalem inſtitit, dicens, expreſſo Regis Catholici interdicto cautum eſſe, ne cum vlla natione extera commercia haberent, aut vllis annonam reſque alias aduehèrent. Generalis itaque, poſtquam Capitaneo commeatum Principis Hollandiæ ſiue Belgij exhibuiſſet: eo lecto, Hiſpanus non leuiter admiratus eſt, qui primò perſuaſum habuerat, naues eas, ex nouæ Hiſpaniæ ciuitate Acapulco appuliſſe. Iam ergo, in quorum manus incidiſſet, liquido videbat. His ita ſeſe habentibus, Generalis quendam Hiſpanum cum literis emiſit, qui Iacobum Lock citra læſionem ad naues reduceret, minatus, ni id fiat, ſe eius loco Capitaneum retenturum eſſe. Is Roduguario Chiron vocabatur. Qui cum tantiſper in naue retineretur, ipſemet ſub veſperam ſcriptas literas emiſit, vt feſtinò ac impune Hollandus è terra ad naues reueheretur.

Hollandi de commeatu regio cõpellantur.

Die 19. Canoa magna ante meridiem ad naues adpulit, qua prior ſacrificus iterum aduehebatur. Is literis ad Generalem datis petiit, vt autogropham ſuam, ordinario ſigillo munitam mitteret, ſponderetque, quod dimiſſo & reſtituto Hollando, Hiſpanicum Capitaneum liberum emiſſurus ſit. Quo ita vtrinque conſtituto, ac Hollando recepto, Generalis Capitaneum quoque donariis prius ac hilari conuiuio affectum cum pace dimiſit.

Quo medio Hollandus ab Hiſpanis recuperatus ſit.

Ab hoc porrò tempore, nec fructuum nec annonæ quicquam ad naues ab Indis conuectum eſt. Itaque, vt hinc ſe emouerent, ac fretum Manille adirent, paulatim rurſus adornari cæperunt. Nam hanc in rem ſecum Indum quendam reſeruarant, cui omnis illius regionis conditio vſque ad Capul inſulam cognitiſſima erat.

Attractis ergò anchoris, ex ſinus parte ſeptentrionali egreſſi, eaſdem propter ſubitò incumbentem aduerſum ventum iterum breui mittere compulſi ſunt.

Ad Manille pergunt.

Die 20. exorta luce Canoa iterum quædam ad naues contendit. Qua qui aduehebantur, cum de ſaluo conductu percontati eſſent: prætoriæ naui propius ſucceſſerunt. Hi duo milites Hiſpani erant, literas à Capitaneo ſuo, qui ſe in ora vicina ſpectandum dabat, perſe-

perferentes. Is literis præſentibus commemorabat, quod à ſummo prouinciarum illarum præfecto cum aliquammultis militibus miſſus eſſet, vt pacem ac ſalutem illorum locorum tutaretur. Poſtquam ergò intellexiſſet, naues binas in ſinum iſtum incurriſſe, nec tamen, qui ac quales eſſent, compertum haberet, ſiquidem rumor, Anglos quoſdam illic appulſuros eſſe, dictaſſet: ideo officij ſui ratione ſibi incumbere, vt, cuiates eſſent, certus exploraret, & hac de cauſa duos iſtos milites amandaret. Cæteroquin in aliis omnia humanitatis atque beneuolentiæ officia ſe aduenis addicere ac ſpondere. Generalis ad hæc reſpondit, de oblata amicitia ac beneuolentia ſe imprimis Capitaneo gratias meritas habere. Veniſſe verò hoc fine animoque ad has oras, vt cum indigenis, de quibuſdam neceſſariis paciſceretur, modo vlla cum ipſis amica, aperta, ac fida tractatio ſuſcipi poſſet. Cogitare etiam hinc porro cum nauibus ſuis in Manille pertẽdere. Hoc reſponſo accepto, Hiſpani milites, ad littoralem pagum Tabacco vocatum, vbi dictus ſacrificus habitabat, cum Canoa ſua redierunt. *Duo Hiſpani Generali literas offerunt.*

Poſtquam ergò iam Hollãdi, oryza, porcis, gallinis ac ſimilibus aliis probe inſtructi eſſent, & præterea Indos duos, in Capul ſingulariter notos, ſecum veherent: ſub primam illico diei horam anchoris emotis ſoluerunt, & curſum freto Manille intenderunt. Hoc ab modò deſerto ſinu 6. vel 7. milliaribus verſus auſtrum ſub grad. 14. ſitum erat: iuxta quod ipſum Capul quoque inſula iacebat. At cum toto die vẽtus ambiguus ac mutabilis perflaret, vltra tria milliaria proferri non potuerunt. Quin & ſub veſperam propter aduerſitatem venti iuxta vallum boreale 25. paſſibus anchoras iactare coacti ſunt, quo loco abdita quædam cautes (quam tamen haud ſero deprehenderant) periculum non leue ominabatur. Hic tractus habitatoribus omninò vacuus eſt, vniuerſus vaſtus ac ſterilis, ac perpetuis ſaxis ſcopuliſque horridus, intra quos nonnulli tamen riui decurrunt.

Cum iam iam nox ingrueret, Cauro derepente idoneo ſpirãte, hunc ſinũ expedite egredi anniſi quidem ſunt: ſed quod in ipſo momento ventus mutaretur, ea nocte nihil profectum eſt.

Die 21. cum tempeſtas dubia pertenderet, quãtum quidem poterant, curſum proferebant. Interim liburnica Concordia cum Barquen Hiſpanicam proſpectaſſet, ac ſcaphis ad eam cominus protendiſſet: eam hominibus planè inanem reperit. Nam qui in ea Hiſpani fuerant, fuga ſe eripientes, nauem anchoris incumbentem deſtituerunt. Hæc trium aut quatuor onerum capax erat. Ingreſſi ergò modios circiter 25. oryzæ, & 70. gallinas in ea inuenerunt. Interea ventus tam rapidus ac tumultuoſus derepente conſurrexit, vt parum abeſſet, quin ſæuitia eius & vela & mali omnes deiicerentur. Nam nec expeditiſſima induſtria vela colligere propter repentinũ tempeſtatis inſultum licebat. Turbo iſte ex medio ortu auſtroque tanta concitatione & præcipitantia incubuerat, vt rapidiorẽ ac violentiorem *Barquen Hiſpanicam inuadunt.*

toto eo itinere antea nullum ſenſerint. Coacti ergò verſus vallum ſeptentrionale declinauerunt, vt portu idoneo inuento ſeſe quodammodo tueri póſſent. Nam in auſtrali latere fundus anchoris idoneus nullus erat. Ibi dimidij milliaris interuallo à terra anchoris factis, cum paulo poſt venti vis nonnihil remiſiſſet, Capitaneus Bieſman cum nuper occupata ſcapha ſeu Barque ad Generalem contendit. Is ergò bonis repertis extractis, Barquē ſecuribus concidi fecit: quam Indicus Pilottus fuiſſe cuiuſdam Hiſpani dicebat, qui præter oryzam ac gallinas, aſſeres quoque, in tranſitu imponendos, in Manillen inuecturus erat. Eo loco propter aduerſi venti reniſum iſta nocte anchoris obhærendum fuit.

Ex La Baye ſinu eluctari non queunt.

Die 22. cauro ſpirante, obliquatis velis è ſinu illo eluctari tentarunt. Nam totius diei malacia mira erat. Circa veſperam mare iterum omne infremuit (etſi ſerenitas aëris magna eſſet) vt longius progredi minimè poſſent. Huius vi in vallum auſtrale agebantur, ex quo longa eminentia duobus milliaribus in oceanum porrigitur, in quam fluctus concitatiſſimè ac æſtuoſiſſimè illidebantur. Huc naues quoque tanta violentia impellebantur, vt interitus periculum iam proximum eſſet.

Valdè periclitantur.

Nam nec ad anchoras figendas fundus dabatur, & ventis contrariis eniti impoſſibile erat. Hoc ſtatu, cum iam ſeruandæ vitæ ſpes tenuis effulgeret: ſingulari Dei prouidentia accidit, vt cum repentè oborto Euro nonnihil nauem deflecterent, & naufragium inſtans euitarent. Sed eo diu gaudio frui non licebat. Nam crebris altiſque ſubinde inundantibus fluctibus (ventis etiam iam pacatis) in vallum nihilominus tam violenter ſubinde coniiciebantur, vt citra euidens detrimentum inde elabi poſſe ſe non viderent. Nam fundus merè ſaxoſus, anchoris haud quaquam commodus erat. Interim dei immiſſione ventus caurus magno omnium gaudio ſpirare cæpit, cuius impulſu à vallo ſe extricantes, in ſinus medium conceſſerunt. Sub noctem adeò mare tranquillum fuit, vt prorſum vorſum obliquis velis per ſinum agitarentur.

Die 23. mane ad vallum boreale duorum circiter milliarium interuallo ab angulo extremo, & poſteà ad ſinus angulum aquilonarem eum in locum, in quem primo incurriſſent, coniecti ſunt. Hinc Generalis cum nonnullis militibus hauriendæ aquæ gratia in terram, deſolatam quidem, ac ſaxis arboribuſq; ſterilibus magna parte horridam, egreſſus eſt. Quamprimū exſcendiſſent, ipſorū nonnulli Palmites ibi repertos eſitarunt, ac è riuis aquā potarūt. A quo factum eſt, vt lienteria pleriq; corriperētur. Quanquā ſatis compertum non eſſet, vtrum hoc affectu tentarentur ab eſitatis fructibus, an potius, quod iam diu nullam terram tenuiſſent.

Lienterici fiunt.

Die 24. mane ſub exortum ſolis caurus iterum ſpirauit. Reſumptis itaque anchoris, ſtatione illa, quæ milliaris quadrante circa ſinus

La Baye

La Baye angulum borealem ſub 14. grad. ſita erat, enauigarunt. Et cum ad æſtiuum ſolſtitium ingrederentur, angulum auſtralem ambire conati ſunt. Quo circumuecto, curſum verſus auſtrum ad freti Manille introitum 6.circiter milliaribus direxerunt. Circa meridiem fretum Manille ingreſſi, in medio eius inſulam viſam præternauigarunt, ac circa veſperam, Capul inſulam, in penito freto 7.milliarib. ſitam, attigerunt. Quam tamē, priuſquam proximè ſubiiſſent, multos diſcretos vortices in mari obnotarunt. Quos cum primo aſpectu breuia eſſe putaſſent, fundum tamen deprehendere nullum potuerunt. Sub noctem anchoras in inſulæ latere occiduo non longè à terra 25.paſſibus demiſerunt, iuxta angulum quendam ſinu arenoſo inſignem, cui pagus vicinus erat. *FretumManille obtinent.*

Die 25. Paganos omnes ex ſedibus ſuis profugiſſe, & in interiora terræ conceſſiſſe depræhēſum eſt. Nam cum Pilottus Indicus, vt quidam prodirent, è longis inclamaſſet: qui reſponderet, ne quiſquam comparuit. Sed quod vndæ impetus eo loco admodum violentus eſſet, emotis anchoris inde in ſinum alium, à priore dimidio milliari diſtantem, proceſſum eſt. (Nam in omni inſulæ ambitu fundus anchoris idoneus erat; ac inſula 5.circiter milliarium amplitudinem habebat) vt tormenta in nauem ſuperiorem ſimul efferrentur, & naues quadamtenus ſordibus emundarentur. *Tormenta diſponunt, & naues adornant.*

Die 27. cum indigenarum neminem quenquam prodire Generalis videret: quoſdam ſuorum expoſuit, ac tormentis in domos aduerſas fulminauit, vt hoc terrore iniecto, ipſos prodire faceret. Bombardarum ergò hoc fragore audito, Chinenſis è Pago alio quidam accurrit; quem ex inſidiis emiſſitij Hollandi captum, ad Generalem deduxerunt. Is etſi à nullo quidem, quid loqueretur, intelligi poſſet: nutibus tamē ſignificabat, ſe poſtero die cum certa fructuum quantitate ad naues rediturum. Cui ob id Generalis quid doni impertiuit innuitq;, præſenti pecunia, quæcunque adueherentur, æquè omnia ſolutum iri.

Chinenſe ad terram reuerſo, Hollandi, qui inſidiarij in inſulam abiuerant, ad naues redierunt, deſiderato Ioan Calevvey Londinēſe, muſico excellentiſſimo. Hunc opinabantur ab Indis oppreſſum eſſe, quod à ſociis aliquanto longius ſe protuliſſet. Indi ſiquidem Pilottum quoque qui fructuum nonnullorum aduehendorum gratia emiſsus erat, ſecum retinuerunt. *Muſicum amittunt.*

Die 28. Indicus Pilottus alter quoque, quem ſolum iam adhuc ſecum habebant, per nocturnas tenebras in terram enatauit, & fuga Hollandos eluſit, etſi ab his non ſaltem humaniter habitus ſemper, ſed & laute ſubinde tractatus fuiſſet. Huic nomen Franciſco du Telo erat, quod à Gubernatore Manille, ſuſceptore ſuo, acceperat. Indos enim vt Hiſpani ad religionem Papiſticam commodius illicerent, baptiſmo initiandis primatum nomina impoſuerunt, & eoſdem, *Pilottus aufugit.*

pro

pro forma (quod aiunt) nonnunquam ad officia euexerunt.

Vicos aliquot ſuccendunt. Cognita de Ian Calevvey re, Generalis ipſemet viris 32. ſtipatus, in inſulam egreſſus eſt. Cumq; vidiſset, indigenas vniuerſos, cum omni ſua re & ſupellectile longè aufugiſse: vicos aliquot ſubdita flamma exuſſit & concremauit. Ædes hæ ſimplici rudiq; ſtructura ex ſtoreis ac ſtramine conditæ, viri erecti altitudine ſupra terram eleuatæ erant: circa quas Coquos arbores plurimæ diſpoſitę erant, quibus indigenæ magna ex parte victitabant. Ibidem Hollandi porcos etiam aliquot ferierunt, quos ſecum ad naues aduexerunt.

Generalis autem deliberata cum Gubernatoribus re, ſtatuit, vt in Manillen pergeretur. Monuit ergò, vt prouidi omnes eſsent, diligenterque ſecum expenderent, an commodum conſultumq; eſset, in portum diuertere. Iuſſit etiam quoſlibet inſtructos ac paratos in omnem euentum eſse, vt poſcente re mutuas operas tradere, ſibiq; inuicem auxiliares manus præbere poſsent.

Negro vnus aufugit. Die 30. Negro ſiue Æthiops alter, Emanuel, qui in Capitanei Bieſman naui erat, noctu per tenebras fuga erupit. Nam in ſcapham ſeſe demittens, ea in terram erupit, omnis fidei promiſſique immemor, quibus vltro ac lubenter ſeſe cum Hollandis māſurum eſſe, ſpoponderat. Generalis itaque Negro alterum, qui in prætoria naui agebat, Baſtian vocatus, examini ac quæſtioni ſubdidit. Qui faſſus *Negro alter glande traiicitur.* eſt, ſe non ſolum conſilij huius conſcium fuiſſe, ſed ipſummet quoq; fugam maturrimam meditatum eſſe, cum conuerſationis huius tædium iam dum cæpiſſet non leue. Turpi ergò hac ingratitudine Negro ſeu Æthiopum, qui tamen liberrimam eundi & redeundi agendiq; quo & quid vellent, poteſtatem habuiſſent, penſitata, Generalis proditorem confeſſum glande traiici curauit, vt perfidiæ meritam pœnam reciperet. Is vel ante extremum hoc ſupplicium conſtanter adhuc affirmauit, quæ de immenſa illa auri vi, quam Franciſco di Buarra è Bon Ieſu in mare exturbarat, anteà dicta & aſſerta fuerant.

Die 31. quærendi cibi animo populi pars denuò in terram profecta eſt. *Oryzam inueniunt.* Hi loco quodam 31. modios oryzæ reconditos inuenerunt quidem, ſed homines (qui in dumetis ac ſyluis longius latebant) *Vicos 4. exurunt.* nullos offenderunt. Ea re commoti, quatuor vicos alios, quorū quilibet 50. aut 60. caſis conſtabat, igne cremauerunt.

NOVEMB. Cal. Nouembr. vento vulturno ſpirante, è Capul inſula ſoluentes in Manille pertenderunt. In eius latere occidentali plurimæ paſſim inſulæ conſpicuæ ſunt, quibus, niſi attendatur, naues ita intricari poſſunt, vt reditus perſæpe non facilis ſit, iis comprimis, qui loci eius nullam peritiam habent. Intra caurum ergò ac ſeptentrionem eo latere perrexerunt, quo Manille, à Capul inſula 80. milliaribus diſtans, ſita eſt. Hinc autem vbi vix breui itinere perrexiſſent, ventorum ſumma quidem quies incubuit, ſed fluctus ita pręcipites inundabāt, vt naues intra medias inſulas quoquouerſum diſiicerētur. Attamen

res

res periculo vacabat, quod & vnda profundiſſima, & locus breuiis nullis impeditus eſſet.

Die 2. ſub auroram cæcia ſpirante, à Capuliam 4. ferè milliaribus aberant. Inſularum earum aliæ ab aliis tribus circiter milliaribus diſtabant. Ibi iuga quoque ſeu faſtigia illa, quæ in La Baye prouiderant, vnde ad hæc terreſtri itinere admodum compendioſo commeari potuiſſet, attigerunt. Poſteà hauriendæ aquæ gratia in auſtrali latere anchoras fixerunt, vbi terra inculta ac inhabitata iacebat.

Die 3. languidum Africum ſpirantem nacti, leuatis anchoris, intra occaſum ac ſeptentrionem immiſerunt, 5. circiter milliaria progreſſi, cùm in boreali latere grad. 23. anchoras iactare cogerentur.

Die 4. pergẽtes, cauro curſum ſuum meta obuia intra occaſum boreamque impulerunt. Nam cum Pilottum viæ peritum nullũ haberent, ad mappas confugere coacti ſunt, quæ tamẽ multis locis incertæ erant. Interim cum ſcaphæ, à Generali prætentandæ viæ gratia præmiſſæ, è longinquo Canoa quædam offerretur, ad eam propius remos direxerunt. Sed qui hac vehebantur, continuo in terram ſeſe effundentes concitatiſſimo curſu profugerũt, ac in dumetis ſeſe occultarũt. Cumq; in colloquiũ neminẽ allicere poſſent, Canoã ad naues ſecum abduxerũt, in ea præter oryzæ ac ciborũ aliorũ modicum nihil inuenientes. Quib. exemptis Canoam ſubmerſerunt. Poſthæc cæcia vrgentiorę incumbentę, naues anchoris firmare compulſi ſunt.

Die 5. ſub aurora iterum Canoam quandam verſus occidẽtem, in inſulam quandam ſubiectam currentem conſpicati ſunt. Aduerſus huius actores, cum Generalis ſcapha quoſdam emiſiſſet: compræhenſos illos ad naues adduxerunt. In hac Canoa 9. Indi inerant, ex Manille nuper digreſſi, quos Hollandorum nemo intelligere poterat. Canoam hanc Generalis expilari iuſsit. Sed cum in ea præter ciſtulas aliquot, linteis refertas (quę in Manille emerant) ac viles quaſdam veſtes Indicas nihil reperirent, conſilio mutato Indos, intactis rebus, à ſe liberos dimiſit, duobus eorum tamen ſecum ſeruatis, qui viam rectam in Manillen oſtenderent. Apud hos literas Gubernatoris, ſigillo regio munitas, ac ſacrifico, in Bouillan habitanti inſcriptas repererũt. Earum is tenor erat, querelas ſcilicet aliquas ad Regiam ipſius Maieſtatem delatas eſſe de quibuſdam Hiſpanis, qui iugo & iniuriis nimis iniquis miſeros Indos grauarent. Iubebatur itaq; ſacrificus, vt deinceps in iſta diligẽter attenderet, & reos accuſationis, ſumptibus regiis è veſtigio vinctos in Manillen amãdaret, cuius officij plenam ac confirmatam poteſtatem hiſce ſibi traditam ſciret.

Nouem Indos vna Canoa præhendunt.

Hiſpanorum rex Indorum cauſam tuetur.

Die 6. cum in ſtatione ſua propter aduerſos ventos adhuc verſarentur, ſub diei exortum excuſsi ſclopeti fragorem obaudiuerunt. Itaque ſtatim duæ ſcaphæ cum 20. militibus ſeu Muſquetariis ad locum

illum, vbi crepitus ſclopeti auditus eſt, emiſſæ ſunt. Hi remis eouſq; ſe promouerunt, dum tandē Barquen Hiſpanicā offenderent. Cuius vectores, quā primum appulſum ſcapharū viderunt, in terrā egreſſi, ſyluis ſeſe immiſerunt, ac Barquen deſeruerunt. In hos quoties Hollandi fulminabant, toties illi eodem ſigno reſpondebant. Nam in illa naue 4. Hiſpani cum aliquammultis Indis vecti erant. Tandem tamen Hiſpanus quidam prodiit, cum Hollandis ſermones cæſurus. Hunc cum blandis verbis Hollandi diu rogitaſſent, vt citra omnem metum ſecum is ad naues commearet: perſuaſione victus, id fecit. Hic de rerum ſtatu rogatus, retulit, ſe cum tribus Hiſpanis è Manille nunc venire, & ad Saubon properare. Hoc enim in loco Hiſpanorum plurimos congregari, qui expeditionem in Moluccanas inſulas facturi ſint. Harum enim incolas, certa manu lecta nonnullas inſulas vicinas inuaſiſſe, eaſdem diripuiſſe ac expilaſſe, ac ſacrificum loci Hiſpanum obtruncaſſe. Ad hanc ergò iniuriam vindicandā in Manille copias cogi & inſtrui, aduerſus Moluccanos dimicaturas. Hi Hiſpani Canoa ſua dolium puluere pyrio ſemiplenum, cum multis pilis miſſilibus, ac Muſquetta ſolitis longe maiore vexerant. Præter hæc nihil ſingulare inerat, ſi excipias fragmenta quędam ferri, & veſtes eorum, qui profugerant, & parum cōmeatus. Quibus omnibus à Generali exemptis, multis foraminibus nauem pertundi iuſſit, vt ad nullos vſus deinceps faceret. Hi iam die 10. à Manille aberant.

Hiſpanus in nauem adducitur.

Contra Moluccanos expeditio fit.

Die 7. mane circa horam nonam, nauem quandā verſus ſtationis faciem Orientalem conſpicati, emiſſis ſcaphis duab. ad eam propius illicò appulerunt. Hanc correptam, ad Generalem egerunt. In ea 7. Chinenſes, 215. modios oryzæ, & certam plumbi quantitatem, ac magnam concharum copiam, in Manillam inuecturi erāt, ex Conbou, à Manille 120. milliarium interuallo diſtante, quo iuſſu Gubernatoris 40. ſtipendiarios milites Hiſpanos ad prænominatam expeditionem traiecerant, aduentātes. Hæc nauis quinq; vel ſex onerum erat, ad ſpeciem Chinenſium effictа nauium, prora camini forma, ſuſpenſis ligneis anchoris eminebat, quarum funes ex ſparto ſeu arundinibus cōſtabant. Interius, proluuies ſeu emiſſarium, cum foro concinnè, ac artatè conſtructum erat. In nauibus munditiei ſummè ſtudent: nec niſi ligneis anchoris vtuntur ad naues etiam 200. onerum capaces. Dominus huius nauis Chinenſis ex Conton: Pilottus verò cum cæteris nautis ex Chincheo oriundi erant. Quæ duę regiones etſi inter ſeſe certis ritib. diſtinguantur: nihilominus tamē communi lingua vtuntur, & diſſidiis plerunq; grauiſſimis diſcordāt. Regionis huius peritiſſimi erant, cōprimis autem Pilottus, qui inter Luſitanos in Malacca & Macca tēpore longo egit: ex quorum conuerſatione Luſitanorū quoq; linguam addidicerat. Itaq; Hollandorū votis is admodū opportunus accedebat: cū ſine mōſtratore eo curſum ſuū cōficere ægrè potuiſſent. Generalis ergò dominū nauiculæ cum

Chinenſem nauem nanciſcuntur.

Pilotto

Pilotto ſua in naue ſecum retinuit, & Chinenſib. cæteris 10. vel 12. viros addidit de ſuis, quorum moderator erat Iacob Theuniſs. In iſta Chanpan ſeu naui Chinenſi, quinq; Chinenſes relinquebantur, qui eam ſuo modo proferrent & gubernarent. Nã Hollandi ipſa vti minimè norant. Ex huius nauis opulentia Hollandi 50. modios oryzæ ſibi vendicantes, cætera omnia intacta relinquebant.

Die 8. in Cabo prædicto morati ſunt. Ibi Generalis nauclerum ac Pilottũ Chinenſem præſente ſenatu bellico de omni Manille conditione ac ſtatu rogauit. Qui reſponderunt, ex noua Hiſpania ibi duas grandes naues ſubſiſtere, quæ in Mexico quotannis vela facere ſolerent. Eodem in portu nauem quoq; Teutonicam agere, à Malaccanis pretio redemptam. Et has omnes naues in portu Cubite dicto, recta ante Manillam conſpicuo, duorum milliariũ ſpatio, anchoris incumbere: ac ante portum hunc duo caſtella ſeu Propugnacula, pro defendendis dictis nauib. iam inanibus, inſtructa eſſe. Cæterũ, quod ciuitatem Manille attineret, eam dicebãt, hoc tempore aggere firmo ac ſaxoſo vndiquaq; cinctã eſſe, & extra hanc plures 15000. Chinenſibus habitare, qui opificiis ac cõmerciis variis vacent. Ad hanc præterea quotannis vltra 400. naues ex China, nimirum ex ciuitate ac regione Chincheo cum ſerico ac mercib. pretioſis aliis cõmeare, ac illis permutatis, argentũ pro mercib. auehere: naueſq; has certo anni tẽpore, nempe à Decemb. mẽſe vſq; ad paſchatos feſtũ, appellere ſolere. Tum addebant hoc etiam, præter dictas naues, duas alias quoque ex Iapan propediem appulſuras eſſe, quæ ferramenta, ac metalla alia, cum lardo ac cibis ſimilibus adueherent.

Hollandi omnem Manilleſtatũ ac rationem expiſcantur.

Manille ciuitas inſtructiſſima.

Hæc vniuerſa, poſtquam Generalis cum ſenatu accuratius penſitaſſet, optimum eſſe ſtatuit, ad ſinum vſque ante Manille poſitum curſum pertendere.

Pilottus ſiquidem recenſuerat, ibi paruam quandam inſulam Marabilles vocatã ac 15. circiter milliarib. à Manille diſſitam, anchoris fundãdis admodũ commodã eſſe, & ex hac ſtatione rerum omnium ſtatum diurnis excurſionib. ſubinde explorari poſſe. Eodem ergò illico die ex ſinu enauigarũt: in quo partim propter malaciam, partim propter aduerſos ventos diebus integris quinis obhæſerant, & inde Hiſpanicam hanc Barquen interim corripuerant.

Die 9. vento Euro perflante intra occaſum ac ſeptentrionem peruadentes Maſſabaten inſulam præternauigarunt, & ad Manille metam intenderunt. Circa meridiem cum fines Maſſabate attigiſſent, curſum ſuum propter venti cõmoditatem tota nocte intra occaſum ac ſeptentrionem incitauerunt.

Die 10. circa veſperam ſpatioſam inſulam Bankingle attigerunt. Cui dum ſuccederent, repente tanta ventorum tranquillitas incubuit, vt vicinam ſtationẽ occupare non poſſent. Tota ergò nocte naues propter vẽtos incõſtantes paſſim in æquore iactatæ fluctuarunt.

Die 11.exorto ſolo ſe à prædicta inſula integri milliaris meta abactos eſſe viderunt.Et cum malacia prior continuaret,hoc die ſtationem vicinam ægrè obtinere poterant. Nihilominus tamen veſpera appellente à prædicta inſula interuallo dimidij milliaris anchoras fecerunt,fundum bonum 18.paſſuum tenentes.

Die 12. Cum vtriſque ſcaphis hauriendæ aquæ inſtituto in terram egreſſi ſunt. Nam diſcretis illic locis aquæ copia magna parabilis erat.Quam vt tutius inuaſare poſſent, armis inſtructos præſidiarios quoſdam diſpoſuerunt,qui Indos,fors è ſylua ex inſidiis erupturos arcerent &profligarent.Confecta re,ſub veſperam pluuioſam ad naues reuerſi ſunt.

Liburnica perdit anchoram. Die 13.ex auſtro ortuque procellis tam ſæuis irruentibus verberati ſunt,vt Liburnica, Concordia dicta anchoræ ſuæ iacturam faceret,& hac ſpoliata iam mero ventorum arbitrio agitaretur. Pari ratione funis quoque prætoriæ nauis diruptus eſt : quam tamen alia anchora iactata prompte refixerunt. Circa meridiem,cum aër ſerenior & trãquillior eſſet, prætoriæ anchorâ recuperatâ, curſum paulò longius ea promouit, & iuxta Liburnicam ſub prædicta inſula conſedit. Quæ,quod perditam anchorã recipere non poſſet, aliam à Generali accepit : qui tamen ipſemet præter duas, & totidem funes, ſuperſtites non haberet.

Die 15. cùm infra prædictam inſulam anchoris incumberent, tantum aquæ hauſerunt, quanto ſibi opus fore cenſuerunt. Nam dolia pleraque impleuerant: cui negotio ea inſula cõmoditatis plurimum contulerat. Ventus tamen ambiguus,ac aër denſis imbribus horridus erat.

Duas Barquas capiunt. Eodem die duas Barquas gallinis ac porcis onuſtas prędati ſunt, quæ tributum ſuum , ex aliquot vicis , Hiſpanorum imperio ſubiectis collectum, in Manillam conuecturæ erant. In his 250. gallinæ, porci autem 50.capiebantur : pro quibus Generalis Indis lintei faſces aliquot,pretij loco impertiuit, cum ſcripto ad Gubernatorem dato, quo aduentum ſuum illi nunciabat. Hæc præda Hollandis admodum tempeſtiua ac opportuna venerat : cum illic loci alias Indi vniuerſi ad conſpectum eorum fugitarent, nec quicquam alicunde redimere poſſent.

Die 16.leuatis anchoris, ex Bankingle inſula,lata ac edita in ambitu 12.vel 15.milliaria complexa, ſoluerunt. Ea ab Indis, Hiſpano vectigalibus habitatur: in qua olim quoq; ſacrificus egerat, qui tamen tunc temporis abſens aliò emigrarat. Itaq; curſum ſuum intra occidentem ſeptentrionemq; verſus inſulam Mindore, à priore ſtatione 8.circiter milliaribus diſtante,direxerunt:in cuius aduerſo alia quoq; inſula Lon bou dicta, duorum milliarium interuallo abſita eſt,ita vt eo loco propter oppoſitas inſulas tranſitus anguſtus ſit, cum in harum medio alia adhuc minor inſula cubet, iuxta quam vtrinq; naui-

bus

bus tranſiri poteſt. Antequam vero penitus Bankinglen deſererent, iterum duas alias Canoas nacti ſunt, 30. porcis & 100. gallinis, in Manillam vehendis oneratas. Et cum hæc quoque ſibi omnia vendicarent, partem carnis ſuillæ ſale condiuerunt, vt diutius incorrupta perduret. Canoarum autem dominos, cum litteris ſuis ad Gubernatorem in Manillam dimiſerunt, quibus ſignificabāt, ſe rerum ſumma penuria coactos tributum ibi intercepiſſe. Circa veſperam mari tranquilliore, anguſtias ante Mindoren tranſmittere non potuerunt. *Duas alias naues intercipiunt.*

Die 21. cum incerto paſſu propter malaciam adhuc ferrentur intra Mindoren & Bankinglen, vbi quatriduo integro iactati peruadere nō poterant: coacti ad inſulam retrò commearunt. Ibi ergò Barquas aliquot ſiue Champans ex freto Manille egredi vidētes, 12. Muſquettarios ſcapha ad eos ſuſtinendos emiſerunt, vt ex ipſis ſtatum Manille percontari poſſent. Sed & ad ſcapham defendendam Capitaneus Bieſman ponè inſecutus eſt. Interim Muſquettarij incitato curſu ad nauem quandam auidi properarunt, vt eam priuſquam terram attingeret, corriperent. Sed hac velis pernicibus Hollandos anteuertente, quicunque in ea deueherentur, confertim exiliuerunt, & fuga quoquouerſum effuſi ſunt. Sic Hollandi nauem vacuam, ſtoreis cōſtratam occupantes in ea habitum ſacerdotalem, quem profugus ſacrificus reliquerat, inuenerunt. Hæc dum agerentur, à Manille Barqua alia appulit. Quam cum Generalis inſectaretur, Hiſpani cum ſuis Indis certatim ad terram remos agentes, fuga ſeſe proripuerunt: quos prætoria ſcapha deſtituta, ob id ſectari minimè potuit. *Chanpam vacuam poſſidēt.*

Media nocte, Iacob Thuniſs, Chanpan Chinenſis occupatæ præfectus, ad prætoriam contendens Generalem rogauit, an in latus auſtrale euagari debeat, vt Capitaneum Bieſman, cum ſcapha ſua adhuc abſentem, requireret. Huic Generalis per gubernatorem ſuum renunciauit, vt non egrederetur, ſed hac nocte prætoriæ vicinus expectaret. Quem ob id, cum propter denſas noctis tenebras accuratius non obſeruarent, pro accepto mandato munus ſuum executurum exiſtimauerunt. Cum verò illuxiſſet, rerum ſtatu diſpecto, nec Chanpan, nec præfectum eius vllibi locorum viderunt: vt iam certò ſuſpicarentur, à quinque illis Chinenſibus, qui vnà in naue illa erant, incautos ac parum vigiles, omnes cæſos ac obtruncatos eſſe.

Die 22. Celox ſiue Liburnica Concordia, quæ in huius Inſulæ ſinu quodam anchoris niſa fuerat, & propter incumbentem tempeſtatem grauiorem prætoriam è conſpectu amiſerat, manè ad Generalem pertendebat. Hæc in tranſitu nauiculam quandam ex Manille venientem conſpicata eſt. Ad quam priuſquam appellere poſſent, illa iam oræ admota, omnes aufugerunt. Hollandi tamen nauem ſiue Fregatten ad formam triremium induſtriè concinnatam inuadentes, animaduerterunt, eadem Hiſpanos nonnullos cum ſignifero ve- *Fregatten capiunt.*

ctos fuiſſe: cuius rei documentũ ex vexillo relicto Hiſpanico ac nonnullis veſtibus ſumpſerunt. Sed mercibus ac repertis rebus extractis, Fregatten funditus merſerunt. Hoc confecto ad Generalem, qui iam iam porrò vadendi in procinctu erat, redierunt. Et cum ventus admodum cõmodus eſſet, curſum ſuum intra occaſum ac ſeptentrionem per anguſtias Mindore inprimentes, metam ad Manillen, 30. inde milliaribus adhuc diſtantem legerunt.

Hoc tempore Iacob Thuniſs, cum Chanpan ac ſociis nedum redierat. Itaque de iſtis quid actum eſſet, admodum ſolliciti fuerunt. Et licet ſuſpicari facile liceret, Hollandos omnes à Chinenſibus obtruncatos eſſe: certa tamen veritatis documenta haurire ex nullo poterant. Cumque nauis illius Pilottum, qui in prætoriam tranſlatus erat, quid de re iſta ſentiret, interrogaſſent: ſe quidem dicebat de iſtis nihil certius compertum habere: nauem tamen ſuam cũ mercibus perditam haud leuiter doleo. Nomina, qui in Chanpan fuerunt, ſunt, Iacob Thuniſs Oſtervvick, gubernator: Corneliſs Dierckſs ex Vtrecht: Cent Adrianẽſs ex Vliſſinghen: Nicolaes Caſſier: Ian Ianſs Aep: & Pieter Ianſs tubicen.

Die 23. manè Argeſten adepti ſunt. Nam prægreſſa nocte ferè tota propter tranquillitatem ventorum, vela obliquare cogebantur. Itaq; curſum ſuum intra occidentem ac ſeptentrionem intendentes, circa meridiem Mindore anguſtias attigerunt, Mindoren quidem ipſam cum altera in medio poſita inſula à dextra, Lonbou verò inſulam à læua relinquentes. Intercurrens inter has inſulas latitudo, milliare vnum ſupplebat. Freto ſeu anguſtia tranſmiſſa, propiùs ad ſeptentrionem declinarunt, vt iugum ſuperius, à quo in continentem Manillæ tutus excurſus datur, occuparet. Nam illic ex vna parte terra firma, ex altera apertus Ocean⁹ patet. Eo ergò toto die ac nocte curſũ ſuum intra ſeptentrionem ac occaſum impulerunt, terram ipſam è conſpectu nunquam dimittentes.

Die 14. ſub exortum ſolis 10. circiter milliaribus à ſinu ante Manillen poſito aberant. Iugum eius verſus auſtrum ac ſeptentrionem ad angulum vſq; ſinus exporrigitur: quod circa meridiẽ euincentes, in vicino loco ingreſſum amplum, 5. milliaribus diffuſum deprehenderũt, quæ fauces erant ſinus Manillæ. In medio eius Mirabilles inſula ſita eſt: à qua ſi proſpectus feratur lõgius, orbica inſula alia apparet, formam pilei forinſecus exhibens. Cæterum hinc ad ingreſſus latus occidentale pronauigarunt, cum ad Mirabilles inſulam penetrare nõ poſſent, in ſinus parte occidentali anchoras firmantes, cum à Manille ciuitate 12. adhuc milliaribus abeſſent. Ibi terra admodum deſerta ac inculta quædam viſitur. Secundum quam Canoam quandam corripuerunt, ſex Hiſpanis ac aliquammultis Indis oneratam, ſed ex his de ſtatu Manille nihil expiſcari poterant, quod ſe Mirabilles inſulæ incolas eſſe prætenderent.

Die

Die 26. In prætoria naui omnis ſenatus bellicus conuenit, vt deliberatio ſuſciperetur, quonā modo rebus omnium optimè conſuli poſſet. Cumque de hac re Indus ſingulari examine audiretur: conſultiſſimum ac tutiſſimum eſſe decreuerunt, vt in littore ad 10. aut 14. vſque Februarium moræ fierent: ſiquidem à Pilottis Chinenſibus, qui tam loci iſtius quam Indiæ orientalis exquiſitam notitiam habebant, intellexerant, intra octiduum duas ex Iapan naues ferro ac farina oneratas in Manillam appulſuras eſſe: quas poſtea, menſe vel Ianuario vel Februario vel Martio, naues quoque Chinenſes inſecuturæ ſint, ſicut fuſius ſuperius commemoratum eſt. Has ergò in littore expectandi conſilium erat, vt periculum fieret, an cum his commercia iuſta & idonea agitari poſſent. Et hoc decretum, ſcripto exceptū, propria cuiuſlibet manu ſubſcriptum eſt.

Eo ergò in loco ſua quaſi caſtra egerunt, iam quidem prorſum, iam iterum vorſum nonnihil procedentes, & magna parte anchoris quieti incumbentes. Hoc enim anni tempore ſolus iſtic Eurus perflare ſueuit, nulla mutatione aut viciſſitudine variabilis. Circa fines iſtos ſinus ac anguli diuerſi ſunt, fundis idoneis omnes inſignes. Et à ſinu ante Manillam, terra ad occaſum ac ſeptentrionem excurrens, in angulum quendam ſub 15. gradu in lineæ parte boreali poſitum excurrit, 12. circiter à dicto ſinu milliaribus diſtans. Et hinc terra iterum ad Pageſmany: quæ continenti Manillæ cohæret, diducitur: quæ inſula Luſſon dicitur, ac ipſa Anglia Scotiaque iunctis maior eſt. In confinibus iſtis complures alię magnæ quoq; inſulę viſuntur, Hiſpanorū iuriſdictioni vniuerſę ſubditę, ac vectigales. Ea enim gens cū egena & paupercula ſit, atque nuda (quæ tamen propter Hiſpanorum conuerſationem tunicis lineis nunc vti cæpit) ab Hiſpanis cogi ac ſub iugum agi, facili opera potuit. Hæ quidem inſulæ ex ſe & ſoli fertilitate non admodum opulentæ ſunt: negotiationibus tamē incolæ crebris cum Chinenſibus operam dantes, frequenter admodum diteſcunt. Nam commerciorum tractandorum peritiſſimi ſunt. *Luſſon inſula maxima.*

Die 3. Decembr. cum Generalis fixis anchoris incumberet: Capitaneus autem Bieſman naue ſua prorſum vorſum peruaderet: magnæ cuiuſdam nauis, ex alto Oceano accurrentis veſtigium accepit. Hanc captam ad Generalem adduxit. Hæc vna iſtarum nauium erat, de quibus Pilottus antea indicium fecerat, ferramentis, farinaque ac pernis onerata, cuiuſmodi merces ex Iappon in Manillam vendendæ conuehuntur. Iſta nauis onerum 50. capax, 25. dies eo itinere obtriuerat, aliarum trium, quæ tempeſtatum vi diſiectæ ſunt, comes ac ſocia. *DECEMBER.* *Iapponicam nauē captant.*

Harum nauium mira ſtructura ac forma eſt. Parte anteriore latę ac camini ſpecie expāſæ ſunt. vela earū ex arundine aut alga contexta, voluulo attrahuntur: quas anchoris ligneis firmant. Funes harum ex ſtramine parati ſunt. His iter ſuum mira & incredibili celeritate confi- *Iapponicarū nauium deſcriptio.*

cere

Iapponum deſcriptio. cere poſſunt. Huius nauis Capitaneum, ex Iapponia oriundum, Generalis lautè accepit. Nomen eius erat Iamiſta Citiſſamundo. Veſtibus Iappones ac tunicis oblongis vtuntur, habitui Polonorum ferè ſimilibus. Capitanei (qui genere nobili erat) veſtes ex ſerico lucido, foliis ac floribus intertextis, mira arte ac induſtria veluti pictæ viſebantur. Capillis nouacula raſis Iappones ſe vniuerſi caluos reddunt, in ſolo occipite floccum vnum retinentes. Bellandi gens peritiſſima *Arma Iapponenſium.* & prudentiſſima eſt, corpore procero ac quadrato. In Iapponia quæ arma cuduntur, omnium totius Indiæ orientalis optima ac nobiliſſima ſunt, vt ſunt acinaces, ſclopi, arcus, tela, quorum Hollandi certa genera nacti ſunt. Acinaces acutiſſimi ac penetrantiſſimi sũt, ita vt in Iapponia dicantur inueniri homines, qui vno ictu tres viros detruncare valeant. Emptores bonitatis indicium à cæſo ſclauo ſumũt. Pretio magno veneunt, & ab omnibus magni fiunt.

Iapponia olim multos Reges nouerat, qui ſe mutuis ſubinde bellis conficiebant. Nunc vniuerſa vnius imperio ſubiecta eſt. Luſitanis quidem in Iapponia negotiationes ac commercia liberrima ſunt: ſed iuris ac poteſtatis, eorum, nihil quiſquam habet præter Ieſuitas, qui negotiationes illic omnium ampliſſimas agunt. Hi verò plerique omnes Luſitani ſunt: qui dum in Iapponia egerunt, maximam primatum ac plebis partẽ de religione Papiſtica informarunt, & eos variis ſomniis perſuaſos in ſuas partes adeò pertraxerunt, vt ab *Ieſuitarum commercia & veneratio.* his iam quaſi pro deunculis habeantur & colantur. Hi ipſi Ieſuitæ ſedulò etiam cauent, ne quiſquam alterius ordinis monachus in has terras recipiatur. Sic ſe rerum ac hominum omnium dominos conſtituentes, ibi commercia opulentiſſima ac frequentiſſima tractant. Horum perſuaſu aiunt ipſum quoque Iapponum regem eò perductum eſſe, vt acceptandę religionis ſpem omnibus mouerit. Illuc Luſitani quotannis magna naui mercibus onuſta proficiſcuntur. Ac olim quidem ingenti commodo quæſtuque illic commeatum eſt. Hodie verò vltra duplum lucrari non licet. Nam & ipſimet iam pleraque parare didicerunt: & ex Chincheo Chinenſes cum ſerico ac mercibus aliis abundantiſſimis illuc ſubinde commeant. Iapponibus enim in Chinam propter continuorum bellorum pericula tutus tranſitus non eſt. Tum & Rex nullam exteram nationem in regni ſui limites admittit.

Huius nauis Capitaneum Generalis de piſcium ac farinæ certa quantitate compellauit ac rogauit, pretium pro iis iuſtum offerens. Is ergò lubẽs vltrò 29. corbes farina, & 8. corbes piſcibus refertos cum *Annonam ex Iapponeſi naue accipiunt.* nonnullis pernis ei obtulit. Ab eodem Generalis etiam anchoram ligneã cum ſtramineo fune accepit: quo de die ad naues ſiſtendas is vtebatur, cũ ab anchoris malè inſtructus eſſet. Pro hiſce Generalis pretij loco Capitaneo faſciculos aliquot linei panni cum tribus ſclopetis repoſuit: qua ſolutione is facilè contentus erat. Idem à Generali com-

commeatum etiã ac vexillum petiit. Quæ in honorem ſui principis Hollandi haud facilè elargiti ſunt. Poſt hæc vtrinq; diſceſſione facta, Iappones porrò in Manillam contenderunt, Hollandis in littorum priore ſtatione continenter agentibus. Honorarij loco Generalis à Capitaneo etiam puerum octo annorum, patrio more veſtitum raſumq; accepit. Corporis colore hi fuſco ſunt, & lingua loquuntur nõ ineleganti: Characteribus in ſcribendo iiſdem cum Chinenſibus vtuntur. Vnde fit, vt etſi idiomate quidem ac linguis inter ſe differant adeò, vt ne quidem ſyllabam communem habeãt: literas tamen ſcriptas vtriq; legere, & ſua lingua explicare haud difficulter poſſint. *Iapponum & Chinenſium lingua diuerſa: ſcriptio eadem.*

Die 9. Caurum antiquum flantem adhuc ſenſerunt, iuxta vallum ſeſe anchora lignea nixi continentes. Quę tamẽ paulò poſt, cum ſoluta fuiſſet, vela ventis dare coacti ſunt. Interim Liburnica, quę ante biduum Cabo obiuerat, ad naues reuerſus vino onuſtã Barquen, ex qua Hiſpani profugerant, aduexit. Hoc guſtatum, vino ſublimato quadamtenus ſimile apparebat. Id ex Coques arboribus parare ſolẽt. Vino hoc ad vſus neceſſarios aſſumpto, Barque perterebrata demerſa eſt. Vix hanc nauem exonerarant: en, deſubitò aliam quoq; oryza ac gallinis onuſtam corripiunt: quibus ſe iam haud leuiter reficiebãt. Cæterum tempus prout conſtitutum erat, in littore morantes, ex China appulſuras naues præſtolati ſunt. Nam cum his, iſthâc neceſſario tranſituris, negotiationes certiſſimas meditabantur. *Nauem vino onuſtam corripiunt.*

Die 12. Argeſte admodum incitato inſonante, funis anchoræ ligneę diruptus eſt. Itaq; noua anchora prolata opus fuit. Poſteà Generali ac Capitaneo Bieſman conſultum viſum eſt, vt paulò penitius in fretum pergeretur: quod cõmodioris portus quęrendi temporis ſatis reſtaret. Sinum itaq; ante Manillam iterum tranſmiſerunt ad latus occidentale declinantes, poſt cuius angulum ſeu prominentiam, 30. paſſ. anchoras miſerunt. Vbi etſi quidem fundus ſatis commodus daretur: ventus tamen Caurus violentus naues haud leuiter quatiebat.

Circa veſperam ſcapham ad ſinũ quendam, in quo duę Chinenſium Chanpan agebant, emiſerunt. Harum altera oryza nõdum decorticata onuſta: altera nõdum omninò extructa ac parata erat. Has verò, quod Chinenſes vniuerſi ad Hollãdorum conſpectũ profugiſſent, & in ſyluas ſeſe abſcondiſſent, rei indignitate moti ſubuerterunt & merſerunt. Interim tempeſtas prior nihil remittebat. Die 14. Iouis, cum vis venti adhuc continuaret, ſub exortum ſolis duas naues ex Manillæ freto ad ſe properantes conſpicati ſunt. Quas cum primo intuitu Fregattas crederent: Generalis ſcapham ſuam cum aliquot militibus ad Liburnicã emiſit, iubens, vt eius anchoris emotis, Capitaneus in nauium occurſum ſeſe accingeret. Sed propius illis appellentib. non Fregattas, ſed naues maiores eas eſſe apparuit. Cum ergo magna feſtinatione tum tormenta ſua, tum arma ac neceſſaria alia ex- *E Manilla naues contra Holland. emiſſa.*

KKK pedirent,

pedirent, quibus poſcente caſu contra naues aduentantes vterentur: in anchora extricanda quidem maximo niſu laborarunt, ſed eandẽ tamen eruere minimè valuerunt. Inſtante ergo periculo coacti, funem præciderunt, quod naues hoſtiles ſeſe iam propius intuliſſent: quas militares eſſe ex Manille emiſſas, tum ex vexillis, tum indiciis aliis æſtimare facilè quiuis poterat.

Funem anchorarium detrūcant.

Porrò autem & ipſe Generalis propius ad Liburnicam ſeſe conferens, Capitaneum adhortabatur primò, vt res lẽtè tractaret, & tormenta ſecundum ventum dirigeret. Sed breui iterum mutata ſentẽtia, cum ſe læuam tenere videret, Capitaneũ idẽ inclamauit, vt inuaſionem nauiũ maturaret, & data occaſione primitus vteretur. Is ergo recta in hoſtiles naues impetum fecit. Cæterum poſtquam in Hiſpanicã prætoriã, quæ prior & propior acceſſerat, Hollandi ſua tormenta explodiſſent: eadem Hollandicis nauibus tam prope ſucceſſit, vt militum turma gregatim eas iã occuparet, & in tabulata ſuperiora confertim aſcenderet. Hi pleriq; galeis ac clypeis auratis inſignes, alta voce, Maina Peros, Maina Peros, clamitabant, vt Hollandi in naues ſuas deſcendere omnino cogerentur. Iam ergo Manillani ſeſe nauibus potitos omnino perſuaſum habebant, cum eorum 6. vel 7. contra vnum Hollandum ſubinde dimicarent. Hollandi tamẽ nihilominus infernè haſtis ac ſclopetis hoſtes ſuos tanta fortitudine exceperunt, vt plurimis eorum fuſis, iã ferociam ſuam nõ obſcure deponerent. Interim & Vice Almirans ex Manille propius ſe ingerens, cum ſociã prętoriam naue aduena potitam cenſeret, curſum ſuũ ad celocem intendit. Quo viſo Capitaneus Bieſman, velis conuerſis à Generali diſceſſit, ſperans, cum ſecundo vẽto ſeſe manus hoſtium ita cõmodè declinaturũ eſſe. Interim Almirans ex Manille toto die cum prętoria Hollandorũ conſertus cohęrebat. Sed tormentis vtrinq; nõ feriatũ eſt. Manillani ſiquidem violento bombardarum incuſſu Hollandorũ prętoriã tranſuerſim pertuderant. Contra Hollandi nec ipſi quidem frigidè cõtra luctabantur: qui tamen propter raritatem ſociorũ tandem laſſiores redditi, deditioni iam ſeſe parare incipiebant. Nã ex ipſis plurimi vulneribus attriti erant. Generalis ergo, ignauiam & deſperationem ſuorum militum animaduertens, in nauem deſcendit, ac minitatus eſt, niſi animo ac viribus reſumptis inſtanter contra hoſtes pugnatum aſcenſuri eſſent, tum ſe haud cunctanter in puluerem tormentarium ignem coniicere, ac nauem omnem mergere ſtatuiſſe. Hoc audito, contra hoſtes vniuerſi, tam vulnerati quam cęteri ſani, tanto iterum impetu Hollandi irruerũt, vt hoſtium pars magna iam è naue præcipitaretur.

Hollandorum cum Manillanis conflictus.

Porro etſi quidem Manillani duas alias quoque Chanpan præſidiarias à tergo haberent: eæ tamen propter horrida bombardarum fulmina propius admoueri non ſuſtinebant. Et cum cæteri Manillani iam à pugnæ diuturnitate admodum eneruati eſſent, omni ſtudio id agere cæperunt, vt nauem ſuam ab Hollandica expedirent, &

ocyus

ocyus extricarent. Quod dum molirentur, maiora ſua tormenta Hollandi in nauem hoſtilem crebris vicibus diſploderunt, & quacunque agilitate poterant, ei damnum intenderunt. Tandem verò, cum vix eandem emotis vncis liberaſſent & extricaſſent, ac breui interuallo ab Hollandis abſceſſiſſent: eadē iā manifeſtè mergi animaduerſa eſt. Nam violentiſſimis globorū diuerberationib. ita patens ac lacera reddita erat, vt propter confertim irruentē aquam ſeruari minimè poſſet. Quæ ob id tam præcipiti ruina abſorpta eſt, vt nec vela nec malus ſui vllum veſtigium relinquerent.

Hollādi victoria potiuntur.

Nauis Manillana abſorbetur.

Hollandi ergò hoſtes ſuos haud pridē admodum feroces ac iactabundos, iā gregatim ante oculos ſuos obnatātes, & lugubri voce Miſericorde, Miſericorde clamitantes, conſpicati ſunt. Qui in vndis ranarum more natitabant, 200. circiter erant: à quo numero illi excepti ſunt, qui vel iam dum merſi perierūt, vel gladiis ac glandibus occubuerunt. Rebus ita pacatis, Hollandi vela ſua recollegerunt, quod malus maior præfectus, rudenteſque vniuerſi miſerè obtriti eſſent. Tum & propter crebras tormentorum exonerationes, tabulę ac aſſeres nauiū ita incaluerunt, vt iam manifeſtè ardere viderentur. Iam ergò, quin victores igne vincerentur & vniuerſi conflagrarent, parum aberat. Attamen, cum ad flammas reſtinguendas promptiſſimas operas omnes ſtudioſè conferrent, Dei beneficio ſingulari, iis ſopitis, etiam ex hoc interitus periculo Hollandi erepti ſunt. Dici ſatis non queat, quāta deuotione Hollandi Deo Optimo Maximo iam gratias ingentes habuerint, quod ipſos tū ex hoc incendij tum oppugnationis grauiſſimo periculo forti manu clementiſſimè eruiſſet ac eripuiſſet. Nam victoriam hanc à ſolo cœlorum moderatore promanaſſe, qui inficiaretur, nemo erat.

Hollandorum nauis ardet.

Hoſtium iam viribus attritis, cum Hollandi deinceps periculo vacarent, extemporanea opera vtcunq; naue reſarta & reparata, per medios Hiſpanos, in oceano gregatim adhuc natitātes, peruaſerunt, multos eorum in tranſitu haſtis perfodientes ac conficientes, & tormenta grandiora in eos diſplodētes. Inter hos ſpectaculo ridiculo ſacrificus quoq; quidam, ex inſigni ſuo facilè noſcibilis natabat. In naue Generalis Hiſpanorum cęſorum quinq; reperti ac in ſalum exturbati ſunt, qui pyxides argenteas ſecum habuerāt. Quę adapertæ ſchedulas paruas, diabolicis conſecrationib. inſignitas, quibus cōtra tela tutos ſe præſtarēt, continere viſæ ſunt. De huiuſmodi ſiquidē præſtigiis à ſuis ſacerdotib. plerunq; inſtituuntur. Vnde fit, vt diabolicis ſuperſtitionibus qui Papę in his locis ſuā fidem iurarunt, multo contaminatiores ſint, ipſis illis, qui vel in media Roma vel Hiſpania agunt.

Hiſpanorum fœdæ ac diabolicæ ſuperſtitiones.

Hoc conflictu Hollandorum quinq; cæſi, & 26. vulnerati ſunt. Cæſorum nomina erant, Huybert Ianſs de Troyen: Simon Ianſs de Opdā: VVouder Adriās de VVoerden: Iacob Lock de Amſtelredamo: Adrian Claeſs Coninck de Hoorn. Tot adēptis, prætoria nauis pri⁹ 53.

Hollandorum cæſorum nomina.

viris munita, iam infirmior erat. Vulnerati autem à peritiſſimo Chirurgo, Alexandro Courtmans Antvverpio, probè ac diligenter curati ſunt.

Cæterùm cum iam in mari pergerent, Vice Almirantem ex Manille cum Liburnica, duorum milliarium interuallo cum ſecundo vento certare curſu conſpicati ſunt. Et tamen, quæ eius ſors aut ſtatus eſſent exactè videre non potuerunt. Plerique tamen ſuſpicabantur, eam ab hoſtibus breui & captum & occupatum iri. Propter metam enim longiorem non omnia exactè proſpici poterant. Obſcurè tamen apparebat, Hollandico vexillo adempto, Manillanum Liburnicæ iam ſuffixum eſſe. Quin & Hollandos hoſtium manus haud quaquam effugituros vel ex eo colligi facile poterat, quod in Liburnica vltra 25. viros iam non ſupereſſent, cum Hiſpanica naue 500. circiter armati veherentur: Quæ inſuper 10. tormentis, maioribus & minoribus, inſtructa erat.

Hæ naues, à Gubernatore in Manille inſtructæ & emiſſæ ſunt, quod is Hollandos in littore excubare intellexiſſet: & illę eædem erãt, quæ quotannis ex Manille in Mexico, ſerico ac pretioſis mercibus aliis oneratæ proficiſci ſolitabant. Has iam ad obtruncandos & excindendos Hollandos emiſerant: quod ferre non poſſent, exteras nationes illuc negotiatum venire. In his magna pars Hiſpani erant: cæteri Indi, ſtipendiarij cum illis veniebant, qui tum ſclopetis tum armis cæteris, quorum vſum ab Hiſpanis edocti erant, dexterrimè vti poterant.

Gubernatoris in Manille nomen. Gubernatoris in Manille nomen Franciſco Telo eſt, qui regendæ & ſeruandæ inſulæ gratia à rege Hiſpaniarum eò miſſus, tributa & cenſus Indorum corrogat ac colligit. Is ſedem ordinariam in Manille habens, negotiationes cum Chinenſibus ampliſſimas agitat, qui ſericum, aurumque, ac moſchum cum mercibus aliis nobiliſſimis in Manillam inferunt, vnde porrò illæ in Mexico traiiciuntur, & commerciis aliis diſtrahuntur.

Hollandi in Borneo inſulã diuertunt. Nulla commerciorum cum Manillanis ſpe apud Hollandos iã reſidua, hi deſerta inſula ea, ad Borneo inſulam ſeſe direxerunt, vt tum quod inprimis opus erat, ibi reficerentur, & nauem laceram diruptãque redintegrarent. Nam & velum maius conciſum, & reliqua vniuerſa comminuta, & ſcapha comminuta laxataq; erat adeò, vt aduenas naues ibi præſtolari iam non integrum eſſet.

Circa veſperam curſum ſuum ad ſolſtitium hybernum intendentes, noctu intra duas inſulas medij pernauigarunt, vento cauro non inidoneo perſpirante. Cæterum Borneo inſula à Manilla 180. circiter milliarium interuallo ſub gradu quinto: Manilla vero ſub grad. 14. & 45. min. in æquinoct. latere boreali ſita eſt.

Die 16. Cauro adhuc continuante, curſum ſuũ intra ſolſtitium hybernum intenderunt, iuxta inſulam quandam magnã, verſus ortum

tum

tum longo tractu excurrentem,& in longitudine 180. circiter milliaria habentem. Ea Hiſpanis ſubiecta, Gubernatori Sarmiento paret, ac Boluton inſula dicitur. Secundum hanc 5. vel 6. milliarium ſpatio pergebant, duobus Chinenſibus Pilottis, in Borneo paſſim notiſſimis, inſtructi.

Die 19. mane curſum adhuc pertendebãt, quod dicerent Pilotti Chinenſes, circa fines iſtos breuia quædam ſita eſſe, tam edita, vt fundus eorum commodè conſpici poſſit. Iuxta hæc prætereuntes, à magna inſula 6. ferè milliaribus aberant. Is locus tranſitu admodum periculoſus eſt iis comprimis, qui eius nullam notitiam habent. Hinc vento cauro vehente antiqua meta pronauigarunt.

Die 23. Borneo inſulam iuxta latus habuerunt. Ad cuius ciuitatem priuſquam aditur, aliæ quoque inſulæ 2. vel 3. circiter milliarib. à prædicta terra conſpiciuntur, ad quas vela direxerunt, tentaturi, an hauriendæ aquæ copiam illic adipiſci liceret, etſi nullam ſcapham opitulatricem haberent.

Nam diſcedentes Manillani, hanc ſecum auexerant: vt colligatis trabibus contenti eſſe cogerentur. Circa meridiem ad dictas inſulas perrexerũt: cumq; duorum ferè milliarium ſpatio ab iis diſtarent, breuia quædam ſaxoſa à latere declinauerunt. Sub veſperam 1½. milliarium interuallo lõgius ab inſula eiecti ſunt, quod propter nimiam ventorum aduerſorum vim metam rectam tenere non poſſent. Ea nocte igitur anchoris incubuerunt.

Die 25. aquam hauſtum ad inſulam appulerunt: quæ tamẽ propter oræ humilitatem propius adiri non potuit. Hinc ex Manille nauem quandam decurrentem proſpexerunt, quam eo fine emiſſam putabant, vt de Hollandis ad Malaccanos nunciũ deferrent. Quam quod iam nox ingrueret, & eadem infra vallum decliuius deproperaret, aſſequi non valuerunt. Re ergò fruſtra tentata, ab inſula dicta reſoluentes ad Borneo ciuitatem, inde 15. milliaribus adhuc diſtantem, curſum inſtituerunt. Hic anguſtia preſſæ ac decliuis terræ erat, quæ ex Borneo egreſſa, intra inſulam milliaris interuallo excurrit: quæ ex ortu adnauigantibus, firma ac continens videtur.

A meridie diei 26. ſinum ante Borneo ingreſſi ſunt. Is grandis ac diffuſus longis ambagibus nonnullarum inſularũ adhæſu in mare extenditur, ita vt ambitu ſuo tria fere milliaria complectatur. Huius vnda placida ac quieta, fundus verò anchoris admodum commodus eſt. In vicino incurrente fluuio piſcium maxima copia captatur, qua de cauſa locus iſte piſcatoribus multis habitatur, qui gregatim ad nauem ſcaphis ſuis ſeſe contulerant, piſces pro linteis permutãtes. *Sinum Borneo incurrunt.*

Hollandi in huius ſinus occidẽtali parte iuxta angulum quendam non procul à terra diuerterunt: apud quem Rex in Borneo claſſem paratam habet, qua piſcatorum tutela accuratur, & exterorum iniuriæ arcentur. Eius claſſis decurio ad Hollandos ſtatim ſe ingerẽs,

ipſis per Pilottos Chinenſes, linguæ iſtius gnaros indicauit, quod regio nomine ibi præſidiarius eſſet, nec poſſet, quin Regi ſuo, qui in ciuitate trium inde milliarium interuallo diſtante reſideret, ipſorum aduentum ocyus nunciaret.

Regi Borneo munera mittunt. Generalis itaq; Chinenſium eorum, quos ſecum in nauib. habebat, vnum cum teſſerario emiſit, qui regi in Borneo, exhibitis nonnullis muneribus ſignificarent, quod regiones illas non niſi amici adiiſſent, nec quenquā ſuorum ſubditorum aut defraudare, aut quacunuis alia iniuria afficere cogitarent, ſed vnice cū ipſis æqua ratione negotiari optarent. Rogare ergò ſubmiſſe, vt annonam ac aquam iuſto annumerato pretio ipſis impertire vellet.

Poſtero die Prauvvē ſeu naues plurimæ cum variis fructibus, ac gallinis piſcibuſq; & vnda ad nauem appulerunt, quæ omnia Generalis linteis redemit. Indigenæ hi linteorum Chinenſium, quorum faſces aliquot ante Manillā Hollandi acceperant, auidiſſimi & cupidiſſimi erant. Quæ verò ex Hollandia ſecum aduexerant, ea non magni faciebant. Multi quin etiam è nobilibus loci ſpectatū nauem aduenam venerūt: quos pleroſq; Generalis munuſculis impertiuit, vt illic nimirum ſecurius negotiari liceret.

Die 28. Pilottus, qui ad ſalutandum regem emiſſus fuerat, reuerſus, in comitatu ſuo grandem Prauvv habuit, qua miniſtri quidam regij aduentabant. Hæc ſuperne vexillo regio inſignis erat, æreis tormentis duobus munita, quib. curandis tractandiſq; Chinenſis quidam ex Patana, qui magno apud regē loco erat, aſtabat. Pilottus itaq; à rege reſponſum Generali attulit, Borneos dictis nō admodū fidere potuiſſe, ſed omnino perſuaſum habere, eos Hiſpanicæ factionis eſſe, cum quib. Rex bello ſubinde decerneret. Id ex eo ſibi veriſimile fieri, quod in littore alia quoq; nauis moraretur, quæ huius aduenæ haud dubiò ſocia ſit. Tum & Luſitanicā quādam Barquen prætereuntē in Borneo ſignificari curaſſe, aduēturos haudquaquā negotiatores, ſed potius milites eſſe: & vt indigenæ ſibi cauerent, adhortatū fuiſſe. Interim tamen cum miniſtri regij omnia intentè diſpexiſſent, longe aliud iam ſentiebant, dicentes, verè ſe nunc intelligere, quod non ex Hiſpanis eſſent, qua de re ſibi comprimis gratulentur. Redituros ſe itaq; ocyus, & quod vidiſſent, regi annunciaturos eſſe. Prætendebāt hi quoq; Regem, vbi nationē quandam peregrinā appuliſſe intellexiſſet, petiiſſe, vt ex aduenis quidam ad ipſum ſpectandus mitteretur.

Rex Borneo Hollandum ſpectare ſatagit. Quibus ob id Generalis reſpondit, ſe in gratiam regis haud grauatè præſtiturū eſſe, modo de ſuis Rex viciſſim quendā ad naues interea mitteret. Quod proponere regi ſe velle promiſerunt miniſtri. Diſcedentibus Generalis ſclopos aliquot & loricam dedit, quæ munera regi honorario offerrent. Nam illic ita mos inualuit, vt aduenæ ſingulari munere regem afficiant. Miniſtris diſcedentibus, honoris gratia aliquot tormenta exonerata ſunt.

Præ-

Prædictus Pilottus Chinenſis cum miniſtris denuo ad regem profectus eſt, vt cautius diſpiceret, quas & quales ibi negotiationes ſperare liceret. Sed aromata is locus nulla promit; præter Camphoram, quæ omnium illic optima in tota India Orientali reperitur. Sed hanc maximi æſtimant, adeo, vt libram vnam non minoris 20. Regalib. octonorum vendant. Tum & vltra 300. aut 400. libras ibi redimere non licebat. Præter hanc, ibi nihil parabile erat, quod quæſtum aliquem præ ſe ferret: cum pleraque à Luſitanis iam anteà inde euecta eſſent. Intereà autem temporis cum piſcatoribus ac indigenis aliis de fructibus variis, gallinisque ac piſcibus cõtraxerunt, id ſtudioſè agentes, vt cumulatiſſimè naues inſtruerentur. Nam & hoc loco omnia ſua dolia replebant aquis ad ſpeciem optimis & ſaluberrimis.

Camphora nobiliſſima in Borneo.

Die 30. mane emiſſus Pilottus Chinenſis ad nauem cum mercatoribus aliquot Chinenſibus rediit. Hi in Borneo morabantur, cum naue 60. Pcios piperis, quod vendendum ex Panama eo aduexerant, ingreſſi. Hos vendendos Hollandis obtulerunt.

Hi Chinenſes, non ſub Chinarum regis iuriſdictione agunt, ſed terram peculiarem, Patanam dictam incolũt, quæ ad littora Siau ſita eſt. Ibi ſuum peculiarem regem agnoſcunt: & tamen cæterorum Chinenſium moribus ac legibus viuunt. Nam & ipſimet Chinenſes quidem ſunt, ſed iſtius fere ordinis, quo apud nos prædatores cenſentur. Nam plerique è patria aut profugi aut eiectitij ſunt. Hi in Patana reſederunt, quæ regio munitiſſima, & nulla vi domabilis eſt. Metropolis terræ illius Patana dicitur, portu pro nauibus vniuerſis tutiſſimo & commodiſſimo, in quo ſaluum conductum exteris omnibus præſtant. Quos verò in aperto oceano corripere poſſunt, eos non facile dimittunt. Hi referebant, Patanos nuper Chanpan Chinenſem prædatos fuiſſe, quæ ex Iaua venerat, & cum Hollandis, qui tum temporis illic hæſerant, negotiata fuerat: qui Chinenſibus Regales octonorum pro mercibus reddidiſſent. Ex quibus intelligi poterat, naues Hollandicas ac Zelandicas, quæ in Indiam Orientalem ſoluerant, ibi appuliſſe, & in Iaua maiore negotiationibus vacaſſe.

Hi Patani Chinenſes piper ſuum nimis grandi pretio æſtimabant, & meros Regales pro eo expoſcebant, quibus tamen Hollandi non admodum inſtructi erant. Nam quas merces magna ſecum parte attulerant, erant, panni lanei, Raſſen, Arras, & linteamina: quæ viciſſim Patani non magni æſtimabant. Nihilominus tamen contractibus firmandis tam diu operam dederunt, dum inter eos tandem ita conueniret, vt Hollandi pro 20. Picos piperis tertiam partem pecuniæ, & duas tertias mercium allatarum, nimirum pannorum & Arras, reponerent, quolibet Picos, 120. libras pendente, 13. Regalibus octonorum exoluendo. Ita depacti, poſt biduum piper in naues inferre promiſerunt.

Hollandorum ac Pantanorũ qualis contractus.

His iam à naue digreſſis, Pilottus Chinenſis, quem generalis ſecum

cum habebat, ipſum ſedulo adhortatus eſt, vt ſibi ſtudioſè caueret, & rebus neceſſariis omnibus proſpiceret. Certis enim ſe indiciis ſenſiſſe dicebat, Borneos proditionem, & oppreſſionem Hollandorum moliri, modo id vlla arte ac ingenio confectum dare poſſint.

Hollandis Bornei inſidiātur.

Ipſi tamen nihilominus more ſuo in permutando perrexerũt, indies varios fructus, gallinaſque ac oua, quæ Prauvv ſeu nauiculis ſuis indigenæ ſubinde magna copia aduehebant, æquo pretio redimentes. Inter cætera verò, quidam ex Borneo, ex Canton Chinenſis, ſed animi ſimplicioris & apertioris, ad nauē acceſſit, rogans etiam atq; etiam, vt in Hollandorum naui abſconderetur. Nam in Borneo ſe debere dicebat, cui non eſſet ſoluendo. Rogabat itaq;, vt pro ſclauo ipſum deinde diuenderent.

Hic Pilotti ſermones dato teſtimonio confirmabat, referens, magnum tum virorum tum rerum aliarum in Borneo apparatum fieri: ex quo non temere ſuſpicari liceret, ſtatuiſſe eos ſub ſpecie negotiationis proditoria & nefaria inuaſione nauem ſubigere: cum alias, ſi ſibi diligenter Hollandi cauerent, & in excubiis vigiles eſſent, nullum ſuis copiis vniuerſis, ipſis damnum dare poſſint.

IANVARIVS. An. 1601.

Cal. Ian. An. 1601. ſub exortum ſolis Prauvv plurimas ſurſum deorſum per ſinum agi animaduerterunt, quæ poſt vniuerſæ apud angulum quendam, vnius milliaris interuallo à naue diſtantem, congregarentur: ita vt vno loco Prauvv vltra 100. coactæ numerarentur. Ad eas ergò excipiendas ſeſe vniuerſos inſtruxerunt, & tormenta aliaque ad rem pertinentia, expediuerunt. His agitatis, Prauvv quædam ad nauem appulit, duos pipere ſaccos refertos afferens, dicenſque, eos à rege mitti, petente, vt pro iſtis arma quædam ipſi reponerent. Quod generalis nulla quidē mora aut perplexatione fecit: fraudis ac proditionis intellectæ ſignum ne quidem minimum edēs. Sed ex his præter duos in nauem non admiſit. Paulo poſt Prauvv alia & ſecunda ad nauem accedit, qua 80. circiter vehebantur, ſtoreis tamen ac velis, illi regioni familiaribus pleriq; intecti. Hac bos cum multis fructibus aduehebatur: quæ dicebāt, Regem aduenis honorarij loco miſſitare. Et hi vniuerſi ſimul in nauem aſcenſuri erant, iubētes Hollandos, vt bouem ſurſum ad nauem inferrent, & apporrectos fructus à remigibus prehenderent. Quo dolo ſe id impetraturos cenſebant, vt ſimul in nauem recepti, eam cæſis Hollādis commode occuparent. Cæterum Hollandi prouidi, nauem prius angulo cuidam admouerant, interdicebantque, ne nauem illi conſcenderent. Quod ipſi tamen negligentes, confertim ac vi irrepere occæperunt: ſed poſtquam cum ſclopetis ſuis Hollandos in procinctu ſtare, ac ellychnia iam effumare viderent, à propoſito deſiſtentes, quid vellent, rogauerunt. Quibus Almirans, hoc ſe velle reſpondit, vt ex omni numero duo ſaltem treſue in nauem aſcenderent, cæteri verò ab illo longius abſcederent. Id quod promptè confectum datum eſt.

Borneo indigenarum nefariæ inſidiæ.

Poſt-

Poſthæc quidam Patanus Chinenſis cum nobilibus ac miniſtris aliquot nauem aſcenderunt. Cumq; viderent, ibi diligentes excubias fieri, & conſilij ſui ſe non compotes pro voto reddi poſse: excuſatione longiſſima prætexta indicarunt, ex Prauvv illis collectis nihil omnino ſuſpicionis capi debere, ſed cognatum Regis cum tot nauibus ac vniuerſis ſuis vxoribus animi gratia ad ſpectandam aduenam nauem illuc deſcendiſse, nec quenquam quicquam hoſtili animo meditari ac voluere. Etſi vero Hollandi rogarent, cur, ſi res ita ſe haberent, eius ipſis præiudicium quoddam non feciſsent: tamen ſe doli ac fraudis intentatæ verè gnaros eſſe, nec dum prodiderunt, ſed factũ diſſimulãtes, quod poterant, ſuppreſſerunt, ac regis illũ cognatum, nonnullis muneribus inſuper affecerunt. Hos poſteà Generalis à ſe dimiſit, admodum ſollicitos ac metuentes, ne meritam proditionis pœnam luerent. Huius verò perfidæ proditionis quidã Chinenſis Patanus ſolus caput ac cauſa fuit: qui hunc ludum iam antè quoque luſerat. Nam haud pridem quinque ſociis ſicariis adiutus, Barquen quoq; Luſitanicam occupauerat, eadem ferè, qua iam quoq;, perfidia fretus. Nam ad hanc peregrinantium prætextu ingreſſi, cum Luſitanos ſecuros vidiſſent, inſultu in eos facto, vniuerſis capita amputaũt, & hoſtili manu Barquen occuparunt. Quæ tamen poſteà violentis procellis ad Borneo depulſa, ab alijs iterum occupata eſt: ita vt ab eo Regi Borneo cum ſocijs iam è miniſterijs eſſent. Cæterũ cùm indigenæ Borneo viderẽt, ſperato ſucceſſu proditionẽ nõ cõfici, cũ Prauvv vniuerſis è ſtatione ſua eruperunt, & quoquo verſum diſſipati ſunt.

Hæc Borneo inſula vna ex maximis eſt, quas India orientalis habet. Ipſa ciuitas in loco cœnoſo ac vliginoſo ſita eſt, vt Prauvv ſuis à domo vna ad alteram ſubinde commeare poſſint. Hæc 3000. circiter domibus inſignis eſt. Præter has aliæ plurimæ paſſim in terra penitiore viſuntur. Locus populoſiſſimus eſt, viri habitatores proceri ac ſagaces, armis inſtructi omnes incedunt, etſi ſortis ſint abiectiſſimæ, velut agricolæ & piſcatores. Arma habent, arcus, haſtaſq;, quarum extremitates ferro præpilatæ ſunt, furcas noſtrates referentes. Tum & pharetras gerunt, 20. aut 30. iaculis plerunque refertas, quæ pleraque fucata & venenata ſunt. Hæc confertim in hoſtes eiaculantur. Quibus qui feritur, ita, vt ſanguis profluat, propter ſummã veneni, quo delibuta ſunt, vim, haud dubio moritur. Mohumeticam religionem omnes profitentur, citius acerbiſsimũ mortis genus ſubituri, quã lardum guſtent. Qua cauſa nec porcos illic alunt. Tot vxores ducunt, quot ſe alere poſſe cenſent. Fœminæ eorum prudentiſsimæ ac ingenioſiſsimæ ſunt, quarũ multæ ad naues quoq; venerant, vt commercijs operam darent, quorum tractandorum admodũ peritæ ſunt. Audaces ac animoſæ ſunt. Nam cũ vna illarũ ab Hollando quodam paulò craſsius cõtrectaretur, ad arma illico diuertit, haſta ipſum traiectura etiam, niſi impetus interceptus fuiſſet. Corpore fu-

Inſulæ Borneo deſcriptio.

Borneo indigenarum tela toxicata.

Religio.

Audaces fœminæ.

re fu-

re fuſco ſunt hoc à cæteris Indis nihil differentes, Lumbos veſte linea innectunt. Sed plebis fex tota nuda incedit. Quamuis & ex his nonnulli tunica crocea vel rubra vtantur, quam corpori apte circumuoluere norunt. Porro in capite faſciam geſtant, ex tenuibus goſſypinis velis conſtantem.

Rex Borneo, admodum puer, per vicarium ſeu gubernatorem regni habenas moderatur: cuius vices iam cognatus eius, annoſus admodum adminiſtrat. Sedes regia in Borneo ciuitate eſt. Magno miniſtrorum ac Sclauorum numero ſtipatus eſt. Nobiles ac cognati regis admodum faſtuoſi ac ſuperbi ſunt. Quorum cum nonnulli obtectis Pravv ad nauem appuliſſent, geſtibus ac ſermonibus admodum grauibus vtebantur, apud pleroſq; magno loco habiti. In nauibus eorum mediis abacus ſeu menſa ſtabat, vaſculis aliquot argēteis grauata, quib. ſuū Betele, ac calcem, quæ aſſiduo cōmaſticāt, aſſeruāt.

Hollandi ex Borneo abitiunt. Cum Hollandi in hoc Borneo ſinu diebus aliquot egiſſent, & tùm vnda, tùm variis cibariis ſeſe inſtruxiſſent: viderentq; porrò negotiationes nullas ſperari poſſe, quod præter eam piperis quantitatem, quæ ex Patane eò conuecta erat, nimirum 60. picos, de quibus Patani Hollandis picos 20. vendiderant, ſed nondum tamen, vt promiſerunt, propter tumultum intercurrentem tradiderant: Generalis cum officiariis cæteris ſententiam fecit, vt inde diſceſſione facta, curſus in Iauam & ciuitatem Bantam dirigeretur, tentareturq;, an negotiationes ibi quæſtuoſiores & feliciores agitari poſſent. Omnibus ergò expeditis, iter de nouo magna ſpe ingreſſi ſunt.

Die 2. tanta tranquillitas mare occupauit, vt eodem die inde ſoluere non poſſent. Interà ad obhærentem nauem ex Borneo Pravv appulit, qua Chinenſes Patani mercatores piper venditum aduehebant. *Hollandis emptum piper traditur.* Qui dicebant, quòd propter incumbentem tumultum pridiè promiſſis ſtare non potuerint. Borneos ijdem excuſabant, quòd nihil quicquam hoſtile machinati fuiſſent. Hollandi ergò piperis picos 20. recipientes, pecuniam & merces, prout pacti erant, repoſuerunt. *Pondera Chinenſium.* Chinenſes omnia ſua bona merceſq; per Euanaer ſiue Romanee ponderant, & Cattas 100. pro vno Pyck numerant. Quælibet verò Catte pondo vnum eſt, cum quadrante, libræ Hiſpanicæ. Chinenſibus his expeditis, illi ad Borneo reuerſi ſunt.

Pilottus Chinenſis emanet. Pilottus iſte, quem Hollandi ante Manillam acceperant, cum in Borneo amandatus fuiſſet, ad Hollandos non rediit, ſed miſſis literis ſignificauit, ſe ægrum admodum ac infirmum decumbere ex dyſenteria, qua repentè correptus ſit. Itaq;, quòd non reuerteretur, ſe excuſauit, rogans, vt pro ſedulis iſtis miniſteriis, quæ iamdiu ipſis præſtitiſſet, aliquid remunerationis acciperet. Generalis itaq;, qui apud ſe euoluebat, quòd is & nauis & bonorum ſuorum iacturam feciſſet, & iam, vnde viueret, nihil reliquum haberet, faſcem Arras cum mercibus aliis honorarii loco ei miſsitauit. Nam quamdiu eū nauigationis

ſuæ

ſuæ ſocium habuit, miniſteria fidiſsima & cõmodiſsima expertus eſt.

Die 3. ſub noctem, cum tenebræ denſæ eſſent, quatuor Bornei ad nauem adnatarunt, eo inſtituto, vt funem anchorarium præciderent: vt ita, libera facta nauis in terram concitatius illideretur. Id quod certè nullo ipſis dubio, vſu quoq; veniſſet, niſi tempeſtiuè conſilium id ſenſiſſent. Nam præter anchoram eam, qua fixi ibi excubabant, vnam ſaltem in naui ſuperſtitem habebant. Quarum vna perdita, nulla arte longius ſe ſuſtinere potuiſſent. Sed, vt dictum eſt, conſilium tempeſtiuè olfacientes, prolatis ſclopetis in eos glandes excuſſerunt, ac inſtantes in fugam egerunt. Hi Prauvv vnam ſecum aduexerant. Ex qua in vndas illapſi, eadem poſt vacuam ad nauem acta eſt. Prioribus noctibus iidem aliam quoq; Prauvv ab indigenis pretio emptam, abſciderant: ita vt noua parata opus haberent. Scapham ſiquidem ſuam ante Manillam perdiderant, ita vt cogerentur, deficientibus aliis commodioribus, hiſce nauiculis contenti eſſe.

Poſtquam illuxiſſet, ventum ex terra perflantem habuerunt. Anchoris ita ſublatis, inde ſoluerunt. Aliò quouſq; progreſſi, poſt ſe nauem quandam conſpicati ſunt. Ad quam cum decurriſſent, viderũt eam Chanpan eſſe, ac ex Iapponia in Manillam tendere: ſed propter obortas violentiores tempeſtates, in littus Borneo compulſam eſſe, vt ibi reficeretur. Hæc ibi 4. menſes exegit, priuſquam in Manillam redire poſſet.

Huius capitaneum, virum ſenem ac obeſum, natione Luſitanum ex Portaport, Emanuelẽ Louis vocatum, Generalis ad ſe accerſiuit. Idem aliquandiu in Malacca & Macca, locis Chinenſibus, habitauerat olim: tum temporis autem in Iapan ciuitatis cuiuſdam Larguaſacque incola erat, ex portu ſeu inſula Coihinochoe dicta pridem egreſſus, vbi duos integros menſes exegerat. Quos ſecum ſocios habebat, ferè omnes Iappones erant, eo modo raſi, vt ſuprà commemorauimus. Pilottus autem natione Chinas erat. Ex hoc capitaneo intellexerunt, in Iapponia magnam Hollandicam nauem appuliſſe, quæ ex ſocietate Pieter Verhagens eſſet, tempeſtatum iniuriis miſerè concuſſam & laceratam, adeò, vt fame partim, partim aliis morbis pleriſque confectis extinctiſque, ſoli 14. in ea ſuperſtites eſſent. Locus quem primò acceſſerant, Bongo vocabatur, ſub gr. 34. & minut. 40. ſitus. Sed Iappanus rex eandem nauem in portum alium Atonzam nominatum, abduci curauit. Is ſub 36½ gradibus ſitus eſt: vbi 4. anchoris in portu peropportuno incumbebant. Idem quoque Capitaneus commemorabat, populũ eius nauis vniuerſum liberum tutumq; ibi commeatum impetraſſe, & eundi, quo vellent, promptã licentiam habere. Iiſdem quoq; factam eſſe poteſtatem referebat, ſcapham nouam condendi, quâ quò vellent, cõmearent. Quib. omnib. ex ſignis augurabantur, nauem eandem Verhagens prætoriam eſſe,

Nauis Verhagens ſocia in Iapponia appellit.

quæ 250.onera capiebat.Is ex Chili duabus nauibus ſoluerat quidem: quarum tamen alteram deſerere coacti fuerunt. Vt enim Capitaneus referebat, multis tormentis, ac Regalibus octonorum, mercibuſque aliis inſtructiſſima ea erat.

Hunc Capitaneum Generalis humaniter ac laute tractauit, & à diſcedente pernas aliquot cum annona alia emit, impendio rogitãs, vt in Iapponiam reuerſus, Hollandos ex ſe ſalute ſuauiſſima imperti-ret. Quod cum ei recepiſſet: viciſſim rogauit Generalem, vt vexillum ei cum cõmeatu Hollandico elargiretur. Quod nomine Illuſtriſſimi principis ei haud cuctanter datum eſt, & vtrinque ita diſceſſum eſt.

Ex ſinu Borneo ſoluunt.

Die 5.cum Eurus itineri commodus ſpiraret, reſumptis anchoris in ſinus ante Borneo ſeptentrionalem partem vela impulerunt. Cumq; ex ſinu eluctati fuiſſent, curſum ſuum intra ſeptentrionem ac occaſum direxerunt, altius mare occupaturi.

Die 6.cum ſerenum cælum fulgeret, terram Borneo adhuc in proſpectu habuerunt. Ipſi vero in occaſum intendẽtes, meta admodum periculoſa & infida pronauigarunt. Nam in ſeptentrionali latere nonnulla breuia, & in auſtrali facie aliquot inſulæ conſpicuæ erant. Sed & loci eius gnarum nullum Pilottum habebant, & mappæ inſuper non ſatis correctæ fidæque erant. Itaque dubio auſpicio currendum fuit, die nebulis ac imbribus admodum triſti.

Diei 9.aurora Generalis cum cæteris nautis commodum arbitratus eſt, vt iuxta continentem Malaccæ verſus boream ad Pulo Tymon nauis dirigeretur ad gradum tertium, ne ab inſula Pulo Tymon aberraretur. Hanc enim prius in conſpectum dari neceſſe erat, quod Chinenſis Pilottus à loco illo vſq; in Iauam viæ peritus eſſet. Inde ergò verſus auſtrum ac Zephyrum tendentes, circa meridiem ſolis altitudinem 3.gr.tenuerunt. Hinc ad auſtrum ſitam quãdam inſulam conſpicati, eam Pulo Tymon eſſe crediderunt. Ea ſub grad. 2. minut. 15.ſita erat. Ad eam cum ſpectatum propius appuliſſent, quæ eſſet, Pilottus Chinenſis internoſcere haud potuit. Eam tamen Borneo finitimam eſſe ratus eſt. Ibi plumbum 19.paſſibus iactantes, à prænominata inſula milliaris vnius interuallo aberant. Ea nocte dubio euẽtu, quo poterant, pernauigabant.

Die 20.ſub auroram aliam iterum inſulam intra ſeptentrionem occaſumque ſitam conſpicati, propius adacti breuia illi vicina deprehenderunt. Quæ cum tranſmiſiſſent, paulo poſt profunditatem 24. & 25.paſſuum attigerunt, vbi milliaris vnius cum dimidio interuallo in angulo Euroauſtrali 30. paſſibus confidentes anchoram ligneam iactauerunt, quam fabri ad formam Chinenſium confecerãt. Nam præter vnã anchoram & funẽ vnum nihil reliquum habebãt. Vẽtus tum tẽporis borealis ſpirabat: & lignea dicta anchora vſq; ad veſperã durabat: quã venti tam violenti incubuerunt, vt eadẽ ſuſtinẽdæ naui iam nõ amplius ſufficeret. Nolẽtes ergò procedere, & ea ſtatione exire

Anchoram ligneam parãt.

coacti

coacti ſunt. In littore illic forte nauē quandam conſpexerāt. Ad hanc ſeſe ingerere ſtuduerunt, ſi fors quoſdam Indos in colloquium pertrahere poſſent. Sed cum ſubinde magis magiſque ad inſulam conjicerentur, & nouis malis impedirentur, terrore perculſi ſunt haud modico.

Die 11. ſub auroram cœlum admodum turbidum ac imbribus infeſtum erat. Vento autem Cauro flante Hollandi ſine velorum ope vlla in mari verſabantur, ſicut prægreſſa omni nocte fecerant. Nā noctu ad inſulā appellere intutum videbatur. Vbi dies illuxiſſet, vela iterum tendentes, & intra ſeptentrionem occaſumq; curſum agentes, circa meridiem inſulam quandam ad occaſum auſtrumque vergentem conſpicati ſunt. Quod verò nox incumberet, vela iterum colligere coacti curſum ſuum obliquabant, cum eo tempore imbres frequentes incumberent.

Die 12. cum terra viſa è conſpectu euanuiſſet, velis iterum ventis datis intra ſeptentrionem & occaſum impulerunt: circa meridiem altitudinem gradus vnius. 50. minut. tenentes. Gubernatores verò putantes, ſe ex inſulis iam dum eluctatos eſſe, curſum ſuum intra occaſum ac auſtrum intenderūt. Sed circa veſperam terrā iterum quandā iuxta auſtrum occaſumq; viderunt. Quæ cum meræ inſulæ eſſent, intellexerunt, ſe non ſatis in occaſum deflexiſſe, & has inſulas in littore Borneo adhuc ſitas eſſe, cum tamen littus Malaccanum ſiue Pochau teneri neceſſe eſſet, modo via ac tramite recto pergere vellent. Itaque conſilio Gubernatorum commodum viſum eſt, vt ambagibus nullis obitis pergeretur, ſed recta per inſulas, via compendioſiore ocyus perrumperetur.

Die 13. exorto ſole, aër totus illuſtris erat, ipſique viſas ante inſulas iam tenebant. Vbi intra occaſum ac ſeptentrionem inuecti, cum 7. vel 8. inde milliarium ſpatio alias quoque minutas inſulas contuerentur, an per eas tranſire poſſent, periculum fecerunt.

Circa meridiem ſolis altitudo grad. 1. minut. 15. erat. Hac nocte tota curſum continuantes, poſtero mane intra ſcopulos nonnullos eminentes tranſmiſerunt: poſt quos cum iam nullas amplius conſpicuas inſulas haberent, ſe eas vniuerſas declinaſſe tandem arbitrati ſunt. Et tamen nihilominus vento Cauro nocte iſta obliquantes animaduerterunt, ſe iam æquinoctialem lineam vice tertia tranſmiſiſſe. *Tertiò lineam æquinoctialē tranſeunt.*

Die 16. aër admodum turbidus incumbebat. Sed deinde ſerenato cœlo, verſus auſtrum à ſe magnam inſulam conſpicati ſunt, ad quam obtinendam poſterum metam omnem impenderunt. Cumque in tranſitu nauem quandam vidiſſent, ad eam curſu facto operam daturi erant, vt ex illa Pilottum quendam nanciſci poſſent. Circa meridiem eam attingentes, & Inconam eſſe videntes, ipſam interceperunt, ac ſpoliauerunt. Hi ex Ior ſe ſoluiſſe, regno nimirum Mala-

Holl. Ionckam prædantur, & Pilottum capiunt.

cæ finitimo, & negotiandi animo ad inſulas quaſdam contendere dicebant. Huius moderatorem Generalis ſecum retinuit, quod eum induſtrium, & finitimorum locorum omnium ac inſularum Moluccanarum quoque peritum eſſe videret. Is cum filio ſuo in prætoria naue remanens, nautis ſuis, vt pone eandem conſequerētur Ioncka, mandauit.

Iam ergò ad inſulam propius delati, aggere eius preſſo ac humili animaduerſo, de capto tempeſtiuè Pilotto gaudio magno perfuſi ſunt. Sine hoc ſiquidem duce ac moderatore naufragium vix euitaturi fuiſſent, cum ex locorum imperitia meta admodum periculoſa decurrerent. Pilottus ergò monitor erat, vt ex inſulæ illius latere occidentali peruadentes, rectà in Bantam curſum agerent. Sed quod aquilo admodum importunus ingrueret, intra inſulæ occaſum ac ſeptentrionem ambiuerunt. Cum illum angulum tranſadigere non poſſent, ea nocte à vallo recedere compulſi ſunt.

Inſula hæc Banta erat, verſus ſeptētrionem occaſumq; vt & auſtrum ac ortum 7. milliarium ſpatio ſub gr. 4. excurrens. Noctu ventus validus adeò & concitatus inſonuit, vt metu excruciarentur non leui, ne in vallum propius coniectarentur. Ibidem è conſpectu ſuo Ionckam comitem quoque, 5. vel 6. onerum capacem, perdiderunt.

Die 17. obliquè nunc prorſum nunc vorſum commearunt, vt angulum dictū inſulę exuperarent. Sed quod ventus ex ſeptentrione perflaret, nulla induſtria metam eam tenere potuerunt. His viſis, Pilottus aliam ſibi viam per inſulæ angulum orientalem cognitam eſſe, innuit, cuius ductui lubentes vniuerſi parebant. Nam ſeſe differre longius non poterant, quod rudentum pars maxima miſerè obtrita & confracta eſſet. Itaque intra ortum ac ſeptentrionem intendentes, profunditatem 19. & 20. paſſuum tenuerunt.

Die 19. Cum meta præſumpta iugiter adhuc peruaderent, circa horam 9. inſulam à ſe intra ortum ac ſeptentrionem ſitam conſpexerunt. Ea Crimati vocabatur, à littore Borneo 4. vel 5. milliarium interuallo abſiſtens. Hinc ergò primò intra ortum ac auſtrum, poſteà circa veſperam intra auſtrum ac occaſum decurrentes, quaſdam inſulas non longè à Bancka, breuiis vicinis plurimis conſpicuas animaduerterunt. Intra has à Crimati medias curſum ſuum verſus auſtrū ac occaſum perpulerunt.

Adamantes boni.

Inſulæ hæ omnes ab Indis habitantur: & in Crimati adamantes erui ſolent, quos venum poſtea in Malaccam inferunt. Hi in terrā ſuam peregrinis nullis aditum dant. Curſum ſuum hinc cum vento bono intra auſtrum ac occaſum impulerunt.

Die 20. paulò ante ſolis exortum, breuia rectà ſibi oppoſita viderunt. In quæ nullo dubio impegiſſent, ſi meta ea noctu percurriſſent. Nam & ipſi Pilotto ea incognita fuêre. Hoc loco profunditatem 25. paſſuum habuerunt.

Die

Die 22. inſulæ illi vicini erant, quæ 10. milliaribus à littore Iauano diſtabāt: vnde terram editam Iauæ etiam proſpicere poterant. Cęterum verſus auſtrum ac occaſum pergentes, circa veſperam angulum quendam terræ humilis Curabon attigerunt, quę verſus ortum à Bantam 25. & Iacatra 12. milliaribus diſtat, vbi littus verſus occaſum ac ſeptentrionem, ac viciſſim in auſtrum ac ortum effunditur. Hic cū Cæcias incumberet, 10. paſſibus anchoras iactare compulſi ſunt, cum à terra 2. ferè milliaribus abeſſent.

Terra Iauæ ibi ſub grad. 6. poſita, magna parte ex ortu in occaſum excurrit, ſenſuum æſtimatione longitudine 200. circiter milliarium complexa, cum latitudine non admodum magna.

Die 23. ventus matutinus à vallo fortis ſpirabat. Itaque paulò profundius in mare ſe dantes, verſus occaſum ac ſeptentrionem intenderunt. A meridie propter mutatum ventum, in occaſum curſum flexerunt, circa veſperam tamen ad anchoras iterum diuertere compulſi, quod venti vis magno ſubinde incremento inualeſceret. Itaque ferream anchoram iacientis, funem eius ruptura obtritum eſſe animaduerterunt, perculſione certè non leui. Nam huius poſtremæ ſi iacturam feciſſent, contra maris tempeſtates deinceps ſe nulla arte aſſerere potuiſſent. Itaque plagam illam ſarcientes, ad mediam vſque noctem ibi egerunt; à qua cum ventus auſtralis incumberet, curſum ſuum in Bantam continuare cæperunt. *Funis anchorarius plagoſus.*

Die 24. vento Cæcia admodum valido inſultante, curſui inhærere minimè potuerunt, ſed circa veſperam retrò iuxta angulum ante Curabon paſſibus 15. anchoram facere compulſi ſunt.

Sub auroram diei 25. Fauonio omnino aduerſo impetiti ſunt, nimirum in Bantam permeaturi. Qua de cauſa officiarios Generalis omnes coëgit, vt deliberatio fieret, quid factu nunc optimum & cōmodiſſimum videretur. Nam præter anchoram vnam ſuperſtitem non habebant: cuius inſuper funis admodum obtritus & infirmus erat. Tum & cuiuis obuium promptumque erat videre durationem eius non admodum diuturnam fore, nec ſpem in eo certam collocari poſſe: ideò comprimis, quod hoc loco perſæpè obliquandum eſſet, & propter inſtans anni tempus Zephyri iſtic perennes ac continui flarent. Quibus omnibus exquiſite trutinatis, proximum viſum eſt, vt curſum ſuum in latere Iauæ orientale intendentes ad fauces ſeu anguſtias Balamboam contenderent, ac interea locum quendam, in quo ſeſe reficere ac de nouo inſtruere poſſent, quærerent. *In Balamboam ire decernunt.*

Die 25. decreto hoc publicè firmato, ac à ſingulis ſubſcripto, anchoram, tribus ferè crepaturis inſignem, emouentes, intra ortum auſtrumque irruperunt, & ad ſinum Chirabon delati, Ionckas duas, pro ipſorum opinione in Bantam vela facturas, viderunt. Noctu vela ſtringentes, arbitrio vni maris ſeſe mandarūt, quod per nocturnas tenebras plenis velis nauigare minimè auderent.

Die

Die 26.cum vento oborto Zephyroborea, Iauanam Ionckam inſectati ſunt. Quæ tamen,cum expeditior iſto vento vti poſſet: eorum manus breui euitauit. Sic ad viam pertexendam ſe conferentes, intra Chirabon & Iaparam procurrerunt.

Die 27. tempore matutino terram quandam editam tenuerunt, in cuius parte orientali aditus humilis, & ante hunc iterũ duæ inſulæ conſpicuæ erant,iuxta quas Ionckæ prædictæ anchoras fecerunt. Ad fines iſtos Iapare ſita eſt.Ipſi verò toto die ad ortum vehente cæcia intendentes,circa veſperam ſinũ quendam attigerunt, cui rotunda ac orbica quædam inſula Mandalecca dicta accubat, quæ inde verſus ſolſtitium brumale & plagam huic oppoſitam vſque ad Maduram inſulam exporrigitur. Ea nocte lento paſſu intra ortum ac meridiem impulſum eſt.

Die 28.manè à vallo ſe longius abiectos viderunt, ita, vt nec inſulam amplius proſpicerent. Hinc itaque in auſtrum agentes, circa meridiem terram Cindaye viderunt, colle, pileum referente, & inferius latiore, inſignem. Arbores pleræque ibi candeſcunt. Porro ſecundum Cindaye littus pergentibus, Pilottus Indicus ſignificauit,in finitimo illic loco quodam, Iortan vocato, annonam ac refectoria commodè parari poſſe. Iorta verò in terra firma Iauæ ſita eſt,Maduræ inſulæ oppoſita, ac portu peridoneo commodiſſima. Is etenim licet vnius milliaris amplitudinem non excedat: indicabat tamen Pilottus,profunditatem 6.paſſibus non minorem eſſe, ita, vt ibi excubari percommodè poſſit.

Iortæ ſitus.

Eodem die circa meridiem Maduram inſulam, grandem,ac 18. milliaria in complexu habentem, videntes, perpetuum in eam curſum fecerunt,vadum nimirum ſeu introitum intra continentem ac inſulam ſitum perueſtigantes: vbi in breuia impulſi, priuſquam inde extricarentur,ſenis horis ſtrenuè laborarunt.Cuius vnda quidem æquabilis,ac fundus mollis exiſtebat. Tandem iuxta prædictum vadum intra continentem & Maduram inſulam penetrantes, profunditatem 14.paſſuum receperunt.Eius ibi latitudo milliaris vnius ſpatio terminatur, cui alia quoque inſula vicina eſt,quam in hoc, Maduram vero in altero latere reliquerunt.

Maduram inſulam adeunt.

Tribus milliaribus propius ad brumale ſolſtitium, Iortan ciuitas ſita eſt.apud quam 15.paſſibus breui à ciuitate ipſa interſtitio conſederunt. In huius portu Ionckas 10. vt & alias in tumulis arenarum agentes viderunt.Nam is locus iaciendis anchoris, & nauibus emũdandis admodum idoneus eſt. Ibidem multæ de nouo Ionckæ extruebantur, forma admodum peregrina, ponè acuminatæ & coarctatæ,20.30.40.aut 50.onerum capaces. Hinc in Moluccanas inſulas ac Bantam crebræ excurſiones fiunt, naueſque eo loco rebus variis, inprimis verò cæpis,aceto,& viæ neceſſariis aliis inſtruuntur.

Apud Iortam anchoras mittunt.

Indigenarum hac veſpera nemo ad naues acceſſit,præter Ionckã vnam,

vnam,ibi in portu agentem. Huius dominus denunciabat, iam nihil aromatum ibi parabile eſſe, ſed omnia hinc in Bantam auécta pridem eſſe propter naues Hollandicas, quæ iſtic appuliſſent. Idem referebat, iam id tempus opportuniſſimum inſtare, quo in Moluccanas inſulas (ad quas ſemel tantum in anno nauigationes fierent) contẽderetur: ad quas ſpecies ac aromata poſt 4. aut 5. menſes demum conueherentur.

Die 29. ventus occidentalis ſpirabat. Hollandi autem ante Iortam eo loco erant, vbi reficiendæ paulatim naui operam impendere maturam poſſent. Poſt meridiem, Luſitani aliquot, qui & ipſi ibi ſtationem agebant, ad nauem aggreſſi, Hollandis porcellana vaſa & alia ſimilia leuiora vendiderunt. Hi ipſi quoq; confirmabant idem, quod nulla iam aromatum copia parabilis, quodque Ionckæ illæ, ante Iortam ſtantes, breui in Moluccanas ſoluturæ eſſent. Ab eo deinde Canoę quoque aliquot appulerunt, ex Iorta Bonnanas, & fructus alios, ac gallinas vehentes. Poteſtatem itaque generalis ſociis fecit, vt pro arbitrio ſuo liberę cum iſtis permutarent, & ſe quiſque neceſſariis rebus inſtrueret. *Holl. refectoria accipiunt.*

Poſtero die Luſitani ad nauem denuò acceſſerunt, Generali Barren vnam Macis emptum offerentes. Pro qua Generalis ipſis pannos repoſuit, dicentibus, ante elapſum biduum ſe merces iſtas non tradere poſſe. *Macem emũt.*

Die 31. iidem Luſitani redierunt, quendam ſecum adducentes, quem in Iortam è ſuis primorem dicebant. Nam non procul a ciuitate domum peculiarem, vallo munitam Luſitani habent, in qua 7. vel 8. eorum agentes, negotiationibus vacant. Nam ibi merces varias vndecunque emptitant colliguntque, quas poſteà in Malaccam reuenditum mittunt. Cæteri populares eorum omnes in Malacca habitant, & quotannis huc ſui quæſtus cauſa commeant. Hi Generalem fructibus nonnullis, ac rebus leuioribus aliis per ſuos ſclauos allatis donarunt. Quos Generalis viciſſim linteis remunerauit, & in honorem eorum aliquot tormenta exonerauit.

Cal. Febr. prædicti tres Luſitani iterum in nauem aſcenderunt, ſclauos ſecũ adducentes omnes Meſtiſches, id eſt, ex dimidio albos, ex dimidio atros. Inter illos quidam etiam in Luſitania natus erat, qui commemorabat, ſe in Hollandia quondam captiuum egiſſe, cum claſſis Hiſpanica ibi impreſſionem feciſſet, & Capitanei Don Diego miniſtrum ac ſeruum fuiſſe. Idem quædam etiam germanica verba pronunciabat, & ex parte Gallicam linguam callebat, annos circiter 30. natus. Is ex Calis oriundus videbatur, quod ex morum ac geſtuum grauitate ſingulari augurari licebat. Eorum primus hac vice in terra manſerat. Hollandi cum de Mace aduehenda percontarentur: reſponſum acceperunt, nondum vniuerſa parata eſſe: facturos ſe tamen, vt poſtero die certò ac indifferenter aduehantur.

MMM

hantur. Quæ verba Generali ſuſpicionem mouerunt, quaſi Luſitani quid monſtri alerent, & fictis verbis Hollandos eluſos nefaria quadam proditione circumuenturi eſſent. Securitatis itaque ſuæ gratia Luſitanos ſecum in naue retinuit: ac Pilottum ſuum in terram emiſit, qui de Pilotto diſpiceret, ipſos in Balamboam prouecturo. Is enim ex Malaica Pilottus cauſabatur, ſe finium iſtorum nullam notitiam habere. Hæc dum fierent, intereà Hollandi cum Iortanis de fructibus ac gallinis contraxerunt: pro quibus ipſis cultellos Norimbergenſes, ſpecula, aciculas, lintea, veſtes laneas, & ſimilia alia repoſuerunt. Regales tamen octonorum his omnium cariſſimi erant. Tam fœminæ quam viri confertim ad permutationes cum Hollandis faciendas irruerant.

Hollandi Luſitanos ſecum retinent.

Eodem die Ioncka Iauana Iortæ portum ingreſſa, ſui aduentus ſexies exoneratis tormentis ſignum dederat.

Die 2. cæcias ſatis importunus ſpirauit, ibi hoc anni tēpore perennis. Is Monſons dicitur. Hoc die Generalis Pilottum denuò in terram emiſit, ac à ſe dimiſit, quod porrò eius tractus is minimè peritus eſſet. Cui diſcedenti muneris ac mercedis loco, pannos, ac lintea, & merces ſimiles propter officia ac miniſteria aliquandiu magna fide pręſtita largitus eſt. Cuius opera ſi caruiſſent, propter paſſim in trāſitu interiecta breuia ac tumulos, tanta meta curſum ſuum proferre haud quaquam potuiſſent. Hunc ante Manillam, in Chanpan quadam oryza onuſta corripuerant: quæ Chanpan poſteà cum ſex Hollandis, vt ſupra dictum eſt, amiſſa ac deſiderata fuit. Ibidem alterum quoque Pilottum, in Borneo conductum, à ſe dimiſerūt. Quos toto eo tempore, quo nauigationis ſocij ac moderatores fuerunt, humaniter ac lautè ſemper habuerunt.

Pilottus Chinenſis dimittitur.

Circa veſperam, Luſitanorum quidam duos faſces Macis, dimidium ferè Bar conſtituentes (Bar verò 200. libras pendit) naui aduexit. Præter quam quantitatem nihil vltrà parabile eſſe prætendit. Nam & hanc non niſi magno labore comparari potuiſſe, ideò corrogatam, vt verbis fidem præſtaret. Hollandi autem facilè hinc ſuſpicari potuerunt, merces eas non admodū probas fore: quod re ipſa quoque ita ſe habere paulò poſt compererunt.

Macis aliquid accipiunt.

Poſtero die tormenta ſua in nauis profundiora demiſerunt, itineri nouiter adeūdo ſe totos accingentes. Nā iam fructibus neceſſariis vt Bonnanis, Limoniis, Granatis, & Tamarindis, contra luē ſcorbuti admodum ſalubribus, ſatis inſtructi erant. Pro cibariis aliis præter gallinas nihil compararunt: quod indigenę omnes Mahumetanę ſectæ aſſeclæ eſſent, qui nec lardum edunt, nec ſues alunt.

Die 3. Generalis officiarios vniuerſos, vt Gubernatores, nautas, teſſerarios & alios ad ſe conuocauit, & ſignificauit, vt poſtquam iam à fructibus ſatis inſtructi eſſent, nec ſpes vlla plurium redimendarum ibi mercium affulgeret, iam ſobrio conſilio & prudenti medita-

meditatione decernerent, an cum iſto & nauis & rerum aliarum apparatu in Moluccanas inſulas pertendi & pronauigari deberet. Officiarij verò omnes vno ore reſponderunt, ſe ad iter hoc conficiēdum nec anchoris, nec funibus, nec vllis aliis, viæ neceſſariis, ſatis inſtructos eſſe: quib. & ipſe Generalis haud ambiguè aſtipulabatur. Itaque euolutis omnib. Generalis cum officiariis cæteris decreuit, vt primo quouis tempore reditus in patriam maturaretur. Hoc adeò fine commodū eſſe rati ſunt, ſi per fretum Balamboam ſecundum Iauę maioris latus orientale, & porrò vltra Cabo de Bona Eſperança curſus in Hollandiā inſtitueretur. Quod iter, vt Deus, terræ, maris ac cœli ſummus moderator, benedictione ſua clementer ſoſpitaret, ſupplices ei vota profundiſſimo ſpiritu fecerunt.

Senatus ſtatuit, vt in patriam reditus fiat.

Generalis ergò, dimiſſis Luſitanis, qui de ſuis quendam, Auguſtyn Nunges apud Hollandos reliquerant, quæcunque ad viæ felicitatem neceſſaria erant, prouidus adornauit.

Iortan ciuitas, iuxta littus ſita, 1000. circiter domibus inſignis eſt. Eæ omnes ex ligno fabrefactæ ſunt: nullis muris vallatæ. Rex ciuitatis ac regionis illius Hollandorum tempore in Paſſaruan aberat, vbi maxima anni parte agere ſolet. Hic ipſus eſt, qui ante annos quinque Balamboam ciuitatem obſidione cinxerat, cum naues ex Amſtelredamo ibi appuliſſent. Qua etiam ciuitate tandem potitus, Regem eius cum omni familia ac cognatione extirpauit & deleuit. Durante eius ciuitatis obſidione populi numerus maximus interiit. Nam regionis eius aër vſque adeò inſalubris erat, vt breui ſpatio infinitos abripuerit.

Deſcriptio Iortan ciuitatis & regis.

Cuius malignitatis aſſerunt cauſam fuiſſe ſanguinis profuſionem crebram ibi factam: qui putrefactus aërem ſeminario peſtifero polluerit.

Prædictus Rex, Rey de Sorbay quoque ſalutatur, quæ ipſa quoque ciuitas à Iortan non longè diſtat: ita vt hodiè vnicus Rex, ſimul Sorbay, Iortam, Paſſaruan & Balamboam imperio ſuo moderetur. Regiones hæ vniuerſæ Mahumeticam religionem profitentur, quā tanta ſuperſtitione colunt, vt contra ſtatuta eius ne tantillum quidē delinquant, etſi vitæ ſuæ iacturam facere cogantur. Ea pertinacia in edenda carne ſuilla comprimis inſignis eſt.

Mahumetani à carne ſuilla abſtinent.

Pagodes ſiue templa ſua pleraq; in ſyluis habent, à via publica certis interuallis ſemota: ad quæ magna ex parte circa meridiem precum faciendarum cauſa properant. In templis idola venerantur, cacodæmonis ſpecie horrida, exertis cornibus truculenta, & triplici capiti impoſita corona ſpectanda. In Iortan ſacerdotum primarius habitat, qui cæterarum terrarum velut Papa ac Pontifex eſt. Huius aula extra ciuitatem, domibus frequentibus conſpicua erat: & idem 120. annos ætatis attigerat. Is tamen multas vxores alebat, quæ ipſum fouerent & calefacerent, ac lacte ſuo nutrirent. Nam propter extre-

Religio Mahumetanorū.

Papa in Iortan, ſenex lacte fouetur.

mum ſenium cibo alio nullo frui poterat. Chriſtianorum is iuratus hoſtis eſt. Rex tamen Luſitanis æquè ac nationibus aliis quædam priuilegia ac libertates indulget, quod ex horū negotiationibus quæſtum vberrimum ſentiat.

Iauanorū mores. Hi Iauani belli periti ac gnariſſimi ſunt. plerique tamen fraudulenti & inſidiatores: qui propter leuis quæſtus ſpem hominem trucidare non verentur. Ad vxores eorum propius vno paſſu adire non licet: ne quid dicam de contrectatu. Eę pannis lineis ac goſſypinis veſtitæ, Betele perpetuò mandunt.

Hollandi Iortā ſoluunt. Die 4. quamprimum Sol illuxiſſet, Hollandi ex littore Iortan ſoluerunt, Pilottum Malaicum, cum interprete Luſitanico ſecum vehentes: quorum hic in contractibus: ille in via, ipſis commodus eſſet. Itaque, vt in Balamboam penetrari poſſet, opus erat, vt in ſinum reuerterentur. Nam intra Maduram ac Iauam verſus ortum iterum perrumpendum erat. Hac meta ergò cum redirent, alicubi quidem aliquandiu obhæſerunt, ſed tamen eluctati tandem, & in viam Balamboam perducti, circa veſperam vela ſtrinxerunt, & ventis nauem crediderunt.

Die 5. manè vela iterum pandentes, à Paſſaruan non longè aberant, Panerucan à tergo relicta. Circa meridiem in editiore oceano nauem cum grādi malo conſpicati ſunt, auxilio ac moderamine (vt *Grandis triremis 600. onerum capax.* apparebat) deſtitutam. Ad hanc cum properaſſent, eam cæcis ac abditis breuiis incumbere animaduerterunt. Ea nauis grandiſſima erat, onerum circiter 600. capax, in qua nonnullos nautas adhuc ſuperſtites viderunt è longinquo.

De hac naue Luſitanus, Auguſtyn Nunges, iſtiuſmodi referebat: triremem nimirum eam ex Malacca eſſe, in hoc inſtructam, vt in Inſulam Amboynam peruaderet, & Luſitanos, illic in extructo caſtello ſuo ab indigenis grauiter obſeſſos, præſidio reficeret. Luſitanorum enim conſiliū eſſe, caſtellum forti præſidio munitū, ita ampliare & firmare, vt in eo ſecuri, ac fœdere cum Bandanis vniti, vniuerſos alios, eò negotiationis gratia appulſuros, inde exigere & propulſare, ſolique deinceps in Moluccanas inſulas commercij cauſa commeare poſſent. Quod tamen conſilium eorum, vis maior è cœlo, iſto naufragio inducto, clementer eluſit ac impediuit. Quamquā qui in hac naui erant, ſuffocationis nullo periculo premerentur. Tota etenim nauis ſupra vndas eminebat, ſolo fundo altius in vndis defixo: cuius puppis quoque ponè iam liberata fuerat. Ex quo colligi poterat, eos ibidem ad minimum triduo integro obhæſiſſe. Iā enim miſſis aliis hoc vnicum agere videbantur, vt bona ac merces commodè ſaluarent ac eriperent. Suſpicabantur tamen Hollandi, etiam ſui inuadendi cauſa iſtos meta hac anteuertiſſe, quod fors comperiſſent, ſibi per Balamboam tranſitum præſumptum eſſe.

Huiuſce nauis tanta vaſtitas erat, vt in ea 800. circiter viri peruehe-

heren-

herentur, neceſſariis inſuper rebus inſtructiſſimi. Nam vt dictum eſt, cum apparatu haud tenui in Moluccanas inſulas quoque peruaſuri erant. Ad hos Hollandi tam propinqui appulerunt, vt propter iā notatā aquarum mutationem ad ſcopulos eos latentes propius accedere non auderent. Quem ſecum Malaicum Pilottum Hollandi habebant, is recenſebat, hoc iter ſe quidem aliquoties confeciſſe, ſed breuiorum iſtorum nullam vnquam notitiam accepiſſe, quæ à Iaua 2½. milliarium circiter ſpatio deflecterent. Cæterum periclitante ibi naue relicta, Hollandi cominus ad terram ſeſe extulerunt, & circa veſperam freti Balamboam verſus auſtrum declinantis, ac intra Baly inſulam maioremq; Iauam intercurrentis fauces ingreſſi ſunt. *Fretum Balamboam Hollandi obtinet.*

Baly inſula, terra edita & ſublimi conſtans, ibi ex ortu in occaſū porrigitur. Hinc Hollandi propius ad Inſulam Iauam ſeſe ingerentes, inſignem profunditatem, obiectis tamen frequentibus ſcopulis periculoſam, acceperunt: vbi anchoram ſecundum crepidinem Praccade, deorſum ferè ad vndas propendulam iactarunt. Ea verò breuia, in quib. dicta triremis obhæſit, hinc ad ortum auſtrumq; 4. ferè milliaribus diſtabat, quod ex prominente adhuc malo facile metiri poterant. Veſpera tranquilla, ventus terreſtris leuior inundabat.

Die 6. vento ſpirante cæcia, anchoras emolientes, longius in fretum penetrarunt. Sed in auſtrali latere aditum nō admodum diductum notarunt: à qua Baly inſula 2. vel 3. milliaribus adhuc aberat. Hic tranquillis ventis, iterum anchoris incumbere coacti ſunt. Vbi dum ſtarent, ſex Ionckæ ex Balamboam appulerunt. propter malaciā iuxta nauem Hollandorum conſidere coactæ.

Itaque Generalis Malaicum & Luſitanicum Pilottos in Ionckas illas emiſit, vt, quò vellent, deinceps proficiſcerentur, cum ipſorum miniſterio amplius non opus haberet. Hac in ſtatione tum noctem illam tum diem ſequentem exegerunt. Nam etſi quidem diſtinctis aliquot vicibus anchoram emouiſſent: eandem tamen propter nimiam ventorum vim & miram loci profunditatem illicò iterum iactare coacti fuerunt.

Die 9. borealis ventus ſatis idoneus incumbens, fecit anchoram iterum attolli, & ſecundum longitudinem à freti faucibus 4. ferè milliarium ſpatio nauem proferri. A meridie, cum freti medium præciſè tenerent: ex altero latere Baly, ex altero verò Iauam reliquerunt. Atque, cum cæciam leuiter ſpirantem ſentirent, tota nocte feliciter promoti ſunt, admirantes impendio, quod à fluctibus retrò non abiicerentur. Ea nocte freti tractum extremum exſuperarunt: ad cuius limites collis rotundus quidam, inſulæ ſimilis emicat, poſt quem longa eminentia verſus depreſſiorem terram vbi Balamboa ſita eſt, porrigitur.

Die decimo cum fretum egreſſi eſſent, ponè reſpectantes, quo modo anguſtiæ poſt ipſos contigua Baly inſula clauderentur,

 animad-

animaduerterunt. Ibi porcinum angulum Baly, intra ortum ac meridiem à ſe declinantem habentes, curſum ad hybernum ſolſtitium intenderunt, vt altiori mari propius ſeſe conſererent. Hinc Iauæ terra in occidentem tanto tractu procurrebat, quantum proſpectu venari ſuo poſſent.

Die 11. manè ventus Zephyrus perſpirabat. Terram Iauæ autem à ſe intra ortum ac ſeptentrionem conſpicati, vento aduerſo non leui quatiebantur. A meridie in auſtrum ſub altitudine 13. grad. deflexerunt: à quo iterum propter ex aduerſo vrgentes ventos in ſeptentrionem abacti ſunt. Cæterum hinc verſus Cabo de bona Eſperança ad ſolſtitium hybernum deproperatum eſt.

Ad Cabo de bona Eſperança diuertunt.

Die 18. vento ab occidente ſpirante, ſub meridiem ſolem rectà vertici incumbentem attigerunt, ventis magna ex parte quietis & tranquillis. Illic latitudo 11. grad. & 20. min. erat. Hæc autem malacia diebus 10. integris durans, quo minus meta recta pergere poſſent, admodum obſtitit.

Solem in Zenith habent.

MARTIVS.

Cal. Martij circa veſperam commodũ Euronotum adepti curſui interrupto hactenus inſtiterunt, altitudinem gr. 12. numerantes, nimirum in lineæ parte auſtrali.

Die 14. altitudinem 20. grad. 44. minut. terentes, ſe nimis longo deflexu in auſtrum exorbitaſſe deprehenderunt. Curſum ergo correcturi propius ad occidentem intendebant.

Die 19. Martij Euro ſpirante, circa meridiem ſolis altitudinem 24. graduum, 45. minut. tenuerunt. Itaque intra ſeptentrionem ac occaſum impulſi, die vigeſimo quarto ad gradus 28. minut. decem euecti ſunt.

APRILIS.

Cal. April. vulturnus admodum potens incubuit: quo tempore altitudo 30. grad. 50. minut. extitit.

Die 4. venti confertim tam violenti inſonuerunt, vt nonnullis collectis velis opus eſſet. Et cum iam 32. gr. & 15. min. altitudinem tenerent, intra auſtrum ac occaſum intenderunt, vt deſiderati Cabo altitudinem adipiſci poſſent.

Die 8. altitudinem gr. 34. & min. 45. occuparunt, vento bono & optato continuante.

Die 14. altitudo grad. 35. & 10. min. erat.

Die 19. tum malacia, tum aduerſo vento ambiguoque incumbentibus, generalis diſpenſandæ aquæ modum præſtituit, vt porrò cuilibet indies quatuor ſaltem ſemunciæ miniſtrarentur, quę quantitas quarta menſurę meta minor eſt. Ad hanc parſimoniam propter diutius aduerſos ventos inſtantes redacti ſunt. Hoc tempore altitudo 34. grad. 30. min. erat.

Aqua noua diſpenſatio.

Die 24. color vndæ mutatus plus vireſcere incepit: quo loco auium copia magna comparuit. Circa veſperam, cum iam tenebræ incumberent, verſus occaſum æſtiuum à ſe fulgorem, coruſcanti

igni

igni ſimilem viderunt. Quem, cum tenebræ magis magiſq; denſeſcerent, poſteà multò diſtinctius internouerunt, à quo non longius 4. milliaribus ſe abeſſe cenſuerunt: Rationeq; loci inita colligere aliud nihil poterant, quàm ibi terrã eam ſitam eſſe, quæ intra Cabo Falſo & Cabo de bona Eſperança intercederet. Hoc ergò igne oſtenſo, Deus eos iterum à ſingulari infortunio præſeruauit. Nam pro ſupputatione gubernatorum ibi à Cabo de bona Eſperança 200. milliarium interuallo adhuc aberant, & ſi ductorem hunc ventum ſecuti fuiſſent, in terram facillime illidi poterant. Quem tamen ignem cum vidiſſent, in altiorem Oceanum ſeſe recipientes, terram vicinam declinauerunt.

Circa meridiem altitudo ſolis 34. grad. & 35. minut. erat. Ibi propter malaciam obliquantes, vela ſua, quæ prioribus tempeſtatum inſultibus obtrita fuerant, reſarciri curarunt. Sub veſperam occiduo vento ſpirante, paſſis iterum velis intra auſtrum occaſumque incurrentes, noctu fulgorem ignis alium in ortu ac ſeptentrione medio conſpicati ſunt.

Die 26. manè terrã quandam à ſeſe iuxta ortum ac ſeptentrionem animaduerterunt. Ibi ventus ex occidente tàm validus incumbebat, vt velis vniuerſis conſtrictis opus eſſet. Sine velis ergò ad concubiam vſque noctem ventorum vi acti, poſteà vento meliori vti cœperunt.

Die 27. cum ventus tranquillus eſſet, circa meridiem ſolem in grad. 34. min. 40. habuerunt, à terra anteà viſa vix ſex aut ſeptem milliaribus diſtantes.

Cal. Maij vehente Africo intra occaſum ac ſeptentrionem incurrentes, à Cabo de Bona Eſperança 45. circiter milliaribus ſe abeſſe extimarunt. Circa meridiem ſol in grad. 37. min. 15. errabat. MAIVS.

Die 2. ventus præcipuè occiduus ſpirabat. Itaq; altius procurrere ipſis vectore eo non licebat. Sub noctem auſtro inualeſcente, intra ſeptentrionem occaſumq; ſucceſſu valdè optato promoti ſunt, grad. 35. & 15. min. altitudinem numerantes.

Die 3. aurora terram quãdam intra orientem ac ſeptentrionem ſitam, preſſam admodum, ac extremitati inſulæ ſimilem conſpicati ſunt. A qua cum ſenorum milliarium interuallo adhuc abeſſent, bolide miſſa 80. paſſ. profunditatem æſtimarunt. Indiciis itaq; non leuibus ſibi perſuadebant, quod à Cabo de bona Eſperança non abeſſent longius. Inde ergò Euro impellente, felici & propera meta ad occaſum intenderunt. Circa veſperam prædictam terram verſus ſeptentrionem ſitam adhuc obnotarunt.

Die 4. ſub auroram terram præuiſam è conſpectu ſuo prodiderunt, rati ſe iam Cabo de bona Eſperança admodum propinquos eſſe. Curſum ergò porrò verſus occaſum ac ſeptentrionem continuantes, ad S. Helenæ inſulam magno gaudio ſeſe protulerunt, Deo trin- *Ad S. Helenam procurrunt.*

trinuno, ſummo benefactori, de hac eouſq; meta feliciter obtenta, gratias ingentes promentes.

Die 6. Cæcias incubuit. Ibi altitudo ſolis 33 grad. 10. min. numerabatur. Hoc vento diebus ſex integris prouecti, 11. die ſolis grad. 30. min. 10. habuerunt. Poſt hæc circa veſperam à ſolis occaſu ventus commodior, nimirum Libonotus incumbens, nauem propius ad S. Helenam pepulit.

Tropicum cancri attingunt. Die 18. auſtro ſpirante intra ſeptentrionem & occaſum imprimentes, ſolis altitudinem 22. grad. min. 30. habuerunt, cum iam Tropicum cancri iterum attigiſſent.

Die 22. altitudo 16. grad. 30. min. erat. Ibi verſus occaſum vela ingerentes, à S. Helena 120. milliaribus ſeſe abeſſe augurati ſunt.

Die 23. vento auſtrali vehente, ſub meridiem ſolis altitudinem 16. grad. tenentes, curſui priori inhæſerunt, diſtinctis vicibus iam pluuiis, iam ſerenitate reuertente.

S. Helenam inſulam impetrant. Die 26. S. Helenam iuxta occaſum ac ſeptentrionem à ſe proſpicati ſunt. Ea terra editiſſima, duo in longitudine milliaria complecti videtur. In boreali latere præcipiti ac decliui monte inſignis eſt. Porrò ergò toto die vulturnum bonum & opportunum adhibentes, circa veſperam portum S. Helenæ ingreſſi ſunt. Is in partem ſeptentrionalem pandebatur, terra verſus medium ortus ac auſtri prominente. In ſinu ergò quodam priore, 14. paſſibus anchoras iactarunt, poſtquam editum eum angulum tranſmiſiſſent, ſupra quem in prærupto monte ſuffixa crux videtur. *S. Helenæ deſcriptio.* Ab hoc angulo glandis iactu alius ſecundus abeſt, ſacello proximo inſignis: iuxta quod recentis vndæ riuus deruit: quem poſtero die ingreſſi ſunt. Generalis, poſtquam præſidiarios diſpoſuiſſet, & modum hauriendæ aquæ conſtituiſſet, in terram ipſemet egreſſus eſt. Nam, cum vnam tantùm Canoam ex Borneo aduectam ſecum haberent, propter inſulæ crepidines aquæ inuaſatio ipſis difficilior facta eſt. Aqua, vt diximus, poſt ſacellum vnius à mari lapidis iactu deriuatur. Iuxta cuius ripam ficos plurimas conſitas deprehenderunt. Mala aurantia ibi nulla inuenerunt. vnam tamen palmæ arborem ibidē quoq; nacti ſunt. Hac ipſa in inſula nomina quorundam deſcripta inuenerunt, eorum, qui ex Hollandia Anno 1599. in Indiam orientalem vela fecerant. Hoc verò anno, præter vnam Luſitanicam, quæ in Angolam curſum tenuerat, naues in portu nullæ egerant.

Die 28. hauriendæ aquæ inſtituto iterum in terram egreſſi ſunt. Sed quod pluuiæ fortes prægreſſa nocte decidiſſent, vnda turbatior erat, quàm vt potari poſſet. Circa tamen meridiem, cum Sol illuſtrior emicuiſſet, aqua rurſus inclaruit, vt tum eo, tum ſequente toto die dolia ſua vniuerſa complere poſſent. Quidam à nautis ingentem piſcium copiam captarunt. Quo cibo præcipuo illic vſi ſunt. Etſi enim in ea inſula damæ ac capreæ, numeroſæque aues

paſſim

paſſim videantur, eæ tamen vſque adeo feræ ſunt, & fugaces, vt feriri ægrè poſſint

Die 30. Generalis poteſtatem vniuerſis fecit, vt in terram egrederentur, tentarentq;, an feras ac aues capere poſſent. Confertim ergò nonnullis iuga montis aſcendentibus, præter damas duas ternaſue ad nauem nihil attulerunt.

Circa huius diei veſperam, binis ante ſolis occubitum horis ex dicta S. Helenæ inſula iterum ſoluerunt, quæ ſub gr. 15. min. 50. ſita eſt. Curſum ſuum inde intra occidentem & ſeptentrionem ſpirante Africo immiſerunt. *Ex S. Helena ſoluunt.*

Cal. Iunij vento prædicto adhuc continuante, curſui ſuſcepto iugiter inhæſerunt. *IVNIVS.*

Die 5. circa meridiem altitudo 10. grad. 30. min. attigerunt.

Die 7. Euro ſpirante, mane Inſulam Aſcenſionem in ſeptentrionali latere à ſe prouiderunt, à qua tùm temporis ſeptem ferè milliaribus aberant. A meridie altitudinem 8. grad. & 20. minut. habuerunt, viſam inſulam ſub gradu circiter 8. ſitam eſſe arbitrantes.

Die 14. continuante Euro circa meridiem altit. min. 5. vel 6. in latere boreali lineæ habuerunt: quo die lineam æquinoctialem iam vice quarta tranſmiſerant. A qua cum ab occaſu paulò magis in ſeptentrionem deuiarent, die 15. circa meridiem gr. 1. minut. 15. in lineæ ſeptentrionali plaga tenuerunt. *Quartò lineã æquinoctialem tranſmittunt.*

Die 16. ex ſeptentrione 6. ad ſe naues appellere conſpicati ſunt: ad quas cum deproperaſſent, eas Hollandicas eſſe, & Generali Iacob Heemskerck parere, ac in Indiam orientalem pertendere, intellexerunt. Hi in hoc itinere iam duos menſes exegerant, & Vice Almirantem cum Liburnica perdiderant, poſtquam cum 13. Hiſpanicis nauibus confligere coacti fuiſſent. Hæ enim propè Salinas inſulas illas inuaſerant. Celocem dicebant ab hoſtibus quidem captam eſſe: ſed Vice-Almirantem tamen ſperabant, è manibus eorum elapſum eſſe. Ex his ipſis Hollandi quoque indicium acceperunt glorioſæ eius victoriæ, quam illuſtriſſimus Belgij Princeps in Flandria contra Hiſpanos acquiſiuiſſet: qua pugna aperta, Hiſpanorum ad 8000. millia cæſa, ipſemet vero Almirans de Arragon cum capitaneis ac dominis plurimis captiui facti ſint. Referebant iidem, quod propter tumultum & ſeditionem in Anglia concitatum Milloort Exceſter cum primatibus aliis capitis ſupplicio affectus ſit. *Iacob Heemskerck Generalis in Indiam orientalem abit.*

His cognitis & euolutis Generalis ſtatuit poſt Angliam ac Hyberniam reditum in Hollandiam maturare. Itaq; circa veſperam, diſceſſione ſueto more facta, curſum ſuum intra ſeptentrionem occaſumq; direxit. Hoc tempore altitudo grad. 2. min. 40. in lineæ ſeptentrionali latere erat.

Die 19. cum altitudinem 7. grad. attigiſſent, noctu imbribus impetiti ſunt, quadriduo integro durantibus.

Cynoſuram iterum videt. Die 24. Borea flante, ſub noctem polum arcticum iterum conſpicati ſunt ſub gr. 11. min. 10.

IVLIVS. *Solem in vertice habent.* Die 5. Iulii Caurus potens fortiſq; perflauit. Hic ſolem iterum recta vertici impendentem habuerunt.

Die 8. vento Euro ſpirante intra occaſum ac ſeptentrionem curſum impulerunt, à meridie ſub grad. 27. agentes. Ibi in mari copioſas herbas fluctuare viderunt, Saragoſſa vocatas.

Saragoſſa. Die 13. ſub gr. 32. min. 30. malacia incubuit, diebus 15. integris durans: quo tempore Saragoſſa omnia plena erant.

Panis reliquiæ omnes diſtribuuntur. Die 22. qui Dominicus erat, Generalis, quantum vſpiam panis ſupererat, viritim diſtribuit: vbi 2. libræ vnicuiuis ceſſerunt panis, admodum vermiculoſi & corrupti, cuius vix portione dimidia frui poſſent. Deinceps ergò præter oryzam nihil reliquum habebant.

Die 28. circa veſperam Fauonius perſpirauit, ipſiq; verſus ſeptentrionem nauem impulerunt, vt Corues & Floris tranſcendere poſſent. Poſtero die ſub grad. 36. erant, à die 13. ad hunc vſq; perpetua malacia ferè vſi. Hoc verò die Fauonius iterum fortis incubuit, & Saragoſſæ plurimum apparuit.

AVGVSTVS. Cal. Aug. curſum ſuum intra occaſum æſtiuum impulerunt, circa meridiem gr. 40. tenentes, & à Corues ac Floris inſulis occidentalioribus 45. circiter milliaribus diſtantes. Hinc verò viſum eſt Generali ac gubernatoribus, vt metam porrò ſuam intra Angliam ac Galliam ad Hollandiam corriperent, quod propter annonæ penuriam, & ſupellectilis nauticæ inopiam poſt Angliam commodè tranſmitti non poſſe videretur. Itaq; curſum ſuum inde intra ortum ac ſeptentrionem impulerunt.

Die 11. verſus ortum nauem conſpicati, ad eam procurrerunt. Quam tamen, quod meta ſua rectà profeſtinaret, aſſequi non potuerunt. Huic ergò exonerato tormento ſignum dantes, vela maiora demiſerunt. Quod cum, qui in altera naui erant, proſpexiſſent, curſum ſiſtentes, diſploſo tormento expectationis futuræ indicium fecerunt. *Hollandi grauiter læduntur à tormento.* Itaq; cum boatu ſimili Hollandi ex eo tormento, quod in prora ſtabat, reſpõſum daturi eſſent: id violentiſſimo fragore diſcrepuit, & fruſtillatim diſſilijt, ita, vt fragmina nonnulla per aërem grandi tonitru peruolitarent, alia in malum maiorem incuterentur, qui ob id in tres partes confractus eſt.

Tormentorum magiſtro, qui aliquot paſſus retroactus fuerat, pes detruncatus eſt, præter alios, qui & ipſi nonnihil oblædebantur. Illius famulus, Pieter Reyner, eodem momento occiſus eſt. Adeoq; hoc periculo non multò plures læſos eſſe, omnibus certè admirationi ſingulari fuit. Nam ipſe Generalis cum multis ſuis tormento illi admodum propinquus aſtiterat. Porrò, cum, quæ fierent, in altera naue iſti viderent: curſum ſuum citra moram promouerunt, & inde ſoluerunt. Hollandi verò vela colligere, & malum nouum

uum condere coacti, poſteà intra ortum ac ſeptentrionem concitatius iterum procurrerunt.

Die 13. ſub gr. 48. min. 15. nauigarunt. Hîc cum mappis ſuis gubernatores ad Generalem ingreſſi ſignificarunt ei, quod à Sorlinghes 80. adhuc milliaribus abeſſent, nonnullis contrà contendentibus, interuallum hoc 105. milliarium eſſe. Curſui nihilominus ſeriò inhærentes, poſtero die bolide miſſa, 110. paſſuum profunditatem ſe habituros ſperabant. Sed fundi nullum veſtigium comparebat. Altitudo grad. 49. erat.

Die 17. manè iuxta occaſum æſtiuum terràm quandam ſibi videre viſi ſunt. Itaq; plumbo miſſo, 90. paſſus deprehenderunt. Gubernator Iacob, qui ſe loci iſtius peritum cenſebat, quod ſub veſperam aut Angliam aut Lyſaert occupaturi eſſent, promittebat. Nam circa meridiem 49. grad. 25. min. altitudinem tenuerant.

Die 18. verſus ortum manè tres naues conſpicati ſunt: quas attingentes, & cuiates eſſent, rogantes, intellexerunt, eas ex Embda ſoluiſſe, & maiorem in Braſiliam, cæteras verò in S. Lucas vela facere. Hi emiſſa ſcapha Hollandis panes & carnes impertiuerunt: quibus Hollandi viciſſim nonnihil piperis & oryzæ reddiderunt. Ex harum gubernatoribus Hollandi etiam intelligebant, quod metam illam, quâ in Angliam perducerentur, nondum tenerent, etſi Goutſteert ſeſe iam tranſmiſiſſe putarent. Tres ſiquidem hæ naues, elapſo die 15. adhuc in Pleymuyen verſatæ erant, & ante biduum primùm Heyſant viderant, ita, vt à ſtatione illa Angliam 12. aut 15. milliaribus adhuc abeſſe omninò perſuaſum haberent. His expeditis, vtrique ad iter ſuum rediuerunt.

Embdani Hollandos pane & carnibus reficiunt.

Die 19. manè terram quandam à ſe intra ortum & ſeptentrionem ſitam, proſpexerunt. Ad hanc auſtro impellentes, Sorlinges eſſe deprehenderunt, vbi per ſaxa ac ſcopulos multos tranſmittere compellebantur. Vbi iam Sorlinges in ſeptentrione poſt ſe reliquiſſent, curſum ſuum rectà ad angulum Lyſaert intenderunt. Sed quod iam tenebræ increbreſcerent, illum diutius prouidere non potuerunt. Noctu ergò meta præſumpta ad occaſum æſtiuum præproperantes, poſtero die angulum Goutſteert attigerunt, quem à meridie circa horam tertiam tranſmiſerunt.

Die 14. exorto ſole, hora ſexta, in conſpectum Doeueren & Calis adepti ſunt: à quo iterum poſt horam dimidiam nauem quandã ſibi occurrentem prouiderunt. Hæc ex Amſtelredamo militaris erat, cuius Capitaneus à Generali percontatus eſt, rerũne quarundã penuria is premeretur. Cognitaq; rerũ multarum inopia, ei funẽ anchorarium cum Pilotto dedit, cuius ductu Maes ingredi tutò poſſent. A meridie diuortio facto, vtrique ad legendum ſuum iter perrexerunt.

Funem & Pilottum accipiunt.

Die viceſimo quinto ad oſtium Maes ſiue Moſæ appellentes, anchora nauem firmarunt, à meridie eam penitius incurrentes. Sed cum

cum ventus violentior reniteretur, compulſi ſunt auſtralius iuxta Briel anchoram iterum excutere: vbi parum aberat, quin in vallum impingerent.

Die 26. ſub exortũ ſolis, vento auſtro & Libonoto perſpirante, cum anchoram emoliti eſſent, circa meridiem, diuina ope ac auxilio adiuti Amſtelredamum appellentes, profuſo omnium gaudio & gratulatione accepti ſunt.

in patriam redeunt.

Nauigationis Hollandicæ Finis.

VERA ET GENVINA, SED BREVIS TAMEN ET COMPENDIARIA DESIGNATIO INSVLARVM, CIVITATVM, LOCORVMQVE ALIOrum maritimorum, quæ Hollandi inſtituta nauigatione magna ex parte adiuerunt: vbi ſimul, quæ durante eo itinere ſingularia ipſis acciderunt aut notata ſunt, paucis explicantur eduntur q;.

HÆC NARRATIO FIGVRIS SEV SCHEMAtibus artificioſiſſimis æneis expreſſa, ac edita eſt à THEOD. de BRY p.m. relicta vidua, & binis filÿs IOAN. THEODORICO & IOAN. ISRAELE, ciuibus Francofurtenſibus.

FRANCOFVRTI,

EXCVDEBAT MATTHÆVS BECKER.

M. DCII.

RPJCB

I.

DELINEATIO ISOLAE DEL PRINCIPE, SEV INSVLÆ PRINCIPIS: ET EORVM, quæ ibidem geſta ſunt, narratio.



INSVLA hæc ſub grad. 1½ in lineæ æquinoctialis parte boreali ſita eſt. Ubi, cum propter ægrorum magnam infirmitatem, & rerum aliarum penuriam, Hollandi cum vexillo pacis in terram egrederentur, Æthiops quidam, Luſitanicæ linguæ peritus, eoſdem humaniter excepit, ac in caſtellum ſecum abductos, cibo potuq; affatim lauteq; tractauit. Luſitani interim ad ſcaphas emiſerunt, qui cæteros quoq; blandimentis in caſtellum allicerent. Quem tamen dolum cum ſe fruſtrà machinatos intellexiſſent: iſtos quatuor, qui iam in caſtello erant, adorti, tres in momento obtruncarunt & iugularunt, quarto profugo facto, & ad naues perfidiam intentatam deferente.

RPJCB


II.

DE PVGNA, QVA FRVSTRA HOLLANDI CVM LVSITANIS DECREVERVNT.



HOc ergò nefario dolo à Generali intellecto, improbitatem vindicaturus, 120. armatos contra Luſitanos emiſit. Qui poſtquam longa dimicatione cum ipſis velitati eſſent, & in caſtelli occupationem ſedulo incubuiſſent: tandem tamen re fruſtrà tentatâ, ne grauioribus malis innaſſarentur, ad naues retro paulatim ceſſerunt. A. Caſtellum Luſitanorum deſignat. B. Locũ pugnæ cum Luſitanis commiſſæ. C. Hollandorum propugnaculum eſt, in tutelam extructum eorum, qui hauriendæ aquæ operam impendebant. D. Indigenæ ſunt eius loci, tàm viri quàm fœminæ. Vir, quidam primariorum eſt, qui peltis ac lanceis inſtructi incedere ſolent. Fœminæ cultris falcatis, quas manibus geſtant, armatæ conſpiciuntur: quarum colla corollæ precariæ, crucibus appenſis inſignes, cingunt: quas inſtitutione Luſitanorum magna deuotione venerantur.

III.
INSVLAE RIO IAVERO DELINEATIO.



LVSITANORVM imperio Rio Iauero inſula quoq; ſubiecta eſt. In qua cum Hollandi ſeſe reficere, ac idoneis rebus inſtruere vellent: præter 40. aut 50. poma aurantia nihil nacti ſunt. Cæterùm vbi ſcaphis in terram egreſſi, Æthiopem obuium cum Luſitano corripuiſſent, ac eoſdem viæ commonſtratores ſecum abducturi eſſent: Indi confertim irruentes, in Hollandos tanta violentia ſua tela extorſerunt & conuibrarunt, vt aliquot eorum grauiter vulnerarent, & duos caperent. Quos deinde tamen, reſtitutis Æthiope & Luſitano, velut permutatione facta, iterum liberos dimiſerunt. A. velitationis locus eſt. B. locus eſt, quo captiuorum permutatio facta eſt. C. Inſulæ ciuitas eſt. D. Luſitanorum propugnaculum eſt.

IV.

INSVLAE S. SEBASTIANI RRÆFIGVRATIO.



HOLLANDI, poſtquam ad S. Sebaſtiani inſulam appuliſſent, ſcapha ſex ſuorum de inſulæ ſtatu percontatum emiſerunt. Hi vero ab Indis, ex dumetis ac ſyluis gregatim inſultantibus obruti ſunt. Quo conflictu cum duo cecidiſſent, quatuor cæteri ab Indis capti abrepti ſunt. Qui priuſquam abirent, ſcapham quoque Hollandorum confregerunt & comminuerunt: quod ex A. litera patet. B. Locus eſt, ex quo vndam ac ligna auexerunt. C. Meta eſt, quâ nouam ſcapham extruxerunt. D. Immenſam adeo piſcium multitudinem capiunt, vt retibus eoſdem vix magno labore iunctoq; niſu in littus extrahere poſſint.

RPJCB


V.
DELINEATIO INSVLAE SANCTÆ CLARÆ.



HACCE in inſula Hollandi ægros ſuos expoſuerunt, ac eoſdem accurata diligentiq; diæta ita curarunt, vt dierum 14. ſpatio vniuerſi reualeſcerent, quinis exceptis, qui propter diuturnitatem morborum nimis attritis & eliſis viribus, ibi extremam auram expirauerunt. Ex hac inſula, quod ad annonam faceret, præter herbas ac duas prunos, quarum fructibus haud leuiter recreati & refecti ſunt, nihil comparare licuit. Et, ne ægri ab inſulanis opprimerentur, diligentibus præſidijs ac excubijs is locus cuſtoditus eſt. Non longo ab hac inſula interuallo locus eſt, vbi copiam grandem piſcium captauerunt. Apud hanc inſulam, nauium quandam, bonis ac mercibus prius exinanitam, ac itineri continuando ineptam, iniectis ignibus concremauerunt.

RPJCB

VI.
PORTO DE SEYRO.



HOc in loco Capitaneus Iacobus Ianss Huydecooper extinctus eſt, poſtquam immanitate Scorbuti longo tempore attritus & confectus fuiſſet. Is ceremonijs ac exequijs ſuetis in eadem inſula ſepultus eſt. Terra hæc hominum quidem ac arborum ſterilis erat, ſed magnam tamen ferarum, vt ceruorum, bubalorum, ac ſtruthiocamelorum copiam alebat. Ibidem Generalis duabus ſcaphis certo cum militum numero in littus egreſſus eſt. Cum verò neminem indigenarum offendere potuiſſet: quinis Hollandis cum expreſſo mandato, ne qua ex ſcaphis ſe aliorſum efferrent, relictis, lecta militum manu in terræ penitiora loca peruaſit. Interim, cum, qui pro ſcapharum tutela relicti fuerant, pellendi frigoris inſtituto longius à ſcaphis expatiati eſſent: repente ex inſidijs ab Indis inuaſi, ac telis confertim vibratis ita impetiti ſunt, vt tres eorum illico caderent, duo profugi verò in ſcapham ſeſe ingerentes, vix elaberentur. Reuerſus ergo Capitaneus, cum tres in littore exanimes iacere, & ſcapharum alteram abactam eſſe videret: latrocinium ſuorum in Indis vindicaturus terram omnem quidem peruagatus eſt, ſed nemine inuento ad naues tandem redijt. Eodem in loco multi Indorum tumuli conſpiciebantur, erectis ac ſuffixis telis pennisq; coornati.

RPJCB

VII.

QVID HOLLANDIS IN FRETI QVADAM VICINA INSVLA acciderit.




POSTQVAM *Hollandi inſulam quandam, in freto Magellanico non longè à Capo de Naſſau ſitam, attigiſſent, & Indorum quoſdam ſcaphis vectos animaduertiſſent: ad eos concitatius remis appulerunt. Quare viſa, Indi in terram exilientes, fuga ſeſe in editum quendam montem receperunt. Cumq; pinguinarum auferendarum cauſa Hollandos aduentare cenſerent: pinguinas aliquot deſuper in ſcaphas eorum coniecerunt: ſed ne ſic quidem pacatos Hollandos videntes, lapides ac ſpicula in eoſdem plurima coniecerunt, & in fugam ſeſe tandem dederunt. Hollandi ergo, poſtquam instructa manu loca iſtic vicina quoquo verſum peruagati indigenas quærerent: ſpecum prægrandem quandam animaduerterunt, Indis viris fœminiſq; ac infantibus planè refertam: qui in appropinquantes Hollandos concitatiſſimè ſua iacula emiſerunt. Pugna ergò vtrinq; inualeſcente, Hollandi ſpecum occupare prius non potuerunt, quàm excuſſis glandibus viros vniuerſos confeciſſent. Eo facto, cum antrum poſteà inuaderent, relictas fœminas ſuis liberis pronas incumbentes, conſpexerunt. Quorum è numero, cum duas puellas & pueros quatuor ſelegiſſent, ad naues parta victoria redierunt.*

JCB

VIII.

QVO RITV HOLLANDI IN LA MOCHE INSVLA TRACTATI SINT.



IN La Moche inſula Hollandi humanitatis nihil deſiderauerunt. Nam ad indigenarũ habitacula ducti, iußi ſunt cũ viris in truncis vicinis conſidere. Aduenas ſpectandi cauſa, fœminæ vniuerſæ è domibus ſuis confluxerunt, ac à viris ſeorſim tribus ordinibus conſederunt. Intereà vetula quædam vrceum cereuiſia (cici dicta) plenum Hollandis obtulit, quo potu ipſi non parum affecti fuerunt. Hoc potionis genus hac ferè ratione confit. Vetulæ, quæ ex ſenio iam dentibus carent, fruges maſticant: maſticatas euomunt, & in certum cumulum expuunt. Ita illæ madefactæ & attritæ, poſteris diebus efferuere incipiunt. Vnde tandem ex miſcella iſta potus conficitur. Feſtorum ſuorum ſolemnitates ad hunc potum magna gratulatione exequuntur. Vbi certò loco quodam conuenientes, ex ordine conſident. Et dum quidã eorum, qui editiore in trunco ſtat, ore certum quoddã metrũ admodulatur, cæteri in orbem ſibi inuicẽ appotant, vſq; dum inebriẽtur.

RPJCB

IX.

LADRONES INSVLAE DESCRIPTIO.



INSVLA hæc humilis eſt ac depreſſa, arboribus ac ſcopulis frequentibus aſpera. Ex re nomen ea inſula obtinuit: cuius incolæ admodum furaces ſunt & doloſi, adeò, vt ſatis ſibi à furto eorum Hollandi cauere minimè potuerint. Nudi inambulant, niſi quod præſuſpenſo folio pudenda ſua fœminæ obuelent. Corpore fuſco ſunt. Viri capillos radunt: fœminæ promiſſos alunt. Sine legibus inter ſeſe pecudum ritu cohabitant, coeuntque. Vnde fit, vt multorum corpora luis venereæ veneno miſerè corrupta & defœdata conſpiciantur.

RPJCB

X.

QVID IN LADRONES INSVLA HOLLANDIS ACCIDERIT.



IN hac inſula ad Hollandorum nauem 200. circiter Canoæ confluxerunt, quarum quælibet duos ternoſue ferebat. Hi in contractibus & commercijs ſupra modum fraudulenti inuenti ſunt. Permutationes ita fiebant. Hollandi è naue funiculum, cui fragmentum ferri appenderant, deorſum ad Canoas demittebant. Ferrum Indi auidè arripientes, funi ſacculum oryza plenum appenderunt. Qui tamen ſacci pleriq;, cum effunderentur, vix ſemipleni reperti fuerunt, quod ſupernè quidem oryza emineret, fundus verò ſacci folijs ac rebus inanibus alijs confertus eſſet. Sed & hoc accidit. Quidam ex illis nauem aſcenderant. Ibi vnus, diſpecta occaſione, incauto Hollando gladium è manibus extricat, & cum eo in mare deorſum inſilit, ac infra vndas ad inſulam pernatat. Cum ergò Generalis crebris iniurijs offenſior in eos ſclopetis defulminaſſet, confertim pleriq; ex canois exilientes, aliquandiu ſub aquis latitarunt. Qui cum ſuis nauiculis euerſi fuerant, hi ranarum modo adnatabant, & canoas ſuas conuertentes priore ſitu locabant. Nauiculæ eorum oblongæ ſunt, anguſtæq́;, quibus inconuerſis mira agilitate nunc prorſum nunc vorſum vela facientes vtuntur.

RPJCB

XI.

DE SINV BAYE LA BAYE.



SINVS iſte à Manille 8. leucarum ſpatio ferè diſtat. Quam regionem cum Hollandi Hiſpanicæ iuriſdictioni ſubiectam eſſe cognoſcerent, vexillum Hiſpanicum nauibus ſuffixerunt, & quendam è nautis habitu monachali induerunt, vt hoc inuento quoſdam Hiſpanorum ad ſe illicerent. Cum ergo quidam ex illis tandem appropinquaſſet, ac in nauem aſcendiſſet: dolo deceptus curauit, vt annonæ copia maxima per Indos ad nauem proueheretur. Sed cum res in ſuſpicionem à nonnullis vocaretur, Hiſpani ad nauem capitaneum amandarunt, qui de commeatu regio Hollandos compellaret. Cui cum Ducis Mauritij literæ oſtenderentur: perculſus animo, quid diceret, non habuit. Itaq; porro commeatus nihil ad naues perlatum eſt. Appicti ſunt hic non ſolum illius loci, ſed & vniuerſorum nouæ Hiſpaniæ indigenarum habitus ac cultus.

RFJCB

XII.


IAPONVM EFFIGIATIO AC DESCRIPTIO.



HOLLANDI cum iam à Manille non abeſſent longiùs, occurrentem ſibi nauem ex Iaponia habuerunt: cuius incolæ hîc adumbrantur. Hi procero & erecto corpore ſunt, habitu Polonorum fere induti, ac tunicis promiſſis veſtiti. Primas inter hos veſte pretioſa ſerica, floribus intertextis conſpicua, inſignis erat. Milites periti & induſtrij ſunt, qui armis, vt arcubus, haſtis, ſclopetis & acinacibus expeditiſſime vti norunt. Toto capite calui ac raſi, poſtrema ſaltem occipitij parte floccum oblongum alunt.

RFJCB

XIII.
HOLLANDORVM CVM HISPANIS ANTE MANILLAM pugna naualis.



CVM ante Manillam Hollandi agerent, Hiſpani contra ipſos nauem inſtructiſſimam tùm militibus, tùm tormentis emiſerunt, vt eandem aut euerterent, aut captarent. Sed cum à prima velitatione pugna adeo inualuiſſet, vt Hollandorum nauem Hiſpani iam dum occuparent: inferne per extenſas crates Hollandi infeſtantes Hiſpanos tanto robore ac animo inuaſerunt, vt multis cæſis, retrocedere, ac ad nauem ſuam redire cogerentur. Cumq́ deſperata victoria iam in Manillam recurrere inciperent: nauis, quæ violẽtis tormentorum diuerberationibus admodũ comminuta fuerat, mergi ac in fundũ declinare viſa eſt. Ibi ergo Hiſpanos vniuerſos Hollandi iã ante conſpectũ ſuũ ſuffocari viderunt. Nihilominus tamẽ Hollandorũ Vicealmirans ab Hiſpanica Vicealm. in fuga correpta & occupata eſt. His appicta eſt nauis Iaponica cũ velis ex ſtorea intertextis, ac lignea anchora.

RPJCB

XIV.
BORNEO INSVLAE DESCRIPTIO.



EX inſularum in tota India orientali maximis ac præcipuis Borneo eſt, ſinu admodum magno inſignis, iuxta quem metropolis Borneo, 2000. aut 3000. domibus conſpicua, in loco vliginoſo extructa conſpicitur. Ciuitatis eius ea ratio eſt, vt à domo vna in aliam ſcaphis commeandum ſit. Inſula aliàs optime culta ac ferax eſt: cuius indigenæ viri proceri ac cordati ſunt: quorum ne quidem infimus quiſq; ſine armis ſuis in publicum prodit. Odio Vatiniano Hiſpanos proſequuntur, ac legibus Mahumeticis viuunt, ſicut id ex hiſtoria latiùs patet.

FINIS.

RPJCB

D9186

J590
=B915v
GV 9
1

J
De Bry
GV
pt. 9
1602
Lat

GAUDEO